C

IOANNIS BAPT. FRANZELIN


E SOCIETATE IESU

IN COLLEGIO ROMANO S. THEOLOGIAE PROFESSORIS

TRACTATUS DE DIVINA TRADITIONE ET SCRIPTURA

EDITIO ALTERA AB AUCTORE EMENDATA





ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXV.

PROLEGOMENON

DE PRINCIPIIS OBIECTIVIS CHRISTIANAE COGNITIONIS AC THEOLOGIAE UNIVERSIM SPECTATIS.

Divinae fidei *obiectum materiale* quod vocant, seu obiectum credendum sunt veritates a Deo de se ipso deque operibus suis revelatae; fidei *obiectum formale,* seu ratio propter quam et sub qua creditur atque assensus praestatur veritati revelatae, est auctoritas (infinita scientia, veracitas, dignitas) Dei loquentis: adeoque obiectum adaequatum fidei divinae est *verbum Dei.* Assensus in veritatem revelatam propter auctoritatem Dei revelantis est et dicitur *fides* subiectiva, seu *fides qua creditur.* Revelatum verbum Dei ipsum, qua late patet, est et dici solet usu ecclesiastico *fides* (πιστις) obiectiva, seu *fides quae creditur.*

Theologia proprie dicta, ut a philosophia distinguitur, est *scientia fidei* seu *scientia* veritatum a Deo revelatarum sub formali ratione, quatenus revelatae sunt; adeoque est cognitio demonstratione comparata, *quae* veritates contineantur, et *quomodo* contineantur in verbo Dei; quae sit genuina per revelationem explicite vel implicite determinata singularum notio; quis mutuus earum habitus ac nexus; quae unius ab altera dependentia; quae cum ideis et veritatibus rationalibus vel convenientia vel analogia; quae denique veritates aliae ex ipsis revelatis pendeant et consequantur.

Sicut ergo verbum Dei est, quo fides subiectiva nititur et fides obiectiva constituitur; ita scientia fidei seu theologia habet propriam *sedem argumentorum* et proprium *locum,* ex quo ducit demonstrationes, ipsum Dei verbum revelatum. Principia autem alia, ut sunt rationes ac veritates naturali tantum lumine cognitae et auctoritas mere humana, subserviunt theologiae, quatenus pertinent ad suadendas, illustrandas, analogis notionibus distinctius concipiendas ipsas veritates revelatas, et vicissim ad deducendas et con-

firmandas veritates alias, quae cum revelatis nectuntur. « Argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinae, inquit s. Thomas, eo quod principia huius doctrinae per revelationem habentur. Et sic oportet, quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est.... Locus qui fundatur super auctoritate divina est efficacissimus. Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandam fidem.... sed ad manifestanda aliqua alia, quae traduntur in hac doctrina; cum igitur gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei 1. q. 1. a. 8. Cf. Melch. Canum l. I. cc. 2. 3.

Quamdiu hoc modo universim dicitur verbum Dei esse obiectum fidei, et esse proprium *locum,* ex quo veritates in theologia demonstrantur, res est evidens ex ipsis notionibus fidei et theologiae, nec de ea ulla potest esse controversia inter homines christianos. Disputatio vero cum aliis qui vel omnem revelationem vel revelationem christianam negant, est utique prior, sed non in praesenti a nobis habenda. Supposita igitur veritate facti, quod Deus in Christo et per Christum se revelavit, doctrinas, praecepta, instituta quae ad nostram salutem pertinent, adeoque religionem divinam credendam et observandam hominibus tradidit; prima quaestio sponte sese offert, ubinam revelatio christiana integra et impermixta reperiatur ita, ut inde singulis necesse sit haurire veritates credendas, praecepta observanda, media salutis adhibenda, religionem colendam.

Deus quippe numquam omnibus et singulis hominibus, qui divinam religionem suscipere tenentur, ipse immediate sese revelavit; sed se revelans aliquibus hos ipsos constituit suos legatos, ut characteribus divinae legationis, miraculis potissimum et adimpletis prophetiis, insigniti revelationem divinam promulgarent aliis cognoscendam et suscipiendam. Completa autem iam revelatione per ipsum Deum manifestatum in carne et per Apostolos, nulli amplius exstant legati huiusmodi, per quos *nova* hominibus tradatur revelatio necessaria ad salutem atque omnibus credenda et amplectenda. Quoniam igitur revelatio christiana

ita ante multa iam saecula est absoluta, ut tamen non fuerit destinata solis hominibus facto revelationis coaevis, sed hominibus omnibus futuris usque ad consummationem saeculi; consequitur *a*) revelationem christianam nunc adhuc et quavis aetate integram permanere in genere humano, cum eam umquam deficere repugnet ipsi eius fini ac destinationi et intimae veritati; pertinet enim ad ipsam propriam indolem et insitam perfectionem religionis christianae perduratio eiusdem usque ad consummationem saeculi. Hinc *b*) manifestum est, eandem divinam revelationem esse totam acceptam a maioribus, et inde ab Apostolis ad nos usque per generationum seriem propagatam. Unde *c*) patet absurde exspectari novos revelatores, quemadmodum fit in multis sectis Protestantium nostrae aetatis (v. Edmundi Iörg Historia Protestantismi T. II.); sed illud unice curandum esse, ut certo innotescat, quibus sive instrumentis ac monumentis sive organis viventibus ac custodibus revelatio ad nos usque conservata sit integra et sincera, sicut a Christo et ab Apostolis primitus pro universo humano genere fuerat tradita, et quomodo eadem nobis sive ex illis monumentis sive ab his custodibus sit suscipienda.

Haec autem ipsa appellamus, sicut revera sunt, *principia* cognitionis christianae. Principium dicitur omne illud, a quo aliquid quocumque modo procedit, inquit s. Thomas (1. q. 33. a. 1.). Unde principium cognitionis dici potest multipliciter; hic loquimur de *principiis obiectivis* cognitionis. Haec autem sunt supremae aliquae veritates, quae cognitae nobis *norma* sunt in cognoscendis aliis veritatibus (principia *formalia*); vel quae implicite in se continent alias veritates, ad quas cognoscendas ex illis progredimur (principia *materialia*). Iam in cognitione christiana, quae est cognitio veritatum innixa auctoritati Dei revelantis, supremum principium dirigens ut norma sine dubio est cognita infallibilis auctoritas Dei; haec vero ipsa auctoritas nostrae cognitioni in concreto applicatur in infallibilibus, si quae exstant, mediis quibus revelatio ad nos derivatur. Unde in cognita auctoritate horum mediorum (sive monumenta sint, sive revelationis infallibiles custodes) continetur *principium di-*

rigens omnem nostram cognitionem veritatum revelatarum, sicut prima principia metaphysices sunt norma omnium cognitionum rationalium. Porro principium abstractum sive quod auctoritas Dei revelantis est infallibilis in se et essentialiter, sive quod mediis infallibilibus ipsa Dei auctoritas nobis applicatur, non est quidem ita comparatum, ut ex eius analysi possint derivari omnes veritates revelatae; nihilominus in concreto spectatae res illo principio enuntiatae, monumenta videlicet et infallibiles fidei custodes, quibus tamquam mediis integra revelatio ad nos pervenit, huiusmodi sunt, ut ex iis omnes veritates revelatae sint cognoscendae. Unde hisce mediis conservandae et nobis applicandae revelationis primo quidem continetur *principium formale dirigens,* sed aliquo deinde sensu verissimo etiam supremum *principium materiale* (quod vocant) totius cognitionis christianae et theologicae. Ubi enim iam constiterit, unde, a quibus, et quomodo veritas revelata cognoscenda sit, etiam haec ipsa sincera ac integra reperietur (1); in istis autem si erratum fuerit, non iam una aut altera veritas singularis in discrimen vocabitur, sed cognitio christiana universa subvertetur, cum fundamentum ac princi-

(1) Augustinus ita disputat in libello de utilitate credendi. « Fateor me iam Christo credidisse, et in animum induxisse id esse verum quod ille dixerit, etiamsi nulla ratione (interna mihi perspecta) fulciatur... Sine paululum mecum ipse considerem, quoniam... Christum ipsum non vidi, quibus de illo crediderim? Nullis me video credidisse nisi populorum atque gentium confirmatae opinioni ac famae admodum celeberrimae; hos autem populos Ecclesiae catholicae mysteria usquequaque occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissime requiram *quid Christus praeceperit,* quorum auctoritate commotus Christum aliquid utile praecepisse, iam credidi?... Scriptis ait (haereticus) crede. At Scriptura omnis, si nova et inaudita proferatur vel commendetur a paucis nulla confirmante ratione, non ei, sed illis qui eam proferunt, creditur. Quamobrem Scripturas istas, si vos profertis tam pauci et incogniti, non libet credere. Rursum me ad multitudinem famamque revocabis. Cohibe tandem pertinaciam et mone potius, *ut huius multitudinis primates quaeram, et quaeram diligentissime ac laboriosissime, ut ab his potius de his litteris aliquid discam, qui si non essent, discendum omnino esse nescirem* » De util. cred. n. 31. Vide Tertull. Praescript. c. 19. Iren. l. III. cap. 4.

pium ipsum cognitionis aut falsum aut saltem mancum futurum sit.

Principium cognitionis, ut a Reformatoribus saeculi XVI. constitutum et a Protestantibus deinceps retentum est, ita habet, ut in eo indoles propria totius Protestantismi, quae est antichristiana negatio auctoritatis a Deo inter homines et in hominibus constitutae, contineatur ac ostentetur, atque hinc ultima eiusdem haereseos explicatio usque ad merum rationalismum et negationem omnis revelationis supernaturalis iam praeparata sit. Principia contra Ecclesiae catholicae cum ipsa prima institutione, cum conservatione, cum natura ac indole religionis christianae quae est *obedientia fidei* erga apostolatum in omnibus gentibus (Rom. I. 5.), intime cohaerent et, quemadmodum principiorum ratio exigit, ita universae revelationi supponuntur, ut haec in illis iam implicite contineatur, et ex illis ad certam atque ab errandi periculo immunem cognitionem revelationis via pateat planissima *omnibus, qui credere tenentur,* non. modo doctis scilicet sed etiam indoctis; quae omnia in progressu nostrae tractationis fient manifesta.

Principium illud Protestantium fundamentale, et commune omnibus eorum sectis saltem praecipuis, in eorundem libris symbolicis et confessionibus ita exprimitur: « *sola* sacra Scriptura *iudex, norma et regula* agnoscitur, ad quam omnia dogmata exigenda sunt et iudicanda » (Formulae concord. epitome apud Meyer Libri symb. Luth. p. 350; Solida Declarat. ibi p. 389.). Consentiunt confessiones praecipuae omnes, quae leguntur apud Niemeyr (Collect.Confess.Reform. p. 110. 330. 350. 362. 467. 602.). Cf. Möhler Symbol. §. 44.

In primis igitur affirmatur, revelationem et religionem christianam, licet primitus praedicatione promulgatam a Christo eiusque Apostolis, non alia ratione quam per Scripturas conservatam esse et ad nos usque propagatam ita, ut tuto a nobis cognosci possit. Nisi enim ita esset, Scriptura non *unica* sed adhuc alia esset norma ac regula, ad quam dogmata exigantur. Licet ergo Protestantes et Anglicani nominatim admiserint in suis libris symbolicis antiqua symbola fidei et definitiones quatuor primorum Conciliorum,

et adoptaverint libros suos symbolicos ipsos: id tamen ex consequentia sui fundamentalis principii non fit nec fieri potuit eo, quod in his documentis auctoritatem et regulam fidei agnoscerent; sed *quia* vel (ut magis sibi consistentes dicunt) *quatenus* huiusmodi monumenta, instituto a singulis examine, conformia reperiantur Scripturis.

Praeterea in illo principio Protestantium aliud continetur, quod est omnium absurdorum gravissimum, et quo formalis ratio ipsius principii completur atque absolvitur. Scriptura non solum est norma obiectiva fidei, quod nemo negat, qui in ea agnoscit contineri verbum Dei, et non solum est norma obiectiva *unica* eo sensu, quod censeatur continere integram revelationem et adaequatum obiectum materiale fidei; sed etiam eo sensu, quod ad intelligendam Scripturam nulla datur alia norma authentica praeter ipsam Scripturam. Hinc non solum dicitur unica norma ac regula, sed etiam ipsa *sola iudex* agnoscitur. Instrumentum, documentum scriptum, cuiusmodi est etiam Scriptura sacra, potest continere doctrinam, legem, et si placet, sententiam iudicis, atque adeo potest esse norma secundum quam iudicandum sit; sed profecto non potest esse *iudex*. Quod ergo in illis professionibus *sola* Scriptura dicitur esse *iudex*, non potest intelligi nisi sensu *negante;* nempe nullum esse *iudicem*, nullam auctoritatem visibilem et viventem, cui ius sit ferendi iudicium de dogmate, h. e. authentice declarandi, quid obiectivae regulae fidei (sive ea existimetur sola Scriptura, sive adhuc alia praeter illam) sit consonum, quid ab ea alienum (1). Cum nihilominus Scriptura dicatur esse « norma, ad quam omnia dogmata exigenda sunt et iudi-

(1) Quisque videt, proprium characterem harum omnium confessionum esse illum quem diximus totius Protestantismi, nempe *negationem auctoritatis*. Professio principii fundamentalis, de quo agimus, constituta et edita est adversus fidem catholicam, qua agnoscitur tum Ecclesia in praesenti *iudex* controversiarum fidei ac veri sensus Scripturae, tum Traditio seu praedicatio et iudicium Ecclesiae quavis aetate antecedente constituitur simul cum Scriptura ut obiectiva *norma* et *regula* fidei. Hinc tota vis professionis polemicae Protestantium est in particula *sola* seu in *negatione*, dum dicunt: « *sola* Scriptura est *iudex* et *norma*.

canda, » et cum norma non possit esse Scriptura non intellecta sed eius sensus intellectus (non Scriptura explicanda sed Scriptura explicata), reliquum est, ut quavis auctoritate sublata, singuli ad sensum Scripturae *a se determinatum* « omnia dogmata exigant et iudicent. » Unde non iam Scriptura, sed singuli quique homines iudices dogmatum constituuntur. Hoc sensu Protestantes suum fundamentale principium saltem theoretice semper explicuerunt et explicant, nisi quando ab iis qui illud practice prosequuntur usque ad ultimas consequentias, quas ipsi nollent, coguntur relicto suo principio appellare ad principium auctoritatis, cuius tamen negationi tota sic dicta Reformatio innititur. « Septimum officium (Christianorum, qui omnes sunt sacerdotes) est iudicare et decernere de dogmatibus, aiebat Lutherus (de institut. Minist. Ecclesiae T. III. f. 584.).... Quisque pro se salutis rationem habens certus sit, quid credat et sequatur, ac iudex liberrimus sit omnium, qui docent eum, intus a Deo solo doctus. Prorsus eiusdem iuris sumus omnes.... ideo officium istud iudicandi non modo recuperare nobis licet; sed nisi recuperaverimus, Christum fratrem abnegabimus. » Confer declarationes similes ministri Claude (apud Bossuet, Conférence avec M. Claude ed. 1816. T. 23. p. 286.), et Protestantium in Germania annis 1852. 1854. 1855. (apud cl. Iörg Histor. Protestantismi T. I. pp. 41. 114. sqq. 130. 137. 140. 148.).

Superest, ut quantum ad definiendum statum quaestionis requiritur, compendio proponamus catholica principia cognitionis; illorum enim amplior declaratio et demonstratio constituet ipsam totam nostram tractationem. Haec principia ab Ecclesia catholica in Concilio Tridentino sess. IV. in hunc sensum sunt definita. *a*) Evangelium praeparatum ac promissum in veteri Testamento, prout ex eiusdem V. T. Scripturis constat, postea promulgatum ipsius Christi ore, et iubente Christo tamquam fons omnis veritatis ac morum disciplinae ab Apostolis praedicatum continetur *libris scriptis* veteris et novi Testamenti, cuius utriusque unus Deus est auctor; nec non sine scripto *Traditionibus*. *b*) Modus quo Traditiones, sicut primitus a Christo vel dictante Spi-

ritu Sancto ab Apostolis sunt promulgatae, ad nos usque pervenerunt sincerae et integrae, in eo est, quod quasi per manus traditae *continua successione in Ecclesia catholica conservatae sunt.* c) *Ecclesiae est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum.* Est ergo is sensus verus, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, in rebus ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus; de his enim Ecclesia est sollicita. Authentica autem interpretatio Ecclesiae innotescit tum ex unanimi consensu veterum Patrum, tum ex consensu et iudicio praesenti ipsius Ecclesiae.

Universa itaque doctrina et disciplina revelata obiective continetur in *Scripturis* et in *Traditionibus divinis.* Organum conservationis Traditionum, et in his etiam canonis Scripturarum ipsarum, est perpetua successio apostolica in Ecclesia catholica. Veri sensus Scripturarum et (ex paritate rationis) Traditionum, obortis dubiis vel controversiis, *authentica interpres* est ipsa Ecclesia, quae Scripturas et Traditiones explicandas sive antecedente sive praesente consensu aut iudicio proponit explicatas.

Secundum haec tractatio a nobis habenda de principiis, ex quibus catholica cognitio revelationis ac sacra theologia progreditur et quibus innititur, distribuitur in duas partes de *Scriptura* et de *Traditione.* Nomine enim Traditionis, quam in concreto et una cum successione apostolica tamquam organo conservationis ac explicationis spectamus, comprehenditur etiam illud totum, quod tertio loco dictum est de authentica interpretatione et declaratione dogmatum. Porro a Traditione hoc modo spectata pendet tum plenior christiana cognitio auctoritatis, divinitatis et canonis librorum sacrorum, tum catholica interpretatio veri sensus Scripturarum; imo universim Scriptura ut aliquid *traditum* intelligitur. Hinc nobis prior habenda est tractatio *de Traditione,* et huic subordinanda altera *de sacra Scriptura.*



TRACTATUS
DE DIVINA TRADITIONE

SECTIO I.
DE DIVINA TRADITIONE IN SE SPECTATA.

CAPUT I.
DE DIVINAE TRADITIONIS NOTIONE, EIUSQUE FORMALI RATIONE DEMONSTRATA EX IPSA INSTITUTIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE, UT IN SCRIPTIS APOSTOLICIS EXHIBETUR.

THESIS I.
Notio multiplex Traditionis explicatur.

« Traditio spectari potest vel sensu *obiectivo* vel sensu *activo* vel » simul utroque *complexo*. Cum Traditio sacra sensu obiectivo latius » sumpta dici possit doctrina vel institutio ad religionem pertinens, » quae a maioribus transmissa est Ecclesiae custodienda, distinguatur » oportet ratione originis Traditio *divina* a Traditione simpliciter *apo-* » *stolica* et *ecclesiastica*, quarum singulis sua est, dispar tamen aucto- » ritas et firmitas. Neque deest certa norma, secundum quam Traditio » divina ab alia inferioris ordinis dignoscatur. »

I. Fere non indiget thesis haec nisi conceptuum declaratione. Sensu *obiectivo* Traditio est id ipsum, quod traditum est, doctrina vel institutum a maioribus transmissum: « depositum quod accepisti, non quod excogitasti, res ad te perducta non a te prolata, » ut loquitur s. Vincentius Lirinensis Commonit. n. 27. Cum autem modus quo doctrina ad nos usque conservata et propagata est, possit esse varius, is nomine Traditionis hac significatione *obiectiva* per se non definitur; unde Patres aliquando ad aliquam modi declarationem epithetis utuntur, appellantque Traditionem *scriptam* (in sacris Scripturis nobis conservatam doctrinam) et *non scriptam*. Ita Clemens Alexandrinus interpretationem seu intelligentiam profundiorem doctrinae Scripturarum a maioribus acceptam appellat Traditionis *scriptae* Traditio-

nem *non scriptam* (ἡ τῆς ἐγγράφου ἄγραφος παράδοσις) Strom. VI. p. 679. ed. Paris 1641.

Actus ipse sive potius tota series et complexus actuum ac mediorum, quibus doctrina sive theoretica sive practica ad nos usque propagata est et tradita, vocatur Traditio significatione *activa*. Hoc sensu a Tertulliano (de coron. c. 4.) dicitur « *Traditio auctrix*, consuetudo confirmatrix , fides observatrix. »

Facile vero patet, *Traditionem activam* includere obiectum traditum, et vicissim hoc nisi cum illa et per illam ad nos usque conservatum esse non posse. Plenius igitur si Traditio spectetur, considerari semper debet *in complexu*, *obiectum* videlicet *cum modo* Traditionis velut materia cum sua forma, quia secus eius conservatio, integritas, vis et auctoritas rite explicari et intelligi nequit, cum haec omnia a modo Traditionis seu a Traditione *activa* pendeant, ut in disputationis progressu apparebit. Ita PP. Tridentini (sess. IV.) *Traditiones*, h. e. obiectum traditum, considerarunt cum Traditionum origine ac modo seu cum *Traditione activa;* et illarum auctoritas ex Traditionis modo brevissime sed efficacissime vindicatur, quando profitetur synodus, doctrinam et disciplinam revelatam contineri (et constitui) etiam « sine scripto *Traditionibus*, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante *quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt;* » et « *Traditiones* ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas et *continua successione in Ecclesia catholica conservatas* pari pietatis affectu ac reverentia (sicut libros sacros) suscipit et veneratur. »

II. Distinctiones in altera parte theseos indicatae etiam ideo commemorandae sunt, quia cum diversae origini Traditionis divinae, simpliciter apostolicae, ecclesiasticae diversus respondeat auctoritatis gradus, Protestantes tamen hanc per se satis evidentem Ecclesiae catholicae doctrinam dissimulare solent, et Catholicos accusare, ac si verbo hominum parem cum verbo Dei tribuerent auctoritatem, non solum eo quod ipsi Protestantes Traditiones vere divinas habent

velut humanas, sed etiam quod Traditiones mere ecclesiasticas confundunt cum iis, quae divinae sunt, ac deinde omnes promiscue pari fide credendas proponi calumniantur.

1°. Traditiones *divinae* constituuntur doctrinis, praeceptis, institutis, quae a Deo ipso immediate revelata et ordinata sunt, quamvis in iis promulgandis intervenerit ministerium hominum fungentium legatione Dei revelantis. Nominatim quoad novum Testamentum divinarum Traditionum auctor est Deus ita, ut primus visibilis promulgator vel esset ipse Deus Christus Iesus, vel primi visibiles promulgatores essent Apostoli revelante et dictante Spiritu Sancto. Ex hoc discrimine primi visibilis promulgatoris nulla diversitas auctoritatis, distinctio tamen accidentalis et historica petitur Traditionis divinae in Traditionem *dominicam* et *divino-apostolicam*. In hac vero distinctione tamquam fundamentum supponitur, non totam divinam revelationem N. T. ab ipso Christo visibiliter versante in terris, sed a Spiritu demum Sancto esse absolutam non modo suggerente omnia, quaecumque dixerat Christus, sed etiam docente omnem veritatem (revelandam), quam Apostoli prius nondum potuerant portare, et quae ventura sunt annuntiante Io. XIV. 26; XVI. 12. 13. Unde etiam Concilium Tridentinum verbis paulo ante citatis ex sess. IV. hanc distinctionem diserte indicavit, ubi appellat « sine scripto Traditiones quae *ipsius Christi ore* ab Apostolis acceptae *aut* ab ipsis Apostolis *Spiritu Sancto dictante* quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt; » et rursus « Traditiones *vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas*, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas. » Vide Stapleton Controvers. l. XII. c. 9.

2°. Ut declaretur distinctio altera inter Traditionem *divinam* (nominatim *divino-apostolicam*) et Traditionem *simpliciter apostolicam*, prae oculis habeatur oportet duplex munus Apostolorum. Erant enim Apostoli tum promulgatores divinae doctrinae et divinorum institutorum, quae a Christo vel a Spiritu Sancto acceperant revelata, tum rectores et pastores Ecclesiarum, qui auctoritate pastorali a Christo accepta sibi propria possent disciplinam Ecclesia-

rum moderari, et leges ferre, quas ad finem propositum sanctificationis et salutis fidelium proficuas iudicarent. Quae igitur *ad doctrinam* pertinent religiosam, eo ipso, quod demonstrantur ab Apostolis tradita, etiam divinitus revelata esse constat. Unde semper in Ecclesia quaerere de *doctrinae* apostolicitate et de eiusdem revelatione divina prorsus unum idemque censebatur. Contra vero inter *praecepta ac instituta* ab Apostolis profecta alia divina sunt, quorum ipsi erant tantummodo promulgatores, alia possunt esse et sunt apostolica ita ut ipsi Apostoli potestate sua pastorali essent non modo promulgatores sed legislatores. Cf. 1. Cor. VII. 11. 12.

Quoad doctrinam et instituta Traditionis *divinae,* potestati apostolicae ius est et officium docendi et declarandi; praecepta autem et instituta Traditionis *simpliciter apostolicae* subsunt potestati apostolicae in Petri successoribus perpetuae, ut haec potestas apostolica non modo sicut in lege superioris ad declarationem, sed etiam sicut in lege sua ad modificationem, dispensationem et, si rerum adiuncta postulaverint, ad abrogationem se extendat.

Priora illa Traditionis divinae non possunt esse diversa in diversis Ecclesiis, sed necessario eadem valent pro omnibus; in posterioribus Traditionis mere apostolicae diversitas non repugnat. Exemplum luculentum esse potest diversa primis saeculis disciplina in observatione temporis paschalis, ubi tum Ecclesiae occidentis pro sua consuetudine, tum Ecclesiae Asiae pro consuetudine diversa appellabant ad Traditionem apostolicam; et in hac diversitate diu non abrupta pace persistebant: « diversitas ieiunii (coniuncta cum diversitate celebrationis paschatis) fidei consensionem commendat, » scripsit s. Irenaeus ad Victorem Pontificem. Vide Euseb. H. E. l. V. cc. 23. 24. At vero contra doctrinam et praxin Quartodecimanorum alterius speciei, qui scilicet errore Ebionitico et tempus et ritum iudaicum celebrationis ex legis Mosaicae praescripto etiam Christianis servandum esse contendebant, non iam solum ad simpliciter apostolicam Traditionem *disciplinae;* sed ad divino-apostolicam Traditionem *doctrinae* appellandum erat, ex qua constat,

ritus legales ac typicos post horum adimplementum per Christum antitypum iam mortuos et, Evangelio satis propagato, etiam mortiferos esse. Exempla plura Traditionis mere apostolicae lege apud Canum (de Locis l. III. c. 5.), qui tamen paulo confusius loquitur; distinctiora sunt apud Petavium (de Ecclesiast. Hierarch. l. I. c. 1.).

3°. Ad traditionem *ecclesiasticam* pertinent instituta post tempora apostolica Ecclesiae legitime tradita. Haec potest esse Traditio particularium Ecclesiarum, vel potest esse universalis. Ex charactere universalitatis constat, eius originem vel certe confirmationem, si non est ab Apostolis, esse a suprema auctoritate ecclesiastica, quae ad Ecclesiam universam protenditur. « Illa autem quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem *toto terrarum orbe* servantur, datur intelligi *vel* ab ipsis Apostolis *vel* plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata et statuta retineri » s. Aug. ad Ianuar. ep. 54. (al. 118.) n. 1. Quamvis enim defectus universalitatis non sit argumentum decretorium ad negandam originem Traditionis vel ab Apostolis vel a suprema auctoritate ecclesiastica; universalitas est tamen argumentum certum ad alterutram asserendam: ecclesiasticam quidem, si de ortu eiusmodi Traditionis post tempora apostolica vel ex natura instituti, de quo agitur, vel ex historia constet; apostolicam vero, si quousque memoria christiana pertingit, ea semper observata reperiatur, nec posterior origo demonstrari aut rationabiliter colligi possit. Quae est ipsa regula notissima tradita a s. Augustino: « quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur » de Baptism. l. IV. c. 24.

Quamvis porro ex triplici hoc Traditionum ordine, solae divinae sint immediate et in se verbum Dei revelatum, atque ideo materiale fidei divinae obiectum; nihilominus Traditiones mere apostolicae et ecclesiasticae pro fundamento habent supernaturalem potestatem et auctoritatem, quae ipsa revelata est et fide divina credenda. Lege Stapleton Controv. l. VIII. c. 16. 17. Sicut ergo qui factis dogmaticis

in se minime revelatis, attamen ab Ecclesia definitis assensum negaret, eo ipso negaret revelatam infallibilitatem Ecclesiae; ita qui e. g. sacras cerimonias in administratione sacramentorum et celebratione sacrificii, crucis signationem in fronte, usum aquae lustralis aliasque Traditiones partim apostolicas partim ecclesiasticas reiiceret, eo ipso negaret revelatam auctoritatem et potestatem apostolicam et ecclesiasticam, quae ex assistentia Spiritus Sancti in his ad mores christianos et ad religiosum cultum pertinentibus et cum fide revelata intime nexis credenda prorsus est infallibilis: proinde fidem ipsam divinam violaret, qui huiusmodi ritus pie et sancte observari ac observandos esse inficiaretur. Merito ergo s. Basilius (de Sp. Sto. c. 27. n. 66.) de Traditionibus et observationibus non scriptis, inter quas multas enumerat mere apostolicas vel ecclesiasticas: si has, inquit, reiiciamus, « imprudentes evangelium in ipsis rebus praecipuis laedemus; immo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus. » Hinc in ipsa catholicae fidei professione spondetur: « apostolicas et ecclesiasticas Traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector... receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in.... omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. » Haec etiam causa est, cur Patres aliquando Traditiones mere apostolicas aut ecclesiasticas appellent Traditiones divinas. Ita Cyprianus ep. 68. (ad Clerum et pleb. in Hispania ed. Baluz. p. 119.) formam electionis Episcopi per Episcopos proximos eiusdem provinciae et praesente plebe, quae certissime ex Traditione ecclesiastica dumtaxat vel ad summum ex mere apostolica derivabatur, ait esse « de Traditione *divina*, et apostolica observatione. » De his distinctionibus Traditionis videri etiam potest Ioannes Ant. Bianchi (Della Potestà della Chiesa T. III. l. I. c. 4. §. 10.).

III. Ex dictis etiam intelligi possunt regulae, secundum quas divina Traditio ab alia vel mere apostolica vel ecclesiastica distinguatur. In primis si de *doctrina* agitur religiosa vel de huiusmodi *instituto, quod non nisi Deum au-*

ctorem habere potest, ut sunt signa efficacia gratiae seu sacramenta N. T., dubium non potest esse, utrum ad divinam an ad inferioris ordinis Traditionem sit referendum; est enim vel divinitus vel omnino non traditum. Sic nunc omnes Catholici divinam credunt Traditionem immaculatum conceptum beatissimae Virginis; antequam autem de hac Traditione per definitionem Summi Pontificis certo constaret, omnes iam theologi et fideles, qui eam doctrinam asserebant, non ex alia quam ex divina Traditione asserendam esse intelligebant: contra alii non sane de Traditione, qualis esset, an divina an mere apostolica aut ecclesiastica, dubitabant; sed nulla esse vel certe non satis de ea constare illis videbatur. Pariter sentiunt omnes, perinde esse negare simpliciter traditam et negare divinitus traditam *dignitatem sacramenti* in minoribus Ordinibus; cum, si talis exstaret Traditio, non posset esse nisi divina, quia solus Deus potest esse auctor sacramentorum.

In praeceptis vero et institutis ita comparatis, ut ex sua insita ratione non necessario divinae originis esse intelligantur, sed possint etiam profecta esse ex auctoritate mere apostolica vel ecclesiastica, primum quidem Traditiones *ecclesiasticae* ab *apostolicis* haud aegre discernuntur eâ regulâ, quam superius ex s. Augustino descripsimus. Quando vero in huiusmodi institutis, de quibus nunc quaerimus, constat originem esse *apostolicam*, et non posteriorem solum *ecclesiasticam*; in his pro discretione Traditionis *divino-apostolicae* et *mere apostolicae* fere sola norma eaque tutissima suppetit sensus, praxis et (ubi exstat) iudicium ipsius Ecclesiae. Vide Bellarm. De verbo Dei l. IV. c. 9; Wirceburgens. De Tradition. art. 3.

THESIS II.

De strictiori Traditionis significatione, qua a doctrinis per sacram Scripturam traditis distinguitur.

« Licet *Traditio* aliquando latiori sensu dicantur a Patribus omnia » dogmata et instituta ex antiquitate Ecclesiae transmissa, etiam qua- » tenus ut medium propagationis consideratur s. Scriptura; significatione » tamen strictiori et specifica nomine *Traditionis* subintelligitur modus » transmissionis et conservationis a Scriptura sacra diversus, quae si- » gnificatio nominis ita communis est, ut semper praesumatur, nisi al- » tera latior in singularibus contextibus demonstretur. »

Non negamus, hoc nomen *Traditio evangelica, Traditio Apostolorum,* vel cum additione diserta, *Traditio Scripturarum* quandoque a Patribus usurpari de doctrina transmissa per ipsas ss. Scripturas (vid. Thesaur. Suiceri sub v. παράδοσις); attamen significatio restrictior secundum quam *Traditio* opponitur Scripturae, diciturque, quatenus praeter Scripturam alius modus transmissionis indicatur, ita communis est, ut nomen si simpliciter enuntiatur, hoc et non alio sensu acceptum semper praesumatur. Unde Protestantes immerito exprobrant Catholicis, ac si Traditionem, quoties hoc nomen reperitur, acciperemus distinctam a Scripturis; et multo magis falluntur et fallunt, cum illa vocabuli ambiguitate abutuntur ad negandam existentiam Traditionis a Scripturis distinctae, et ad impugnanda argumenta, quae pro Traditionis strictius acceptae veritate ex monumentis antiquitatis a theologis catholicis proferri consueverunt.

1°. Itaque in ipsis Scripturis N. T. nomen *Traditio* vel verbum *tradere* saltem duodecim locis occurrit in significatione huc pertinente, nec nisi semel 2. Thess. II. 15. certo usurpatur promiscue tam de doctrina per Scripturam quam de altera oretenus tradita; in reliquis locis omnibus vel certo vel saltem probabiliter significat Traditionem non scriptam Matth. XV. 2. 3. 6; Marc. VII. 3. 5. 8. 9. 13; Luc. I. 2; Act. XVI. 4; 1. Cor. XI. 2. 23; XV. 3; 1. Pet. I. 18; 2. Pet. II. 21; Iud. 3; dubia sunt Gal. I. 14; Act. VI. 14.

2°. SS. Patres *Traditionem* diserte a s. Scriptura distinguunt, idque multipliciter. *a*) Instituta a maioribus

accepta, quae ex Scripturis probari non posse fatentur, in oppositione ad Scripturas appellant simpliciter *Traditionem, Traditionem apostolicam, Traditionem dominicam* Tertull. de corona c. 4; Cyprian. ep. 63. ad Caecil. p. 104; August. de Baptism. l. II. c. 7; l. V. c. 23. *b*) Traditionem a Scripturis diserte distinguunt non ratione doctrinae, quam contineat, sed ex modo propagationis. « Quid autem, inquit Irenaeus l. III. c. 4, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, non oportebat ordinem sequi *Traditionis,* quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum... sine charta et atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem et *veterem Traditionem* diligenter custodientes. » Vide et Tertull. de coron. c. 3. Immo Vincentius Lirinensis common. n. 32. Traditionem etiam distinguit a scripturis ecclesiasticis, ratione habita organi principis ad Traditionis conservationem, quod non scriptis libris, sed perpetuo sibi succedentibus custodibus fidei constituitur (1). *c*) Patres tamquam duo distincta exhibent Traditionem et Scripturam, dum unam cum altera iungunt tamquam duplicem fontem et duplex principium cognitionis christianae, ut Iren. l. III. c. 5. n. 1; Tertull. Praescript. c. 19; dum auctoritatem Traditionis comparant et aequalem dicunt auctoritati Scripturae, ut Basil. de Spiritu Sancto c. 27; Chrysost. in 2. Thess. hom. 4. n. 2; dum postremo Traditionem et Scripturam conferunt, quatenus ea latius, haec minus late patet, ut cum aliis Patribus Origenes de Princip. l. I. n. 2; Epiphan. haeres. 61. c. 6; Lirinen. commonit. n. 2. Atqui haec omnia partim supponunt partim constituunt communem usum loquendi, ut *Traditio* intelligatur a Scripturis distincta vel materia simul et propagationis modo vel, si materia est eadem, saltem secundum considerationem diversi modi conservationis

(1) « Hoc semper, neque quidquam praeterea haereticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a maioribus *sola Traditione* susceperat, hoc deinde posteris *etiam per scripturae chirographum* consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo » Lirin. l. c.

et propagationis. Unde etiam constat, hanc significationem nominis semper praesumi, nisi alia demonstretur; praesumitur enim significatio communis, rarior autem et minus frequens non praesumitur, nec asserenda est, nisi ex contextibus singulis demonstretur.

THESIS III.

De ordine inter Traditionem active spectatam et inter Traditionem obiectivam in methodo tractationis.

« Ubi de divina Traditione in se spectata eiusque auctoritate agi-
» tur, quaestio non tam habenda est de veritatibus traditis quam de
» Traditionis modo ac organo; huic enim alteri prior subordinatur, et
» hac soluta etiam illa soluta censeri debet. »

In hac thesi quaerimus de ipsa tractationis methodo. Potest enim de Traditione divina sermo haberi dupliciter: *a*) ita, ut potissimum quaeratur de Traditionibus sensu obiectivo, utrum praeter veritates in Scriptura propositas existant, et ad nos usque pervenerint doctrinae revelatae aut omnino non comprehensae in Scripturis, aut non ita comprehensae, ut ex solis Scripturis intelligi possint; cui deinde quaestioni velut secundo loco subiiciatur altera de modo, quo conservatae illae sint et ad nos usque propagatae. Potest *b*) potissimum et primario quaeri de ipso principio, utrum Christus instituerit alium modum, aliud organum praeter Scripturas, quo doctrina ac instituta a se ipso vel a Spiritu Sancto per Apostolos revelata aeque tuto imo secundum quid etiam tutius quam instrumento litterarum perenniter propagentur et conserventur in sua integritate ac sinceritate. Hoc ubi ita esse demonstratum fuerit, eo ipso constabit, veritates omnes hoc modo et hoc organo divinitus instituto nobis transmissas tamquam revelatas, si secundum hunc transmissionis modum a Scripturis distinctum spectentur, esse Traditiones divinas sensu illo obiectivo, et, si in Scripturis non contineantur, esse verbum Dei traditum tantum et non scriptum.

Iam vero si duplex haec quaestio in se spectetur, evidenter prior ac universalior est illa, utrum existat huiusmodi organon et modus propagationis praeter Scripturas,

prae altera utrum existant veritates propagatae modo illo a Scripturis distincto. Ceterum quaecumque ex duabus quaestionibus in ordine tractationis praeponatur, certe de auctoritate Traditionis sermo haberi nequit, quin ipse modus et organon Traditionis divinitus institutum demonstretur, cum ea auctoritas ex ipso divinitus instituto Traditionis modo derivetur, seu potius cum illo identificetur. Nihil ergo mirum, ss. Patres, ubi data opera de Traditione eiusque auctoritate sermonem habent, in eo potissimum esse, ut modum et organon Traditionis declarent et divinitus institutum demonstrent. Ita Irenaeus passim; Tertullianus in Praescript. c. 15. sqq.; Augustinus de utilit. credendi; Lirinensis in commonit. Cf. Conc. Trid. sess. IV.

Porro si rem spectemus polemice, controversia generalis et longe praecipua cum Protestantibus est de ipso principio, utrum praeter instrumentum Scripturarum sit aliquis modus et aliquod organon, quo doctrina primitus tradita a Christo et ab Apostolis sincera et integra tuto conservetur (1). Ad hoc ipsum negandum illi compulsi sunt, ut suam haeresim et negationem multorum capitum doctrinae catholicae tuerentur, quia viderunt scilicet, illo principio servato consequi sponte, doctrinam ab Ecclesia propositam et saeculo XVI a se reiectam, esse ipsam Traditionem divinam. Si enim illud organon conservationis est

(1) Protestans De Stahl ad arcendum Rationalismum anno 1856. in libro edito adversus D. Bunsen hanc statuit propositionem: « ut vera fides in hominibus singulis tuto producatur, Ecclesiae ipsius munus est totam fidem in sua veritate conservare. » Hoc principium catholicum si ille sincera fide admisisset, profecto ex Iudaismo in quo natus erat, non ad sectam rebellem Protestantium, sed ad columnam et firmamentum veritatis Ecclesiam ei transeundum fuisset. Hinc nihil mirum, continuo a magistris sectae reclamatum fuisse, et facili negotio demonstratum, hac sententia subverti ipsum fundamentum Protestantismi. Unus ex praecipuis eorum doctoribus D. Schenkel respondit: « veritas evangelica ad sui conservationem nullo indiget speciali externo (i. e. distincto) instituto; immo institutum externum (i. e. magisterium Ecclesiae) veritatem obscuravit et suffodit. Sicut autem veritas non pendet a conservatione, quae pertineat ad munus Ecclesiae, ita etiam non pendet ab Ecclesiae interpretatione; est enim unum ex principiis Lutheranis, s. Scripturam esse sui ipsius interpretem » (apud Iörg. l. c. T. I. p.139.).

ipsa successio apostolica viventis semper et indefectibilis magisterii Ecclesiae, hoc admisso iam veritates revelatae ab his ipsis depositi custodibus divinitus institutis discendae et cognoscendae sunt; ac proinde demonstrato principio illo generali quaestiones particulares de singulis Traditionibus divinis solutae censeri debent. « Ordo rerum postulabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, *a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani;* ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae (hoc est legitima successio inde ab Apostolis, et ius atque auctoritas conservandi disciplinam et fidem christianam), *illic erit veritas Scripturarum (genuinus canon) et expositionum (genuinus sensus) et omnium Traditionum christianarum* » Tertull. Praescript. c. 19.

THESIS IV.

De modo et organo propagandae doctrinae secundum ipsam oeconomiam christianam divinitus institutam.

« Dum de modo propagationis ac conservationis doctrinae et di- » sciplinae christianae quaeritur, iam ex oeconomia institutionis et » primae promulgationis historice spectata colligitur, organon conser- » vationis esse authenticum magisterium, cui Scripturae sint instru- » mentum aliquod doctrinae; non autem Scripturas esse medium unicum » conservationis doctrinae, et multo minus esse fontem religionis chri- » stianae, quam singuli independenter ab authentico visibili magiste- » rio ex eis sibi hauriant. »

Consideramus in hac thesi modum, quo Christus Dominus divinam religionem instituit et deinde per Apostolos inter omnes gentes propagari iussit, ut ex modo originis colligamus modum conservationis, utrum is sit, quem Ecclesia catholica theoretice docet et practice exhibet; an potius semen saltem aliquod aut vestigium appareat modi conservationis, quem Protestantes omnes theoretice docent, practice vero solum in negatione dogmatum, numquam tamen in affirmatione et defensione eorum quae adhuc reti-

nuerunt, contra adversarios *iure logico* sequuntur aut sequi possunt.

1°. Dei Filius ipse homo factus et cum hominibus conversatus in terris modo ad persuadendum hominibus apto in primis se ipsum legatum divinum promissum per patriarchas et prophetas et tandem missum a Patre, divina auctoritate pollentem, atque ita fide dignum demonstravit. Id egit irrefragabilibus motivis credibilitatis, miraculis (1), prophetiis a se editis et eventu confirmatis ac scrutatione cordium (2), prophetiis V. T. in ipso impletis totaque historia praecedentium aetatum, quae ad ipsum erat praeparatio et paedagogia (3), transfiguratione et prophetarum apparitione, voce paterna e coelo delapsa (4), tota ratione vitae, doctrinae ac mortis suae, habita praesertim ratione prophetiarum antecedentium et effectuum consequentium (5), tum velut omnium demonstrationum compendio et evidenti confirmatione, sua a mortuis resurrectione, quam tot ineluctabilibus argumentis et apparitionibus manifestam reddidit (6).

(1) Matth. XI. 5. cum parallelis; Io. X. 37; XV. 24; XI. 42. sqq. Evangelium Ioannis integrum habet hunc scopum praecipuum: « multa quidem et alia signa (miracula sunt signa, quia sunt demonstrationes) fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum... Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius » Io. XX. 30. 31.

(2) Matth. XXIV; Luc. XVIII. 31. sq.; Io. II. 19. sq.; XII. 32. sq.; XIV. 29. etc. Io. I. 48; II. 24. 25; XIII. 18.

(3) Matth. XXVI. 54; Luc. XXIV. 25. sq.; Io. V. 39.46; Evangel. Matthaei passim. Matth. V. 17; Luc. XVI. 16; Io. I. 17. Cf. Gal. III. 23. sq.; IV. 4; Eph. I. 10.

(4) Matth. III. 16; XVII. 2; Io. XII. 28; 2. Pet. I. 16. sq.

(5) « Incredibile est Christum resurrexisse in carne et in coelum ascendisse cum carne; incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti quibuscum agimus, credere; secundum coguntur et cernere, quod non inveniunt, unde sit factum, si non credunt tertium » Aug. Civit. Dei XXII. c. 5. Vide ibi reliqua.

(6) In Evangeliis et tota praedicatione Apostolorum. Cf. 1. Cor. XV. 3. sqq.

Porro manifestata iam ac demonstrata sua divina legatione et auctoritate, pro singulis suis doctrinis, praeceptis, institutis plenam fidem exigebat et absolutam obedientiam praemio beatitudinis et poena damnationis aeternae propositis. « Ipsum (Christum) videmus, quantum illa, cui et ipsi (haeretici) credunt, docet historia, nihil prius neque fortius quam credi sibi voluisse, cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta. Quid enim aliud arguunt tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur?... Ergo ille... miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem, quam non solum haereticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans, aliqua ex parte convelleret » s. Aug. de utilit. cred. c. 14. n. 32.

Postremo oeconomia, quam elegit ad inserenda sua instituta humano generi, ad integram fidem ac religionem divinam perpetuo duraturam stabiliendam, non ea erat, ut doctrinam et praecepta scripto libro comprehenderet, ex quo singuli sibi fidem ac religionem conformarent; quin immo docendo et praedicando instituit discipulos, et ex discipulis selegit doctores ac magistros, quibus suam communicavit auctoritatem et potestatem magisterii, imperii, et sacerdotii, atque ex his *Apostolis* (seu legatione a se instructis) ceterisque fidelibus sibi subiectam sibique tamquam capiti unitam constituit Ecclesiam, in quam quasi *in depositorium dives* plenissime contulit omnia, quae sunt veritatis (cf. Iren. l. III. c. 4. n. 1.). Liber itaque authenticus, quem scripsit ipse Christus Dominus, erant Apostoli; scriptus non atramento sed Spiritu Sancto (1), quibus

(1) « Non enim Apostoli de monte descenderunt tabulas lapideas in manibus portantes sicut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes, et thesaurum quendam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes; ita ubique circuibant libri et legum codices vivi per gratiam effecti » *βιβλια και νομοι γενομενοι δια της χαριτος ἐμψυχοι κ. λ.* Chrysost. in Matth. hom. 1. n. 1.

charismate Spiritus Sancti, auctoritate et potestate instructis subiecit ceteros fideles docendos, regendos et sanctificandos.

Prima igitur origo, ac velut *primus gradus* doctrinae et disciplinae christianae, primus et supremus fons totius subsequentis perpetuae successionis est ipse Deus factus homo, *verbo praedicationis, personali vivente magisterio.* Perpetuitati prospicit non litteris scriptis figendo doctrinam et praecepta, ex quibus litteris homines singuli sibi derivarent fidem et vitam christianam; sed prospicit perpetuitati instituendo Ecclesiam, et Apostolis cum charismate Spiritus Sancti et cum tota doctrina communicando authenticum magisterium, qui est traditae doctrinae ac disciplinae velut *gradus secundus* cum primo ut cum sua causa immediate nexus. Hunc alterum gradum consideremus distinctius.

2°. Sicut Christus Dei Filius, quamdiu versabatur in vita mortali, sua divina auctoritate revelabat veritates et tradebat divina instituta : ita instituit, ut Apostoli post suum discessum legatione pro Christo fungentes evangelium ab ipso acceptum praedicando et cum potestate docendo propagarent inter omnes gentes; ut docerent observare omnia; ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae; ut portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus; ut praedicarent poenitentiam in omnes gentes; missi ea potestate qua ipse missus fuerat a Patre Matth. XXVIII. 18. sq.; Marc. XVI. 15; Luc. XXIV. 47; Io. XX. 21; Act. I. 8; IX. 15. In hoc munere docendi et regendi eis promisit et misit Spiritum veritatis, qui doceret omnia (revelanda), et suggereret omnia quaecumque Christus ipse docuerat, et in omnem induceret veritatem; promisit se eis docentibus omnibus diebus adfuturum Io. XIV. 16; XV. 16; XVI. 13; Luc. XXIV. 49; Act. II; 1. Pet. I. 12; Matth. XXVIII. 20. Unde ex diserta Christi asseveratione, qui Apostolos audit et recipit, Christum audit et recipit, cum eorum doctrina et eorum auctoritas sit ipsa doctrina et auctoritas a Christo accepta Luc. X. 10. 16. (cum parallelis).

Modum hunc praedicandi evangelium et propagandi Ec-

clesiam a divino magistro praescriptum et institutum videmus in exsecutione rebus ipsis completum ab Apostolis. Ubique munus et auctoritatem legatorum Christi Dei sibi vindicant Rom. I. 5; X. 14. sq.; XV. 18; 1. Cor. II. 16; III. 9; IV. 1; 2. Cor. III. 6; V. 20; 1. Tim. I. 11. Signis et virtutibus Spiritus Sancti tamquam sigillis suae doctrinae, missionis auctoritatem confirmant ad exemplum Christi ipsius Marc. XVI. 20; 1. Cor. 11. 4; 2. Cor. XII. 12; 1. Thess. I. 5; Heb. II. 3. 4. Hac auctoritate docentes integrae praedicationi ut verbo non suo sed Dei postulant fidem et obedientiam, atque ita congregant fideles in Ecclesiam, cuius una est fides et una professio, quia est fides et professio saltem implicita *integrae praedicationis apostolicae* Rom. XVI. 17; Gal. I. 6-9; 2. Tim. I. 13. 14; III. 10. 14; Eph. IV. 15; Matth. XXVIII. 20.

Huic igitur auctoritati ex adverso respondet *obedientia fidei* in credentibus non liberae optionis, sed sub discrimine aeternae salutis necessaria. « Praedicate evangelium... qui non crediderit, condemnabitur » Marc. XVI. 16. Obedientia fidei praestatur quidem ipsi auctoritati Dei revelantis: « cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum sed, sicut est vere, verbum Dei » 1. Thess. II. 13. Verumtamen auctoritas revelatoris Dei immediata secundum suavem providentiam et secundum positivam Dei et Christi institutionem patefit et applicatur tum singulis tum omnibus per auctoritatem divinitus tributam et demonstratam legatorum Dei, qui mittuntur, ut per eos et divinitas locutionis et hac supposità veritates revelatae proindeque veritatum legitimus sensus suscipiantur. Obedientia ergo fidei non solum refertur ad auctoritatem Dei immediate in se spectatam, quae est fidei motivum et *obiectum formale* (ut appellari solet); sed etiam refertur ad auctoritatem legatorum Dei, per quam obiectum fidei formale et materiale applicatur. « Per quem (Iesum Christum) accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius » Rom. I. 5. (1). « Non enim

(1) *Δι' οὗ ἐλαβομεν χαριν και ἀποστολην, εἰς ὑπακοην πιστεως ἐν πασι τοις ἐθνεσιν ὑπερ του ὀνοματος ἀυτου;* accepimus apostolatum, ut annun-

audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in obedientiam gentium (1) verbo et factis » ib. XV. 18. « Consilia (λογισμους) destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (ἐις την ὑπακοην του Χριστου), in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam » 2. Cor. X. 5. 6.

3°. Ex hac indole et historia originum christianarum facile patet id, quod ex illa inferendum esse diximus in enuntiatione theseos. Auctoritas, personale magisterium authenticum, apostolica praedicatio ex una parte, et respondens ex altera parte subiectio, obedientia, et officium ab illis et per illos suscipiendi fidem quae traditur, fideique explicationem, non sunt aliquid religioni et oeconomiae christianae externum et velut per accidens in certis quibusdam mutabilibus adiunctis superadditum; sed sunt aliquid intestinum, et essentialis quaedam proprietas oeconomiae a Christo institutae. Non velut *a priori* cuivis religioni, sed *religioni christianae secundum formam a Christo ei inditam* et in superioribus demonstratam essentiale esse dicimus magisterium authenticum cum respondente sibi officio *obedientiae fidei*. Nempe non agitur de *essentia metaphysica* religionis in genere, sed de uno ex elementis essentialibus ac velut de *essentia physica* huius religionis christianae h. e. institutae in hac determinata forma a Christo, Verbo incarnato.

Iam hac relatione inter auctoritatem viventis magisterii et officium obedientiae fidei supposita, ut *elemento essentiali* in oeconomia christiana, evidenter consequitur eandem formam divinitus institutam esse *incommutabilem*, nec posse transire in aliam prorsus diversam, qua ratio viventis magisterii et auctoritatis excludatur, quin ipsa propria a divino institutore impressa indoles religionis christianae subvertatur. Atqui talis diversa et repugnans oeconomia

tiemus fidem, et auctoritate nostri apostolatus exigamus obedientiam fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, ut scilicet propter eius auctoritatem et nomen praestent obedientiam fidei.

(1) Ἐις ὑπακοην ἐθνων, ut gentes praestent obedientiam fidei.

certe ea est, qua Scriptura censetur esse fons unicus doctrinae ac religionis christianae ita, ut singuli independenter ab authentico magisterio ex libris solis eam hauriant, et libri sint unica suprema norma secundum quam singuli iudicent, quid et quo sensu pertineat vel non pertineat ad doctrinam et disciplinam christianam. Ergo oeconomia apostolica per se secundum suam primitivam formam spectata demonstrat, illum solum modum conservandae et propagandae revelationis, qui in Ecclesia catholica viget et semper viguit, esse vere *christianum,* h. e. insitum ipsi naturae religionis christianae, ut a divino fundatore instituta est et velut incorporata in sua Ecclesia; modum vero a Protestantibus confictum conservandae doctrinae in sola littera scripta, ex qua singuli in genere humano sibi suam fidem ac religionem exprimere et conformare teneantur, esse *antichristianum,* quo ipsa propria indoles a Christo suae religioni impressa subvertitur (1). Concludimus igitur: sicut ipsimet Protestantes fateri coguntur, organon princeps ad primam promulgationem christianae fidei exemplo, mandato et institutione Christi fuisse personale magisterium authenticum non autem solum instrumentum Scripturae; ita etiam ex eadem institutione conficitur, vivens authenticum magisterium manere organon perpetuae conservationis. Homogenea est origini conservatio, initiis progressio; non autem, ut ex principio Protestantium asserendum esset, diversa plane ratio apostolicae

(1) Viderunt Deformatores saeculi XVI eorumque successores deinceps, totum suum systema essentialiter repugnare fundamentis religionis christianae, ut ea hactenus viguerat et concreta exstabat in Ecclesia una, sancta, catholica et apostolica; hinc persentiebant, aut suam in orbe terrarum prorsus novam constructionem esse *antichristianam,* aut *antichristianam* proclamari oportere antiquam illam Ecclesiam. Ex latratibus his conscientiae acti sunt in incredibilem illum furorem, quo per duo saecula praedicabant, legebant expressum in Apocalypsi, ut fidei articulum credendum suis inculcabant, « Papam esse Antichristum, » et quo adhuc nuperrime in comitiis Berolinensibus notam genuini evangelii definiebant « odium contra Romam » (der Hass gegen Rom.)

originis et subsequentis propagationis, nec transitus ab una oeconomia ad aliam prorsus diversam (1).

Per se autem patet, istam quam demonstravimus divinitus institutam relationem inter authenticum magisterium et obedientiam fidei, inter docentes et discentes, certe non impedire, quominus doctrina divina etiam scriptis libris comprehendatur, destinatis tum ipsi magisterio authentico, tum qui ab illo pendent, discentibus. Magisterium tamen ipsum et auctoritas personalis docentium debet censeri fundamentalis institutio Christi Salvatoris, cui ex speciali Dei providentia ut partialis fons et instrumentum doctrinae superaddita est et commendata Scriptura. Hinc videmus institutionem illam fundamentalem diserte et multis modis declaratam a Christo et ab Apostolis (vide superius ll. cc.); praeceptum vero ad doctrinam litteris comprehendendam nec a Christo datum est Apostolis tamquam aliquid essentiale ac proprium apostolatui nec ita agnitum ab Apostolis, qui omnes certe munere a Christo instituto functi sunt, non omnes tamen libros scripserunt, multoque minus universam doctrinam libris consignandam sibi esse putarunt. Sed de hac re postea dicemus.

(1) Concedit inter Protestantes Neander (in Histor. dogm. I. 76.), « viventibus adhuc Apostolis eorum Traditionem oralem iure habitam esse ut fontem principem cognitionis christianae; » sed Apostolis defunctis iam solam Scripturam affirmat posse esse fontem cognitionis, quia Traditio non item Scriptura corruptioni est obnoxia, atque ita factam esse mutationem, cuius (ut ait) fideles ipsi initio « non erant conscii. »

Ex demonstratis in thesi patet, hanc Neandri assertionem absurdam aequivalere huic alteri: defunctis Apostolis ipsam a Christo institutam et essentialem oeconomiam christianam nihil advertentibus fidelibus continuo periisse, et aliam esse substitutam nec a Christo nec ab Apostolis umquam indicatam nec a fidelibus exspectatam.

Profecto Christus Dominus eo ipso, quod personale authenticum magisterium instituit ut elementum essentiale suae oeconomiae, etiam instituit ut hoc magisterium esset perpetuum, eoque providit, ne Traditio periculum corruptionis subiret, utque per ipsam catholicam Traditionem etiam Scripturarum canon et sensus integer servaretur. Verum illud unum est, fideles non fuisse « conscios mutationis, » quia scilicet quoad organon conservationis nulla facta est nec fieri potuit; quamvis

THESIS V.

Vivens magisterium demonstratur perpetuum organon Traditionis christianae ex disertis verbis evangelicis et apostolicis.

« Eadem perennitas et auctoritas magisterii demonstratur distin-
» ctiore consideratione verborum Christi et Apostolorum. Nam 1° verbis
» iisdem, quibus Christus Dominus Apostolos designavit authenticos
» suos legatos supernaturali veritatis charismate instructos ad doctri-
» nam a se vel a Spiritu Sancto acceptam Ecclesiis tradendam, simul
» etiam instituit perpetuam successionem legatorum, cum promisso
» charismate veritatis ad doctrinam ab Apostolis acceptam integre cu-
» stodiendam et in posteros propagandam; 2° hoc sensu perennis suc-
» cessionis Apostoli suum munus explicuerunt; attamen 3^{io} in Apostolis
» distingui debet munus *extraordinarium* ipsis personale, et munus *or-*
» *dinarium* in quo solo ex verbis commemoratis instituta intelligitur
» successio perpetua. »

In superiori thesi ex ipso modo primae revelationis et promulgationis evangelii et ex propria indole apostolatus divinitus instituti adeoque potius ex rebus et factis quam ex verborum analysi conclusimus, essentialem esse oeconomiae christianae, atque ideo immutabilem auctoritatem personalis magisterii, cui respondeat obedientia fidei; ac proinde sicut primae promulgationis ita et conservationis organon esse authenticum personale magisterium legatorum Dei, non autem Scripturas sive unicum sive princeps organon censeri posse. Nunc ex diligentiori consideratione *verborum Christi* et *explicationis ab Apostolis factae* demonstrandum est, in ipsa positiva institutione apostolatus tamquam organi authentici ad primam promulgationem evangelii etiam institutam esse perpetuam successionem apostolicam tamquam organon authenticum conservationis et propagationis evangelii. Considerabimus primum ipsam Christi institutionem, deinde eius exsecutionem quatenus in libris apostolicis exhibetur, postremo discrimen quod intercedit inter legatos divinos ad primam fidei praedicatio-

quoad organon revelationis facta sit mutatio, cuius tamen Ecclesia et Apostolorum successores optime erant conscii, ut in sequentibus thesibus patebit.

nem, et inter legatos divinos ad fidei ab Apostolis traditae custodiam.

I. Apostoli designantur ac constituuntur legati divini, eisque promittitur charisma infallibilitatis ad sinceram intelligentiam et intemeratam praedicationem totius doctrinae revelatae, ac proinde eis confertur auctoritas magisterii, cui respondet ex parte credentium officium obedientiae fidei. Testimonia potissima huc pertinentia leguntur Io. XIV. 16-18. 26; XVI. 13; Matth. XXVIII. 20. (cum Marc. XVI. 15. 16; Luc. XXIV. 47-49; Act. I. 8.). Christus (ut diserte notant Matthaeus et Marcus) illos undecim, quos iam pridem selectos ex ceteris discipulis *Apostolos* seu *legatos* suos nominaverat (Luc. VI. 13.), appellans ad suam supremam potestatem in coelo et in terra iubet docere, seu, ut habet verbum graecum, discipulos facere (μαθητεύσατε) omnes gentes, eos initiare sacramentis, et docere observare omnia sua praecepta; potestate ergo et auctoritate collata eos seiungit ab omnibus aliis, qui eis subduntur docendi. Ordinantur ipsi *testes* Iesu Christi in Ierusalem et omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae; testes non scientia solum sed auctoritate et munere imposito. Unde ii ipsi, qui omni tempore a baptismo Ioannis usque ad diem quo assumptus est Christus in coelum, cum ipso et cum Apostolis conversati erant, non ideo erant *testes;* sed necesse erat singularis assumptio et ordinatio in numerum *testium* Act. I. 21-26. Porro in hoc munere ab ipso Christo imposito docendi cum auctoritate, praedicandi, testificandi Christus promittit se futurum cum eis: « docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum » Matth. l. c.; promittit ad hoc ipsum munus testandi Spiritum Sanctum: « accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis (ut sitis) mihi testes » Act.; Luc. ll. cc. Efficientia Spiritus Sancti est quidem multiplex; sed quatenus spectatur munus a Christo impositum authentice docendi et testificandi, quod est proprium Apostolorum, eis immediate promittitur *Spiritus veritatis,* ut doceat omnia, et suggerat omnia, quaecumque dixerat eis Christus; ut doceat omnem veritatem etiam eam, quam Christo adhuc cum eis visibiliter versante nondum potuerant portare Io. ll. cc.

Hisce promissis, hoc veritatis charismate certa redditur Apostolorum infallibilitas ut legatorum Dei ad totius doctrinae revelatae praedicationem et testificationem.

Supposito hoc fundamento constat evidenter, iisdem verbis, quibus instituti sunt Apostoli legati authentici, instructi charismate veritatis per Spiritum Sanctum et per praesentem tutelam Iesu Christi, etiam institutam esse perpetuam successionem apostolicam instructam veritatis charismate per Spiritum Sanctum et per praesentem semper tutelam Iesu Christi in munere legationis divinae ad docendam et testificandam integram doctrinam revelatam. Nam verba illa Iesu Christi pertinent ad Apostolos non solum personaliter spectatos, sed quatenus repraesentant seriem perpetuam successorum usque ad consummationem saeculi. « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » (1) Matth. XXVIII. 18. sq. « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, *ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis*... apud vos manebit et in vobis erit. Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos » Io. XIV. 16. sq. Iesus Christus ergo et Spiritus veritatis est ac manet *usque ad consummationem saeculi, in aeternum* cum Apostolis docentibus, baptizantibus et baptizatos fideles in fide continentibus, h. e. cum Apostolis legatione pro Christo fungentibus, ne haec forte

(1) Consummatio saeculi *συντελεια του άιωνος* occurrit etiam Matth. XIII. 39. 40. 49; XXIV. 3. Significat ubique finem praesentis ordinis rerum et diem extremi iudicii. Igitur *άιων* est tempus mundanum seu durationis huius ordinis rerum; atque ita intelligitur in sequenti textu Io. XIV. 16. permansio Spiritus veritatis cum Apostolis « in aeternum » *ἐις τον άιωνα*, h. e. quamdiu durat hic cursus rerum. Facta igitur comparatione inter locum utrumque, quoad rem ipsam synonyma censeri debent duo incisa *έως της συντελειας του άιωνος* apud Matth. et *ἐις τον άιωνα* apud Io., quamvis modus significandi sit diversus. Directe enim significatur apud Ioannem *duratio* per quam, apud Matthaeum *terminus* usque ad quem *talis* mansio Christi et Spiritus Sancti cum Apostolis futura sit. Quod Christus apud Matth. dicit « usque ad consummationem saeculi, » s. Paulus 1. Tim. VI. 14. aliis verbis exprimit: « usque ad adventum (*μεχρι της ἐπιφανειας*, quae semper significat secundum adventum) Domini nostri Iesu Christi. »

absurde detorqueantur ad doctrinam scriptam in libris manentem. Atqui Apostoli personaliter solum spectati non manserunt usque ad consummationem saeculi docentes, baptizantes, fideles in fide continentes, eo quod etiam ipsi « morte prohiberentur permanere » (Hebr. VII. 23.). Ergo verba Christi et proinde verbis enuntiata legatio, auctoritas magisterii, et veritatis charisma pertinent ad totam successionem apostolicam, quae his ipsis verbis instituitur.

II. In executione huius institutionis Christi Domini, videmus Apostolos sibi substituere alios, qui depositi a se accepti custodes essent et doctores per Spiritum Sanctum eis communicatum et in eis manentem. « Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti... bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis » 2. Tim. I. 13. 14. Hoc aliisque modis multiplicibus Paulus instante iam tempore suae resolutionis repetit Timotheo id, quod Christus ante suum reditum ad Patrem praeceperat Apostolis. Lege 1. Tim. IV. 13. 14. 16; VI. 13. 14. 20; 2. Tim. I. 6. 8; Act. XX. 28-32.

Porro hos suos immediatos successores iubent Apostoli iisdem conditionibus iterum sibi substituere alios, quibus depositum acceptum commendent ulterius custodiendum et propagandum. « Tu ergo fili mi confortare in gratia, quae est in Christo Iesu; et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere » 2. Tim. II. 2; Tit. I. 5. 9. Apostolorum discipulus et Petri successor Clemens Romanus in sua ep. I. ad Corinth. n. 42. 44. ita hanc successionem describit. « Missus est Christus a Deo, et Apostoli a Christo... Itaque cum plena vi persuasionis Spiritus Sancti (a Spiritu Sancto acceptâ μετα πληροφοριας πνευματος ἁγιου cf. 1. Thess. I. 5.) egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes praedicantes verbum constituerunt primitias earum, cum Spiritu probassent, in Episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant... Constituerunt praedictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut, quum illi decessissent, ministerium eorum alii probati viri exciperent » (1).

(2) Κατα χωρας ὀυν και πολεις κηρυσσοντες καθιστανον τας ἀπαρχας ἀυτων, δοκιμασαντες τῳ πνευματι, ἐις ἐπισκοπους και διακονους των μελλοντων

Luculentissime agunt de hac successione alii PP. vetusti, inter quos legendus Irenaeus l. III. c. 3. n. 1. Sed de PP. alibi.

Iuxta hunc itaque ordinem successionis, quae a Christo instituta est in ipsis Apostolis ut in repraesentantibus iuridicis et in prima stirpe totius seriei (supra n. I.), etiam Apostoli iubent suos successores immediatos servare mandatum « usque in *adventum Domini nostri Iesu Christi*, quem (adventum) suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex Regum » 1. Tim. VI. 14. 15; sicut Apostoli ipsi iussi erant a Christo docere « usque ad consummationem saeculi. » Pastores et doctores ab ipso Christo dati ad aedificationem corporis Christi et ad excludendos errores tamdiu erunt, quamdiu corpus quod est Ecclesia, erit in hoc stadio, nondum consummatum scilicet in omnibus suis membris. « Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... *alios pastores et doctores* ad consummationem sanctorum in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi, *donec occurramus omnes in unitatem fidei... in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi* » (1) Eph. IV. 11-16. Atque ad hos in

πιστευειν.... κατεστησαν τους προειρημενους, και μεταξυ (cf. Act. XIII. 42.) ἐπινομην δεδωκασιν, ὁπως ἐαν κοιμηθωσιν, διαδεξωνται ἑτεροι δεδοκιμασμενοι ἀνδρες την λειτουργιαν ἀυτων.

De significatione vocis ἐπινομη lis est inter eruditos, utrum intelligendum sit *praeceptum*, *lex*, *dispositio* (νομος), an vero *ius pascendi*, *pascendi simul cum alio, pascendi in fundo alterius* (ἐπινεμω). Prior mihi significatio magis obvia et vero similior videtur, tum ex contextu tum ob particulam μεταξυ, quae certe significat *deinceps, in posterum tempus*, ut patet ex sequenti periodo in hoc ipso 44. capite Clementis. Iam vero *ius simul pascendi* non in posterum sed continuo dederunt Apostoli Episcopis a se constitutis; *mandatum* autem constituendi alios et alios successores perpetua serie recte dicuntur dedisse *pro tempore futuro*, in omne nimirum tempus usque ad adventum Domini. Ceterum etiam admissa altera significatione, qua ἐπινομην alii interpretantur *ius pascendi*, vel alii *seriem successionis*, sensus totius contextus manet idem pro causa, quam nunc agimus.

(1) Και αὐτος ἐδωκε τους μεν ἀποστολους.... τους δε ποιμενας και διδασκαλους.... μεχρι καταντησομεν ὁι παντες (universitas completa praedestinatorum).... εἰς ἀνδρα τελειον, εἰς μετρον ἡλικιας του πληρωματος του Χριστου. « Ecce qui est vir perfectus, caput et corpus, quod constat *omnibus membris, quae suo tempore complebuntur;* quotidie tamen eidem cor-

perpetua successione munus et charisma custodiendi depositum transit; dati enim sunt a Christo *pastores et doctores* in opus ministerii, « ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. » Igitur ad universitatem, ad totum corpus « pastorum et doctorum, » de quo mox dicemus, usque ad consummationem saeculi, usque ad adventum D. N. I. C. verba pertinent Christi et Apostolorum. « O Timothee depositum custodi... quid est hodie Timotheus nisi vel generaliter *universa Ecclesia* (in credendo) vel specialiter *totum corpus Praepositorum* (in docendo) (1), qui integram divini cultus scientiam vel ipsi habere debent vel aliis infundere » Vincent. Lirin. commonit. n. 27.

III. Unum reliquum est, ut demonstremus, quomodo cum praecedentibus componi possit discrimen, quod intercedit inter charisma Spiritus Sancti ut erat in Apostolis, et inter charisma eiusdem Spiritus ut est in successione apostolica. Si enim ultima declaratio voluntatis Christi Domini: « ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, » et promissio: « alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, » pertinet non ad solos Apostolos personaliter spectatos, sed ad totam apostolicam successionem; videtur consequi, charismata omnia hisce verbis comprehensa aequo modo ad omnes Apostolorum successores ac ad Apostolos ipsos protendi. Cum vero potestas in docendo et operationes Spiritus veritatis in Apostolis longe ampliores fuerint, quam in eorum successoribus, quaeritur, qua ratione pro-

pori accedunt, dum aedificatur Ecclesia.... Sicut est mensura uniusque partis, ita *totius corporis, quod omnibus suis partibus constat, est utique mensura plenitudinis* » August. Civ. Dei XXII. c. 18. cf. ib. c. 15; in Ioan. tract. 21. n. 8. De illa copulatione *pastores et doctores* vide Augustinum ep. 149. n. 11. ad Paulin.

(1) « Obedite Praepositis vestris (τοις ἡγουμενοις ὑμων) et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris redditurі » (ἀυτοι γαρ ἀγρυπνουσιν ὑπερ των ψυχων ὑμων, ὡς λογον ἀποδωσοντες) Heb. XIII. 17.

missiones illae, *in aeternum* et *usque ad consummationem saeculi*, ut verba Christi expresse habent, intelligendae sint.

Ut res explicetur, primum considerari oportet munera in ipsis Apostolis instituendo comparationem cum muneribus successorum ex aliis doctrinae capitibus, si quae suppetunt; in citatis enim verbis de huiusmodi comparatione nullus est sermo, adeoque ea *in istis verbis* per se et seorsum spectatis nec includitur nec excluditur. Post hanc deinde comparationem facile intelligetur, quomodo non omnia quidem munera Apostolorum, attamen illud quod hisce verbis directe exprimitur, promittatur in perenni successione perpetuum.

1°. Tria ad rem praesentem in Apostolis consideranda sunt: *a*) ut revelationem immediate a Christo vel a Spiritu Sancto susceperunt, et ipsi constituti erant organa authentica *novarum revelationum*, quibus tota revelatio compleretur et consummaretur; *b*) ut erant instructi a Christo auctoritate pastorum, doctorum et custodum fidei *singuli pro universa Ecclesia; c*) ut *omnibus in communione et unitate cum Petro et sub Petro* spectatis tamquam uni corpori episcopali concreditum erat munus pascendi et docendi ac commissa fidei custodia pro universa Ecclesia. Hoc postremum in Apostolis non poterat esse seiunctum a primo et secundo, utpote charisma comprehensum in illo superiori; per se tamen separabile est, ac desinente primo et secundo permanere potest. In *apostolatu* inclusus erat *episcopatus;* attamen si ille erat *personalis et incommunicabilis*, poterat hic esse *communicabilis* et *propagandus* usque ad consummationem saeculi.

a) Iam ex his tribus primum *personale* fuisse Apostolis, ita ut nullo modo communicandum fuerit adeoque nec promissum successoribus, aliunde certo constat. Hi enim doctrinam revelatam accipiunt ab Apostolis ut *depositum* custodiendum, et in ea iubentur permanere. « Tu autem assecutus es meam doctrinam.... permane in iis, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris » 2. Tim. III. 10. 14; cf. 1. Tim. IV. 5; 2. Tim. I. 13. Ecclesiis nihil commendatur impensius, quam ut perma-

neant in doctrina quam didicerant, in traditione quam acceperant ab Apostolis Rom. XVI. 17; 1. Cor. XI. 2; Coloss. II. 7; 2. Thess. II. 15; Heb. XIII. 7-9. Christus per se ipsum et per Spiritum Sanctum Apostolos docuit *omnia*, quae voluit comprehendi in revelatione ad unitatem fidei pro sua Ecclesia Io. XIV. 26; XVI. 12. 13; XVII. 17-21. Revelavit autem haec *omnia* h. e. *totum depositum* non solum ad credendum et sciendum; sed ut suis legatis ad docendum Matth. XVIII. 20; Io. XVII. 17. 20. Ergo praeter haec *omnia* ab Apostolis tradita, revelatio alia pertinens ad *depositum Ecclesiae* futura post Apostolos non solum non promittitur, sed excluditur. Hinc sicut omnes fideles « superaedificati sunt super fundamentum Apostolorum et Prophetarum » Eph. II. 20; ita quavis aetate christiana semper habebantur velut synonyma non modo *doctrina apostolica* et *doctrina divinitus revelata ac credenda,* sed etiam *doctrina non apostolica* et *doctrina non pertinens ad depositum revelationis catholicae.* Cf. Stapleton Controvers. l. V. c. 7. Hoc caput de revelatione in ipsis Apostolis completa diligentius suo loco demonstrabimus.

b) Porro neque praerogativam alteram Apostolorum, quam indicavimus secundo loco, ad singulos successores transiisse aeque manifestum est. Restringitur enim singulorum Episcoporum auctoritas et ius pascendi ad singulas Ecclesias, vel certe non extenditur in Ecclesiam universam. Iam Apostoli constituebant et iubebant constitui Episcopos *per singulas civitates* (κατα πολιν) Tit. I. 5. 7, vel ut loquitur Clemens Romanus (vide superius), « Apostoli praedicantes evangelium per regiones et civitates (κατα χωρας και πολεις), harum primitias probatas Spiritu constituerunt Episcopos eorum, qui credituri (in illis) erant » ep. I. ad Corinth. n. 42. Unde Petrus monet « consenior seniores » et pastores, quorum omnium princeps est ipse Christus, non ut singuli pascant gregem Dei universum; sed « pascite, inquit, *qui in vobis est* gregem Dei, providentes » (ἐπισκοπουντες i. e. fungentes sacro munere, ex quo iam ab Apostolis et deinceps semper *Episcopi* appellati sunt) 1. Pet. V. 1-4. Eodem fere modo Paulus cohortatur « seniores Ecclesiae » Asiae:

« attendite vobis et *universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos* regere (ἐπισκοπους ποιμαινειν) Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » Act. XX. 28. Locus hic, praesertim si simul conferatur cum altero Petri, mirificus est. Dum Paulus in ultimo inciso appellat *Ecclesiam Dei* cum articulo (την ἐκκλησιαν του θεου), acquisitam ipsius Dei sanguine, profecto universa Ecclesia significatur, non solum singularis tamquam pars totius. Porro totum incisum « regere Ecclesiam Dei, » pendet a nomine « *Episcopos* » pluralis et indeterminati numeri, ita ut « regere Ecclesiam Dei » exprimat proprium munus et charisma Episcoporum in communi, idemque sit sensus ac si diceretur: Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos, quorum, si generatim et in communi spectentur, proprium munus est regere Ecclesiam Dei. At si singuli considerentur, et personaliter ii quos Paulus alloquitur, non sunt positi singuli ad regendam universam Ecclesiam Dei; sed iubentur pascere gregem illum quisque suum, in quo positus est per charisma Spiritus Sancti (1) (cf. Zaccaria Antifebron. dissertat. II. c. 7; Antifebronius vindicatus T. I. dissert. III. c. 5. n. 9.). Nam incisum « in quo vos posuit, » evidenter restringens est ad gregem particularem; ac proinde Pauli verba: « *gregi in quo vos posuit Spiritus Sanctus,* » parallela sunt illis Petri: « *gregem qui in vobis est.* » Unde epitheton « *universo* gregi » (παντι τῳ ποιμνιῳ) significat non *absolute universum,* sed *totum illum* gregem, in quo unusquisque

(1) Praeclare totam hanc doctrinam et distinctionem episcopatus in communi et Episcoporum singulorum tamquam eius partem tenentium expressit s. Cyprianus verbis illis notissimis. « Unitatem (Ecclesiae) similiter tenere et vindicare debemus maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur...* » Cypr. de unitate Ecclesiae ed. Baluz. p. 195. « Copiosum corpus est sacerdotum, concordiae mutuae glutine atque unitatis vinculo (caput visibile unitatis visibilis est gluten et vinculum) copulatum.... Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus (unam Ecclesiam pascit episcopatus in unitate copulatus), et oves universas quas Christus sanguine suo et passione quaesivit (cf. Act. XX. 28), colligere et fovere debemus » Id. ep. 68. al. 67. ad Stephan.

est positus. De doctrina et praxi totius antiquitatis christianae vide Franc. Antonium Zaccaria in Antifebronio l. c. Cf. Conc. Trid. sess. 23. cap. 4; Conc. Vatican. Constit. I. de Ecclesia cap. 3.

Igitur potestas Apostolorum quoad universam Ecclesiam iis singulis erat a Christo collata personalis, in qua nullos habituri erant successores. In solos singulos successores principis Apostolorum transit potestas regendi et authentice docendi Ecclesiam universam, quia in Petro non quidem simpliciter apostolatus, sed primatus tamquam petra et fundamentum totius Ecclesiae institutus est perpetuus, quamdiu ipsa Ecclesia fundata in hac petra portis inferi invicta permanebit Matth. XVI. 18. Sed huius veritatis demonstratio ad alium tractatum pertinet.

c) Cum ex demonstratis in I et II parte huius theseos constet, munus authentice docendi universam Ecclesiam et custodiendi integrum fidei depositum sub promissa tutela Iesu Christi et assistentia Spiritus Sancti in ipsis Apostolis institutum fuisse perpetua successione usque ad consummationem saeculi propagandum; ex dictis autem in hac III parte aeque certum sit, hanc perpetuitatem non fuisse institutam quoad ipsum apostolatum *novarum revelationum* et *magisterii universalis cum charismate veritatis in singulis:* illud unum remanet, ut Apostoli quatenus in eis perpetua successio instituta est cum charismate docendi et custodiendi depositum pro universa Ecclesia, spectari debeant eo dumtaxat modo, quem tertio loco indicavimus. Christus Dominus nimirum non modo singulis contulit charisma *apostolatus;* sed etiam totum collegium *in unione cum Petro et sub Petro capite instituit ut primum corpus episcopale,* dum huic corpori in hac unitate dixit: « docete... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi »; « alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. » Hoc autem ipso *corpus episcopale in illa unitate* cum charismate veritatis instituit permansurum perpetua successione usque ad consummationem saeculi.

2°. His declaratis difficultas, quae contra demonstratio-

nem in I parte theseos datam promoveri solet, facile expedietur. Difficultas ita habet. In verbis Christi Domini Matth. XXVIII; Io. XIV: « docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum; dabit vobis Spiritum veritatis, » confertur vel promittitur Apostolis potestas et infallibilitas in docendo. Si ergo illa verba dicta sunt Apostolis, quatenus repraesentabant totam seriem successorum suorum; eadem potestas et infallibilitas eodem modo, quo Apostolis, promissa est omnibus eorum successoribus. Atqui in Apostolis illud charisma pertinebat tum ad novas revelationes per Spiritum Sanctum tum ad universalem potestatem et ad infallibilitatem in eis singulis. Ergo eadem charismata singulis eorum successoribus promissa censeri deberent. Hoc autem cum aliunde manifesto falsum esse constet, verba non possunt intelligi dicta Apostolis, ut suos successores repraesentabant, ideoque pro his nulla ibi promissio continetur.

Responsio patet ex iis, quae tum I. tum III. parte demonstravimus. *a*) In verbis Christi Matth. XXVIII. et Io. XIV. diserte instituitur magisterium universale cum charismate veritatis *perpetuum,* adeoque futurum non modo in Apostolis sed in eorum heredibus, *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, in aeternum.* Ergo mandatum ac promissio Christi *in hisce verbis,* « docete omnes gentes baptizantes eos, et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, » « ut maneat vobiscum in aeternum Spiritus veritatis, » *directe* enuntiant tantummodo magisterium et cum eo nexum charisma veritatis *ordinarium* h. e. perenniter ad successores propagandum, non autem omnia charismata, quae forte *extraordinaria* solis Apostolis collata esse aliunde constet. *b*) Verba diriguntur *ad collegium apostolicum in unione cum Petro,* verba quidem promissionis Io. XIV, postquam iam Petro promissum erat, ipsum unum inter omnes Apostolos fore petram totius Ecclesiae, ut portae inferi numquam praevaleant adversus eam (Matth. XVI); verba autem mandati et institutionis Matth. XXVIII, postquam Petrus singulariter iam institutus fuerat pastor et rector omnium ovium Iesu

Christi (Io. XXI). Hinc magisterium universale *ordinarium,* quod confertur verbis « docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos (baptizatos) servare omnia, » et charisma veritatis quod cum eo nexum promittitur item *ordinarium,* « et ecce ego vobiscum usque ad consummationem, » « Spiritus veritatis manebit vobiscum in aeternum, » *potest* intelligi promissum et collatum *toti collegio* seu *corpori apostolico in unione cum suo capite et sub suo capite Petro,* non autem singulis per sese; *debet* ita intelligi, quia aliunde constat (ut demonstravimus), magisterium universale et cum hoc nexum charisma infallibilitatis *in singulis Apostolis* (excepto capite Petro), non fuisse *ordinarium,* de quo directe agitur Matth. XXVIII et Io. XIV, sed praerogativam apostolatus *extraordinariam.* c) Eadem omnino valent de praerogativa *novarum revelationum.* Verba « docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum, » « Spiritus veritatis apud vos manebit in aeternum, » per se promittunt et instituunt infallibile magisterium *revelationis factae,* non autem promittunt *novas revelationes.* Quando Christus Dominus Io. XVI. 12. 13. has per Spiritum Sanctum futuras promisit, non modo nihil dixit de perpetuitate *in aeternum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* sed imo expresse spectabat Apostolos personaliter, qui multa adhuc dicenda nondum poterant portare. Saltem ergo *possunt* verba Matth. XXVIII. et Io. XIV. intelligi de infallibili praedicatione *revelationis factae* et custodia depositi commissi, quin extendantur ad promissionem *novarum revelationum;* porro *debere* ita intelligi, constat, quia illis verbis instituitur magisterium et charisma *ordinarium* perpetuo duraturum; charisma autem *novae revelationis catholicae* non esse perpetuum in Ecclesia Iesu Christi, sed fuisse *extraordinarium* nullatenus permansurum ultra tempora apostolica, aliunde probatum iam est, et inferius data opera demonstrabitur.

Ex dictis etiam liquet, non eodem omnino modo in Apostolis sese habuisse praerogativam universalis et infallibilis magisterii ac alteram promulgandae novae revelatio-

nis. Illud *collegio apostolico* in unione et subordinatione cum suo capite Petro, ut iuridice repraesentabat perpetuo futuram Ecclesiam docentem, h. e. episcopatum catholicum formatum et informatum suo capite, perenni Petri successore, *erat ordinarium;* pariter *vi primatus* sicut magisterium universale ita cum hoc nexum charisma infallibilitatis *ordinarium* erat Petro, atque adeo utrumque collatum hereditario iure transmittendum ad singulos suos in primatu successores; reliquis Apostolis *vi apostolatus* minime hereditarii utrumque erat *singulis extraordinarium.* Contra vero praerogativa altera novae revelationis Petro non secus ac aliis Apostolis sive singulis sive omnibus simul spectatis erat *extraordinaria,* nec in successores Petri nec in totum episcopatum propaganda.

Si nunc adhuc opus sit in forma respondere difficultati initio propositae, ita habeto. *Distinguo maiorem:* illis verbis quae sunt apud Matth. XXVIII. et Io. XIV, promittitur Apostolis ea potestas et infallibilitas in docendo, quae permansura sit *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, et *in aeternum*, hoc est *ordinaria;* et ideo *haec verba directe* referuntur ad totum corpus apostolicum in unione cum capite Petro, non autem ad singulos per sese, atque ad infallibiliter docendam et custodiendam revelationem factam, non autem ad novam revelationem, *concedo maiorem.* Directe enuntiantur *hisce verbis* omnia charismata potestatis et infallibilitatis etiam *extraordinaria,* quae Apostolis *vi apostolatus* collata fuisse aliunde constat, *nego maiorem.* Unde etiam *distinguo consequens maioris:* ea potestas et infallibilitas quae *his verbis* promissa est *ordinaria* collegio apostolico in unione cum Petro, etiam promissa est eodem modo successoribus h. e. toti corpori successorum in unione cum successore Petri, *concedo consequens;* promissa est quaevis potestas et infallibilitas etiam *extraordinaria,* de qua in Apostolis sive omnibus sive singulis aliunde non vero *directe ex his verbis* constat, *nego consequens.* Eadem ratione *distinguo minorem:* nova revelatio et potestas universalis ac infallibilitas in *singulis* Apostolis pertinebat ad charismata *extraordinaria,* de quibus non *di-*

recte ex his verbis sed aliunde constat, *concedo minorem;* haec charismata *extraordinaria* directe enuntiantur his verbis, quibus promittuntur dona permansura in aeternum, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, *nego minorem.* Unde patet, quid veri et quid falsi subsit in ultima conclusione.

Dixi autem, verbis Matth. XXXVIII. et Io. XIV. *directe* enuntiari munus dumtaxat *ordinarium* in apostolico collegio, quatenus munus iungitur ibi cum promissione perennitatis; nam praescindendo ab hac institutione propagationis ad successores, non nego, mandatum docendi omnes gentes ac promissionem tutelae Christi et Spiritus veritatis in verbis eisdem *indirecte* et ampliori significatione simul etiam extendi posse ad charismata *extraordinaria* apostolatus.

THESIS VI.

De intimo nexu principii Traditionis cum necessariis proprietatibus religionis christianae.

« Oeconomia custodum fidei, quam ad integrae revelationis conser» vationem et propagationem a Christo institutam esse ex historica ori» gine religionis christianae probavimus, 1° intimo causali nexu cohaeret » cum universalitate et unitate fidei, ita ut sine illo *principio Tradi» tionis* hae proprietates etiam solum spectatae, quatenus evidenter in» telliguntur necessaria postulata religionis christianae, consistere non » possint, nisi concedatur in alio prorsus ordine, qui nuspiam existit, » charisma infallibilitatis omnibus fidelibus commune. Hinc 2° intelli» gitur, Protestantismum universum in multiplices sectas invicem con» trarias distractum repugnare essentiali proprietati religionis divinae, » cum haec divisio consequatur ex ipso eorum principio fundamentali, » quin sectarum ulla ex censu communionis Protestanticae iure excludi » possit; sic dictam vero eorum communionem orthodoxam consistere non » posse, nisi ita ut principium ipsum, quo suam ab Ecclesia defectionem » tuentur, iterum negent, sicque totam causam manifestis contradictio» nibus implicent. »

I. In prima parte huius theseos ostendimus, modum Traditionis superius demonstratum ex institutione Christi, custodes scilicet fidei tamquam organon perpetuum conservandae revelationis, cohaerere intime tamquam principium

et causam cum necessariis characteribus christianae revelationis, qui sunt *universalitas* ac *unitas*.

1°. Sumimus hanc revelationis *universalitatem* sensu latiori, quo eius necessitas, et ex hac necessitate etiam exigentia illius modi Traditionis evidentius intelligatur. Nomine itaque *universalitatis* significamus modum proponendi revelationem accommodatum iis omnibus, quibus proponenda est, ita ut sine periculo erroris possibilitate morali credere possint, et credere teneantur. Talem universalitatem in hypothesi, quod Deus aliquid revelaverit, et multo magis in hypothesi quod revelationem suam destinaverit *omnibus gentibus*, et *omni creaturae* (Matth. XXVIII. 20; Marc. XVI. 15.), exigi a sapientia et bonitate Dei, est prorsus evidens. Atqui exclusa revelatione immediate facta singulis, modus conservandi revelationem pridem completam et eandem proponendi *omnibus gentibus* ita, ut dictum est, omnibus accommodatus, nullus est nisi per auctoritatem legatorum Dei, qui in hac sua missione et auctoritate sint facile cognoscibiles. Ergo ab ea oeconomia legatorum Dei, quae instituta est ad perpetuam custodiam et praedicationem revelationis pridem consummatae, tamquam a causa et principio pendet haec necessaria proprietas universalitatis. Probatur propositio minor. Seclusa enim revelatione immediata et exclusa auctoritate facile cognoscibili legatorum Dei, a quibus praedicatio et doctrina tamquam verbum Dei suscipi possit et debeat, non quia argumentis demonstratur, sed quia authentice ab eis proponitur, nullus alius restat propositionis modus nisi per demonstrationem, qua quis sine periculo et sine prudenti formidine errandi argumentis convincatur, non solum generatim revelationem et revelationem christianam esse a Deo factam, in quo nulla esset insuperabilis difficultas; sed imo speciatim hanc determinatam seriem veritatum, praeceptorum, institutorum, et hoc determinato sensu esse revelatam, et sincere ac integre per saeculorum decursum ad nos usque conservatam; omnes vero illos plurimos homines etiam fama ingenii et doctrinae celebres errasse et errare, qui vel non has omnes veritates vel his plures vel non hoc sed alio sensu admi-

serunt et admittunt ut revelatas. Haec inquam omnia ita essent demonstranda singulis, ut non propter auctoritatem demonstrantis sed propter rationes perspectas, certa persuasione et sine errandi periculo aut formidine suscipi possint ac debeant. Paucis, seclusa auctoritate Ecclesiae ad conservandam et explicandam revelationem quae non fiat immediate singulis, sola restat demonstratio scientiae. Atqui evidenter scientia non est accommodata omnibus hominibus, et tanto oneri saltem longe maxima pars hominum est plane impar. Dixi saltem maximam partem imparem, quia hoc immediate evidens est et ad praesentem nostram thesim abunde sufficit; ceterum si de universa revelatione agitur, facile moralis impossibilitas universim et quoad omnes demonstrari posset; quoad res enim fidei ante fidem susceptam omnes *stulti* sunt, ut multis disputat s. Augustinus l. de util. credendi. Ergo praeter auctoritatem legatorum Dei nullus est modus accommodatus proponendi fidem revelatam *omnibus gentibus*.

Duplicem video posse et solere fieri exceptionem contra hanc demonstrationem: primam quidem, quod gratia illustrationis internae supplet defectum propositionis externae; alteram, quod rudibus et indoctis, qui inquisitioni et demonstrationi tam multiplici et difficili pares non sunt, consuli potest auctoritate licet mere humana et scientifica doctorum.

At enim gratia in primis internae illustrationis sane necessario coniungitur cum propositione fidei externa etiam maxime accommodata, ut assensus possit esse sicut oportet, supernaturalis; gratia vero quae suppleat ipsam propositionem externam, quia haec aut nulla est aut, quod eodem fere recidit, non idonea, et qua ideo singuli uti non possunt, talis inquam gratia illustrationis est revelatio immediata vel simpliciter vel aequivalenter. Dari huiusmodi illustrationes etiam in praesenti oeconomia tamquam charisma extraordinarium, quod Deus aliquando in ordine psychologico supernaturali concedit, nullum est dubium; nec etiam contendimus, absolute repugnare oeconomiam, in qua charisma revelationis immediatae pro singulis esset ordi-

narium, ubi de propositionis externae necessitate iam nulla esset quaestio; at realiter et historice talem ordinem revelationis nec promissum esse nec umquam exstitisse nec existere, prorsus constat. De modo, quo Protestantes talem revelationem sibi propriam vindicabant, inferius dicemus.

Ad alteram propositam difficultatem non utemur illa responsione, in tali hypothesi fidem mere humanam fore, utpote innixam auctoritati tantum humanae; existimamus enim auctoritatem mere humanam posse esse medium, quo auctoritas revelatoris Dei innotescat et nobis applicetur ita, ut in actu fidei assensus non praestetur propter auctoritatem humanam sed unice propter auctoritatem divinam; quae controversia est alterius loci. Neque illud dicam quamvis verissimum, hanc exceptionem polemice nomine Protestantium fieri non posse; illi enim auctoritatem etiam ipsius Ecclesiae in negotio fidei ex suo fundamentali principio reiiciunt ideo, quia aiunt auctoritatem hanc esse humanam, in rebus fidei autem nulli humanae sed soli divinae auctoritati locum esse posse. Quamquam re ipsa, ut mox patebit, auctoritati divinae a Protestantismi auctoribus et doctoribus substituta est auctoritas humana, quam saltem plebes Protestantes quatenus contra auctoritatem divinam Ecclesiae catholicae protestantur, omnes sequuntur. Nunc autem non solum polemicam adversus Protestantes sed generaliorem ex ipsa rei natura quaestionem habemus de necessaria et idonea fidei propositione, ut haec possit esse universalis. Responsio itaque est alia magis generalis et evidens. In obiectione supponitur fundamenti instar, illos homines doctos, de quorum scientifica auctoritate sermo est, absque periculo et prudenti formidine erroris pervenisse sua inquisitione scientifica ad plenam certitudinem, quae omnes et solae veritates et quo determinato sensu in revelatione contineantur, et praeterea ita illuc pervenisse, ut haec illorum plenissima scientia indoctis et rudibus certo innotescat, nec hi de aliquo illorum errore prudenter suspicari possint. Atqui hoc utrumque suppositum falsum esse convincitur ex natura et indole et difficultate veritatum fidei, ex diversitate ingenii et eruditionis hominum docto-

rum, ex nascente inde in omnibus difficilibus quaestionibus, in quibus auctoritatis norma deest, diversitate sententiarum inter doctissimos quosque, ex impotentia rudium prudenter iudicandi de illorum hominum certa scientia, et multo magis discernendi inter verum et falsum in sententiarum diversitate et oppositione. Unde fit, ut haec mere humana et scientifica auctoritas eruditorum pro rudibus non solum nullum sufficientis certitudinis fundamentum foret sed nova dubiorum seges, ex qua moralis impossibilitas propriâ inquisitione perveniendi ad liquidum pro eis augeretur, nihilque aliud certum remaneret praeter hoc unum, quid in negotio fidei verum, quid falsum sit, inveniri non posse, adeoque nec inquiri debere. Maneat ergo, quod probavimus, praescindendo ab immediata revelatione facta singulis nullum esse modum conservandae et proponendae revelationis accommodatum *omnibus gentibus* praeter auctoritatem facile cognoscibilem custodum et doctorum fidei, qui divinitus missi ac constituti perpetua successione sese excipiant; hanc ergo oeconomiam cum essentiali charactere *universalitatis* proprio divinae revelationi cohaerere tamquam causam cum suo effectu (1).

(1) Est haec insignis argumentatio s. Augustini in toto libello de utilitate credendi. « Nihil igitur nobis restare modo vides, quamdiu stulti sumus, si nobis vita optima et religiosa cordi est, nisi ut quaeramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiae.... evadere aliquando possimus... Si Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium.... et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum Deoque serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur; non est desperandum, *ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam*, quo velut gradu certo innitentes attollamur in Deum. Haec autem, seposita ratione quam sinceram intelligere, ut saepe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis partim sequentium multitudine... Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus (iuxta latius ibi enumerata motiva credibilitatis, quibus auctoritas instituta divinitus facile cognoscibilis est), dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen aucto-

2°. De *unitate* fidei vix aliud reliquum est dicendum; argumentum enim demonstrans nexum authentici magisterii cum necessaria fidei universalitate, etiam demonstrat eiusdem nexum cum fidei unitate, quae ab universalitate distingui quidem non tamen separari potest. Quando Deus veritates revelat, in facto ipso revelationis continetur divinum necessarium praeceptum ad rationalem creaturam, cui revelatio destinata est, eas veritates *omnes* credendi. Est id evidens ex ipsa notione auctoritatis, sapientiae et sanctitatis Dei revelantis, et ex notione dependentiae, indigentiae, ac ordinationis ad verum et bonum ex parte creaturae rationalis. Proinde ex notionibus iisdem evidens est, Deum revelatorem necessario velle voluntate legifera unitatem fidei et professionis in eiusdem universalitate. Atqui cum hac unitate fidei institutio legatorum Dei, qui infallibili auctoritate fidem integram conservent et doceant, ita cohaeret, ut illa ex hac sponte sequatur, et sine hac (praecisione facta ab hypothesi manifesto falsa revelationis immediatae, quae fiat singulis) esse non possit. Si enim et auctoritas magisterii et immediata saltem aequivalens revelatio (1) seponitur, totum negotium ex superius demonstratis necessario revocatur ad propriam singulorum inquisitionem, quae, ut pariter ex superioribus constat, spectata

ritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino quam tanto labore (l. robore) praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina quamvis vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum (mysteriorum) libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare? » Aug. l. c. n. 27. 34. 35.

(1) Nomine *revelationis immediatae,* si id monere opus est, hic semper intelligimus manifestationem veritatis, quae a Deo ipso fiat nullo interposito medio. Adeoque hoc sensu revelatio aut revelationis interpretatio facta per legatos Dei est mediata. Alio longe sensu quandoque immediata revelatio dicitur omnis revelatio supernaturalis in oppositione ad manifestationem Dei naturalem, quae aliter distinguuntur nomine revelationis proprie et improprie dictae.

indole et difficultate veritatum de quibus agitur, et spectata ingenii, scientiae, cupiditatum varietate non ad fidei unitatem, sed ad opinionum diversitatem gignendam est idonea.

II. Quae ex ipsis rerum naturis et velut *a priori* demonstravimus, confirmantur luculentissime *a posteriori*, factis scilicet patentibus, quibus componitur tota historia Protestantismi. Ostendimus ex ipsis rerum naturis, sublata auctoritate legatorum Dei, qui continua successione fidei depositum conservent, nullum alium remanere modum quo fides proponatur singulis, quam sive formalem sive aequivalentem revelationem immediatam ad singulos, aut inquisitionem per modum scholae a singulis instituendam; hoc autem posito fidei unitatem in eiusdem universalitate conservari non posse. Atqui tota historia Protestantismi inde a sua origine usque ad hanc aetatem constanter, semper et ubique non solum in multiplicibus integris sectis sed in singulis etiam hominibus has easdem conclusiones rebus ipsis exhibuit et exhibet, quin ullum possit adferri factum, in quo illae verae non esse deprehendantur.

Sane primi iam sic dicti Reformatores cum auctoritatem magisterii et custodiae fidei in Ecclesia negabant, ei continuo substituebant inspirationem singulorum, qui legunt Scripturas, saltem aequipollentem revelationi immediatae. Videbant enim inter haec tria, inter auctoritatem magisterii, inquisitionem relictam singulis, et immediatam revelationem seu inspirationem singulorum nihil esse medium; reiecta ergo prima, cum ad secundam simpliciter et sine temperatione appellare non auderent, reliquum erat, ut ad tertiam confugerent. Docebant ergo, Scripturam sacram esse omnibus perspicuam claritate supernaturali, eo quod verbum Dei scriptum, quando legitur vel auditur, virtute sua insita quae est virtus Spiritus Sancti, singulos illuminat et sanctificat, ut verum et genuinum sensum facile intelligant, atque ita pro singulis immediate ipsum Spiritum Sanctum esse interpretem et doctorem: « quisque iudex liberrimus sit omnium qui docent eum, *intus a Deo solo doctus* » (vide supra p. 9.). Illuminatio itaque non est solum

gratia ad supernaturalem fidem necessaria, quam Catholici concedunt et credunt; sed est illuminatio, quae externum excludit authenticum magisterium, et per quam singuli constituuntur iudices omnium docentium, quo nomine intelligitur praeprimis ipsa Ecclesia. Unde etiam theologi Protestantes e. g. Gerhardus (in Locis l. I. De Interpret. Script.) docere solent, illam sententiam, qua Scriptura sui ipsius interpres dicitur, idem valere ac Spiritum Sanctum esse interpretem sui proprii sensus. Cum vero hanc interpretationem factam a Spiritu Sancto asserunt esse charisma ordinarium pro singulis Scripturam legentibus, ut excludant necessitatem authentici magisterii, evidenter asserunt singulorum inspirationem, seu revelationem immediatam saltem aequivalentem. Modum huius illuminationis, ut eum primi ipsi Reformatores concipiebant, ita describunt: « quum primum aliquod Dei verbum (in Scriptura) existit, virtus Spiritus Sancti est cum illo inseparabiliter semper coniuncta ita, ut virtus et efficacia verbi cum virtute Spiritus Sancti sit prorsus una eademque, vere divina, nec magis verbum quam ipse Spiritus Sanctus sine hac virtute esse vel cogitari possit » (Schmid Dogmatica Lutherana).

Tali modo illuminationis per ipsum Spiritum Sanctum supposito, nihil opus esset auctoritate legatorum Dei ad certam et infallibilem intelligentiam verbi revelati. Unusquisque sibi sufficeret, et sibi ipsi esset Ecclesia; unitas porro fidei sponte sequeretur, cum singulis unus Spiritus veritatis, qui non potest sibi ipsi repugnare, cognitionem divinae revelationis et veri sensus in lectione vel auditione verbi *ex opere operato* infunderet.

At vero hanc immediatam inspirationem tamquam ordinarium charisma singulorum ita efficax, ut ad fidei universalitatem ac unitatem authenticum magisterium non sit necessarium, merum esse figmentum, luculentissime suis gestis Reformatores ipsi et tota Protestantismi historia demonstrarunt, ne hic argumenta repetamus, quibus superius divinitus institutam ostendimus eam oeconomiam, ut obedientia fidei in singulis usque ad consummationem saeculi respondeat authentico magisterio et custodiae fidei, quae

concredita est successioni apostolicae. Enim vero, mendacium huiusmodi charismatis, quod Reformatores sibi suisque sectatoribus vindicabant, demonstrant contrariae et contradictoriae sententiae horum hominum inspiratorum in gravissimis christianae doctrinae capitibus, et unius eiusdemque hominis e. g. ipsius Lutheri diversis temporibus diversa iudicia de sensu revelatae doctrinae; tum universim factum historicum, quod persuasio huius inspirationis non principium erat unitatis fidei sed innumerabilium sectarum, quae omnes a Spiritu Sancto doctae non solum suas invicem et ipsorum Reformationis auctorum doctrinas oppugnabant et oppugnant, sed etiam igne et ferro grassantes olim Germaniam, Galliam, Belgium, Scotiam, Angliam stragibus repleverunt.

Iam si haec singulorum inspiratio re ipsa tamquam ordinarium charisma nulla est, interpretatio illa independens a quavis auctoritate revocatur, si non ad fanaticum furorem, ut in multis accidit, ad inquisitionem privatam et ad ingenium singulorum. Hac autem posita, fidei unitatem in universalitate ostendimus esse impossibilem. Id Protestantes ipsi, cum experientia evidenter inanem demonstrasset singulorum inspirationem, facile intellexerunt. Hinc qui aliquam religionem positivam et communionem doctrinae salvam volebant, principium auctoritatis, cuius negatione suam defendebant defectionem ab Ecclesia, vel solum practice et modo agendi vel etiam theoretice et in doctrina postliminio revocabant, sicut ipse Lutherus (1), nihil sol-

(1) Fatentur id nunc passim Protestantes ac discernunt *duplicem Lutherum*, unum ante annum 1525. seu ante magnas rebelliones in Germania excitatas per illum spiritum qui fanaticos homines invaserat, alterum post annum 1525. Lutherus prior ad pertrahendos miseros populos in defectionem ab auctoritate Ecclesiae asserebat singulos « a solo Deo doctos, » Lutherus posterior ad aliquam unitatem et communionem inter suos efficiendam ingeminabat « munus ecclesiasticum esse a Deo institutum, cuius unicus fons Christus est agnoscendus Christique mandatum ac institutio. » Lutherus ille prior, ait Protestans Schwarz, « seditiosâ audaciâ sese opposuit auctoritati hierarchicae in conscientias, » Lutherus posterior « fluctuabat irrequietus inter illimitatam libertatem spiritus et inter rigorosam auctoritatem authentici magisterii. » Vide cl. Iörg. l. c. T. I. p. 386. 416–419.

liciti de evidenti contradictione. Qui vero sibi constare volunt, ex ipso suo fundamentali principio independentis interpretationis concedunt, fidei unitatem esse impossibilem, et ideo affirmant eam non esse necessariam ad communionem religiosam et ad salutem (1). Consequentia haec non potest negari esse legitima; sed consequens est prorsus absurdum et repugnans omnibus notionibus , quas habemus certissimas de Dei revelatoris sapientia, sanctitate et auctoritate atque de hominis absoluta dependentia. Principium vero, ex quo legitime deducitur consequens absurdum, non potest non esse etiam ipsum absurdum.

Ita hac nostra aetate eo deventum est, ut omnes Protestantes concedere cogantur, et re ipsa concedant saltem practice, plerique etiam theoretice, principium cui innititur tota Reformatio saeculi XVI et defectio ab Ecclesia catholica, esse ita comparatum, ut eo adhibito unitas fidei et communio religiosa, in qua una omnium debeat esse professio, nulla existere aut conservari possit. In hoc theoremate per se satis claro et experientia demonstrato consentire coacti, in reliquis omnibus dissentientes nunc discernuntur in sequentes factiones praecipuas: *a*) eorum, qui fundamentale principium independentis investigationis seu (ut loquuntur) *liberi examinis* sincere et secundum totam suam vim adhibendum et in usum deducendum esse censent. Hi negant, Scripturas ipsas esse normam credendi, et affirmant id solum in rebus religionem spectantibus esse sequendum, quod quisque ratione sua sive de Scripturis et in Scripturis sive aliunde intellexerit, aut sibi intellexisse visus sit ut verum, seu potius ut opinionem interim fovendam, donec eliminatio omnium notionum christianarum in dies ulterius promoveatur. Omnes et solos eos, qui ita sen-

(1) Protestantes Berolinenses in ephemer. ecclesiasticis anno 1856. (apud Iörg. I. p. 140.) ita disputant ex suo fundamentali principio adversus illos, qui adhuc vellent conservare aliquam communem professionem fidei. « Confessio (communis fidei) sine hierarchia pendet in aëre: quomodo sincera doctrina suum finem assequetur, undenam puritas doctrinae repeti, quomodo conservari potest, si nulla adsunt munia, nulli ordines, quibus sit potestas absoluta cum securitate hanc doctrinae puritatem efficiendi et conservandi et salutem quaerentibus communicandi? »

tiunt, esse *genuinos Protestantes* et sinceros defensores principii fundamentalis (*Rationalistae* qui nunc sub diversis formis et nominibus inter Protestantes eruditos vel aliquo eruditionis colore tinctos constituunt maximam partem) (1). *b*) His proxime accedunt, qui exigunt sensum

(1) Iidem Berolin. ephem. Protest. (Iörg. I. p. 129. 130.): « Si Biblia essent codex legum et norma doctrinalis, indigerent interpretatione authentica, ut scopus aliquis attingi posset; si Scripturae sunt norma obiectiva, logica consequentia postulat ineluctabili necessitate institutionem Ecclesiae cum infallibili confessione fidei, auctoritate et regimine. Protestans haec (ex suo principio) admittere nequit; ergo et *ultima thesis systematis Romani reiicienda est, videlicet auctoritas Scripturae tamquam normae obiectivae; haec enim est radix, ex qua omnes assertiones Romanae necessario iterum progerminant.* »

Vis principii cui haeresiarchia saeculi XVI originem suam debet, quantum valeat ad destructionem totius religionis christianae, nuper irrefragabili consequentia logica ab homine atheo Eduardo Hartmann demonstratum est in libro, qui inscribitur « Intestina dissolutio Christianismi » (Die Selbstzersetzung des Christenthums. Berlin 1874.). « Reformatores, inquit, non adverterunt, suam fidem qua creditur infallibilitas canonicarum Scripturarum, totam inniti fidei qua creditur infallibilitas testantis Ecclesiae et ecclesiasticae traditionis. Protestando contra infallibilitatem Ecclesiae et traditionis, nihil advertentes, subverterunt ipsum fundamentum, ita ut confracto lapide angulari munitissimi aedificii hierarchici, paulatim ruina totius necessario sequeretur. Ex una parte proclamabant libertatem examinis et conscientiae singulorum, et ex parte altera putabant, pro suo arbitrio oppositis aggeribus, et quae pro lubitu invenerunt, humanis statutis, atque iactando suas adhuc conservatas reliquias dogmaticas se posse cohibere inceptum iam fluxum dissolutionis dogmatum, somniantes fieri posse, ut homines huiusmodi arbitrariis statutis velut sacris cancellis continerentur, postquam ipsimet subverterant infallibilem auctoritatem Ecclesiae ex infallibili perenni inspiratione (nempe supernaturali *assistentia* Spiritus veritatis) derivatam. » « Principium Protestantismi contra dogmaticam christianam totum dirigitur ad negationem, ad dissolutionem, ad destructionem. » Ex ipso principio Reformationis, teste Hartmanno, ventum est non solum ad negationem religionis revelatae, sed etiam ulterius ad scientiam recentis aetatis, qua negatur ipsa existentia Dei, et secundum quam iste auctor inter suos non incelebris docet, res omnes existentes originem habere ex infausta aberratione vis cuiusdam occultae suique minime consciae, atque ita, cum ipsa existentia censeri debeat malum fundamentale, finem omnium unice desiderandum esse omnium redactionem ad nihilum primitivum, in quo solo requies tandem erit aeterna.

nescio quem religiosum et fiduciam in Christum ut Salvatorem, doctrinam vero et dogmata habent ut ἀδιαφορα (Pietistae); vel postulant generalem quandam fidem in Christum et in Scripturas ut instrumentum publicum religionis christianae, in ceteris plenam vindicantes libertatem omnibus, qui iuxta fundamentale principium pertinere velint ad « Protestantismum oecumenicum » (sic dicti *Unionistae universales*) (1). *c*) His connectuntur alii, qui postulant unitatem professionis in iis, in quibus diversae sectae in unam communionem externam compingendae iam videntur consentire; in ceteris, in quibus dissentiunt, permittunt iuxta principium fundamentale plenam libertatem. Hi ergo, sicut reliqui hactenus commemorati, inter homines diversissimae fidei et confessionis volunt esse communionem religiosam (sic dicti *Unionistae positivi*). His nunc propinquius accedunt illi Neoprotestantes, qui ἀντιφραστικως se *veteres catholicos* dicunt. *d*) Sequuntur ii, qui unitatem professionis fidei praeferunt principio fundamentali, et constitutam volunt auctoritatem ecclesiasticam, a cuius interpretatione deficere singulis sit nefas. Hi iterum multipliciter discernuntur. Alii pro norma obiectiva habent auctoritatem primorum Reformatorum et librorum symbolicorum, atque adeo traditionem inde a saeculo XVI derivatam, quo huius traditionis auctores per ipsam negationem principii Traditionis et omnis auctoritatis a Scripturis distinctae primum exorti sunt *(Lutherani antiquae professionis);* alii volunt auctoritatem Ecclesiae divinitus constitutam, hancque dicunt primitus a Christo et ab Apo-

(1) Iidem Berolinenses (ib. p. 137.): « Congruenter ad protestanticum conceptum fidei statuere licet hanc thesim: potest quispiam vere fidelis esse, etiamsi ne in unum quidem dogma ecclesiae (intelligunt ecclesiae protestanticae, ad quam pertinent) amplius consentiret. » Darmstadienses ib. p. 126: « Ipse Dominus Ecclesiae vult varietatem; hanc nisi voluisset, clarius esset locutus. » At clarissime loquitur a Domino constituta interpres et custos doctrinae ipsa Ecclesia catholica. Hac norma catholici intellectus negata, consequitur utique varietas opinionum, non quia Dominus Ecclesiae eam voluit, quod opinari blasphemum est, sed quia homines nolunt audire, quam Dominus audire praecepit tamquam se ipsum (Luc. X. 16; Matth. XVIII. 17.).

stolis fundatam, nihil advertentes, hoc ipso damnari schisma et haeresim totius Reformationis *(Neolutherani)*; alii fanatici homines exspectant novum adventum Christi et novam abundantiorem effusionem Spiritus Sancti; alii serio affirmant, hanc effusionem et novam institutionem Ecclesiae iam nunc recentissime factam esse, habentque suos apostolos, prophetas, episcopos etc. (multiplices sectae, quas comprehendimus nomine *Pseudoprophetarum*).

Ex hoc compendio historiae Protestantismi puto cuique evidens esse, quod initio dixi, *a posteriori* ex universa recentiorum sectarum historia, quin ullum factum in contrarium adferri possit, confirmari, vel admisso principio Protestantium totum negotium propositionis fidei reduci ad singulorum inquisitionem, qua unitas fidei reddatur impossibilis, vel fundamentum ipsum totius Reformationis esse subvertendum, et authenticum magisterium ad revelationis custodiam et explicationem admittendum, quod non potest esse nisi a Christo ipso institutum.

Porro agnoscere principium auctoritatis a Christo institutae, quae eo ipso est perpetua, ac proinde ante sic dictam Reformationem et tempore Reformationis continebatur in ipsa successione apostolica Ecclesiae, simul tamen non fateri impietatem rebellionis contra hanc divinam auctoritatem; pariterque agnoscere falsitatem principii independentiae singulorum ab auctoritate Ecclesiae conservantis et explicantis depositum fidei, simul tamen probare Reformationem, quae tota illi principio innititur et sine illius veritate non potest non esse falsa; haec, inquam, manifesta est et ingens contradictio. Atqui sic dictus Protestantismus orthodoxus haec omnia saltem practice et modo agendi, ubi adversus *indifferentismum* et *rationalismum* sese tueri conatur, simul admittat necesse est, ita ut principium independentiae, cui suam debet existentiam, neget, et principium auctoritatis affirmet transferendo auctoritatem docendi, cui obedientia fidei debeatur, ab Ecclesia catholica et apostolica ad suos Reformatores, qui se ipsis fatentibus non nisi negando quamvis Ecclesiae auctoritatem Reformatores erant vel esse poterant; ac porro substituat Traditioni a

Christo et Apostolis acceptae traditionem, cuius origo saeculo demum XVI erat negatio ipsius principii Traditionis. Ita certe sic dicti *Lutherani antiquae professionis* (1). Qui vero paulo pudentiores et pertaesi huius auctoritatis Reformatorum concedunt ac defendunt auctoritatem Ecclesiae divinitus institutam, simul tamen approbant Reformationem saeculi XVI; ii auctoritatem a Christo in sua Ecclesia institutam negant, simulque affirmant auctoritatem Ecclesiae quae aut nullibi existit sed adhuc futura est, aut quae orta est ex negatione auctoritatis Ecclesiae apostolicae. Ita, qui dicuntur *Neolutherani*. Totus ergo Protestantismus ille pseudoorthodoxus ingenti quadam contradictione seu potius contradictionum serie regitur ac sustentatur.

THESIS VII.

De incommutabili perduratione eiusdem oeconomiae post libros N. T. conscriptos.

« Magisterium authenticum divinitus institutum ad custodiam et » propagationem doctrinae ex Apostolorum praedicatione acceptae neque » sua in functione mutatum neque auctoritate minutum est, ex quo N. T. » libri conscripti sunt et Ecclesiis traditi; quod quidem tum ex prae- » cedentibus corollarii instar consequitur, tum etiam speciatim ex ipsa » ss. librorum origine historica et nativa dispositione demonstratur. »

I. In superioribus demonstravimus, magisterium successionis apostolicae a Christo ipso Ecclesiae conditore, tutore, sponso ac capite esse institutum ad divinae doctrinae in-

(1) Ipsi Protestantes aliarum factionum contra hanc Reformatorum et librorum symbolicorum auctoritatem passim argumentantur ita, ut ei auctoritatem Ecclesiae catholicae praeferendam esse fateantur: « malle se, aiunt, sequi sanctiorem Traditionem et spiritualiorem Pontificem Ecclesiae catholicae quam has tabulas lapideas, quae non habent originem a monte Sinai » cf. Iörg. I. p. 122. 130. etc. Contra eos vero, qui iuxta doctrinam Neolutheranam Ecclesiae auctoritatem in docendo vindicant, demonstrant hanc Ecclesiam docentem non posse esse nisi Ecclesiam catholicam, atque ideo totam Reformationem esse rebellionem contra auctoritatem divinitus institutam: « si hanc auctoritatem Ecclesiae agnoscerem (ita concludit D.Schenkel adversus alterum Protestantem D.Stahl), ipsa logica me cogeret transire ad Ecclesiam catholicam » Ib. p. 135. Patet, eandem esse rationem Anglicanorum maxime vero Puseyistarum.

tegritatem servandam et propagandam; esse institutum verbis ac promissis disertis perpetuum usque ad consummationem saeculi; esse institutum functione et auctoritate non pendente ex mutabilibus adiunctis rerum et dotibus humanis, sed promanante ex praesenti tutela Christi et charismate Spiritus veritatis manentis cum successoribus Apostolorum in aeternum; esse institutum non tamquam aliquid accidentale, quod aliquando salva christiana religione abesse possit, sed tamquam principium et causam conservantem essentialium characterum professionis christianae. Atqui munus ita constitutum prorsus est immutabile in sua functione et auctoritate; nec potest Deus sibi ipsi contradicere efficiendo vel permittendo, ut oeconomia sub disertis promissionibus perpetuitatis et indefectibilitatis ita a se fundata transvertatur in aliam essentialiter diversam. Ergo sub quavis hypothesi eadem oeconomia manet immutabilis, ac proinde etiam sub hypothesi, quod doctrina praedicationi et custodiae legatorum Christi commissa successu temporis vel integra vel ex parte libris inspiratis consignaretur. Immo ex ipsa descripta natura illius organi semper viventis divinitus instituti constat, sicut doctrinam sola praedicatione traditam ita etiam doctrinam libris consignatam, et huiusmodi divinos libros ipsos fore sub custodia et authentica interpretatione eiusdem semper vigentis successionis apostolicae.

II. Quod demonstratur ex characteribus successionis apostolicae divinitus institutae, intelligi etiam potest ex consideratione alterius termini, qui sunt libri sacri N. T.

1°. Considerentur adiuncta, in quibus libri scripti sunt. Antequam libri N. T. existerent, multo magis antequam omnes in canonem collecti legerentur in omnibus Ecclesiis, sane iam ipsae Ecclesiae pridem iuxta mandatum et institutionem Christi praedicatione et ordinatione apostolica erant constitutae, in illis impositione manuum Apostolorum ordinati Episcopi, quibus praedicatio et Traditio Apostolorum commissa erat tamquam depositum fideliter custodiendum per charisma Spiritus Sancti, iisdemque erat iniunctum munus, ut et ipsi iuxta Christi mandatum alios per

civitates et regiones instituerent et ordinarent sibi successores eadem auctoritate eodemque charismate instructos (vide thes. V. n. II.). Tum igitur fideles, tum cooptandi in Ecclesiam pendebant obedientiâ fidei ab auctoritate successorum apostolicorum tamquam legatorum Dei, a quibus doctrinam et disciplinam christianam susciperent praedicatam et explicatam. Haec itaque non erat solum dependentia discentium a scientia docentium, quod nondum existerent libri, ex quibus singuli haurire possent doctrinam; sed erat authenticum magisterium, a quo ex Christi institutione pendebat obedientia fidei, et per quod continebatur unitas Ecclesiarum. Ergo cum ab Apostolis paulatim Ecclesiis tradebantur libri inspirati continentes doctrinam revelatam, non sane constituta oeconomia Ecclesiae destruebatur; sed documenta accedebant adhibenda iuxta oeconomiam illam divinitus institutam, atque adeo ab eisdem Episcopis Apostolorum successoribus ac depositi custodibus conservanda et explicanda, si quae de legitimo sensu oriretur dubitatio.

2°. Historice constat et ex ipsa dispositione librorum evidens est, singulos scriptos fuisse oblata occasione et necessitate particulari ad particularem aliquem scopum, plerosque directos immediate ad singulares Ecclesias vel ad singulares personas, in modo tractandi accommodatos particularibus tum existentibus adiunctis. Nulli autem ss. scriptorum fuit propositum integram institutionem in doctrina, disciplina, et cultu religionis christianae in libro aliquo consignare. Inde fit, quod in nullo ss. librorum ex ordine et in didactica connexione ad formam catecheseos tradita reperiatur universa christiana doctrina, et quod in singulis multa capita gravissima vel omittantur vel obiter indicentur vel deductione solum ex eis colligi possint, si iam aliunde innotuerint. Iam vero talis librorum origo ex particularibus occasionibus et ad scopum particularem, et talis interna eorum dispositio evidenter demonstrat, sive in singulis sive in omnibus simul scribendis nec Spiritus Sancti consilium fuisse nec Apostolis umquam venisse in mentem, scripta ita comparata substituere ministerio pastorum et doctorum authenticorum, quos Christus iusserat docere

omnia quaecumque ipse mandaverat, et docere omnes gentes usque ad consummationem saeculi, ut illâ viventis magisterii oeconomiâ abolitâ deinceps unusquisque non amplius, quemadmodum eousque ex Christi constitutione et missione factum erat, doceretur ab authenticis Dei legatis, sed se ipsum ex libro scripto doceret. Id evidens esset, etiamsi interim concederetur, universam doctrinam revelatam fuisse illis libris consignatam; argumentum enim ducitur non tam ex deficientia materiae quam ex forma docendi et modo proponendi et explicandi doctrinam.

Ceterum posita hac librorum historica origine et interna dispositione, quae origini respondet, comprehensio totius revelatae doctrinae non nisi gratuita assertione affirmari potest. Cum enim nec singuli sacri scriptores propositum habuerint totam doctrinam christianam suis libris comprehendere, nec ad unum totum constituendum quisque suam partem initis inter se consiliis conferre voluerint, sed ex diversissimis occasionibus singuli scripserint, quae in illis adiunctis necessaria erant vel opportuna; potuit quidem Spiritus Sanctus, qui est auctor princeps Scripturarum, ita omnia dirigere, ut integrum corpus doctrinae totius constitueretur etiam insciis scriptoribus et praeter eorum consilium, at hoc ita factum esse argumento nullo demonstrari potest, nisi iam supponatur, quod est in quaestione, voluisse Deum, ut Scriptura esset unicus fons vel saltem completus codex, ex quo integra revelatio cognoscenda sit. Ex Christi mandato, ut Apostoli et eorum successores doceant usque ad consummationem saeculi omnes gentes observare omnia quaecumque ipse mandaverat, et ex promissione Spiritus veritatis docentis omnem veritatem et manentis cum eis in aeternum, per quem Christo testes esse iubentur usque ad ultimum terrae, certo constat universam revelationem per authenticum magisterium in perpetua successione esse praedicandam; at mandati, ut hanc eandem revelationem integram libris consignarent, nec in verbis Christi ipsius, nec in dictis Apostolorum, nec in modo agendi et scribendi Apostolorum eorundem et reliquorum ss. scriptorum, nec in dispositione, scopo et occasione libro-

rum, nec in persuasione Christianorum usque ad saeculum XVI ullum est vestigium: quo ergo quaeso argumento id demonstrabitur, nisi antea ponas non esse credendum verbo propagato per praedicationem, quam Christus disertis et irrefragabilibus mandatis ac promissis instituit et omnem revelatam veritatem comprehendere iussit; sed solum esse credendum verbo in Scriptura, quam praedicationi superaddidit quidem, nec tamen umquam omnem veritatem revelatam in ea comprehendendam esse aut iussit aut promisit?

Sed quidquid de hac Scripturae materiali plenitudine sit, de qua inferius dicendi locus erit, forma librorum tum singulorum tum omnium ea est, ut evidenter non sint scripti ad universam religionem christianam singulos fideles docendam independenter ab authentico magisterio (1). Cf. Stapleton T. I. l. XII. c. 3.

3°. In hisce libris ipsis non solum supponitur authenticum magisterium in modo ipso scribendi, ex quo apparet eos dirigi ad Christianos fide iam imbutos per praedicationem, et velut in subsidium praedicationis in eis repeti aut etiam superaddi institutiones, consilia, admonitiones, quae nisi iam praecognitâ religione christianâ nec intelligi nec rite aestimari possent; sed etiam diserte fideles relegantur ad praedicationem iam perceptam et susceptam, atque in ea permanere iubentur Rom. XVI. 17; 1. Cor. VII. 17; XI. 23; XIV. 33; XV. 1; 2. Cor. I. 18; Gal. I. 18; Phil. IV. 9; Coloss. II. 6. 7; 1. Thess. IV. 2; 2. Thess. II. 15; 2. Tim. II. 2; Heb. II. 3. Insuper in his ipsis libris designantur custodes

(1) Fatentur id nunc haud inviti Protestantes. « Non praeteriri hoc loco poterit, inquit Döderlein (Instit. Theolog.), vetuisse consilium librorum N. T. quin totum et luculentum doctrinae christianae systema proponeretur; merito itaque ad monumenta doctrinae publicae refugimus, cum, quid vere tradiderint Apostoli, definiendum est. » Lessing id ipsum concedit et affirmat (Op. t. X. p. 242.). « Demonstrari nequit, Apostolos et Evangelistas eo consilio sua scripta edidisse, ut religio christiana integre et plene ex eis derivari et probari possit; multo vero minus demonstrari potest, Spiritum Sanctum nihilominus praeter consilium scribentium rem ita ordinasse ac disposuisse. » Vide Illustrissimum Ranolder Hermeneut. ed. 2. p. 330. 331.

depositi et doctores authentici perpetua serie sibi invicem successuri, per quos depositum fidei atque adeo etiam depositum, quod libris iisdem consignatum est, perpetuo custodiatur integrum et secundum verum suum sensum explicetur; hique ipsi in suo ministerio ac magisterio exercendo non primum vel certe non solum ad Scripturas, sed ad traditam et susceptam integram doctrinam praedicationis relegantur (vide thes. V. n. II.). Ergo editis libris inspiratis divinitus institutum perpetuum et semper vivens magisterium non est abolitum vel auctoritate diminutum; sed ei divinum instrumentum doctrinae est traditum conservandum, explicandum, et adhibendum ad efficaciorem praedicationem et accommodatiorem custodiam totius depositi fidei.

Scholion. Reliquum est, ut difficultati occurramus, quae totam praecedentem demonstrationem impeditam reddere quibusdam videtur, et quae serio et non sine supercilio a Protestantium doctoribus e. g. a Gerhardo movetur. *a*) Ex principiis catholicis supponitur et etiam in nostra argumentatione saltem indicatur, Scripturas ipsas suscipiendas et Scripturarum auctoritatem cognoscendam esse ab auctoritate organi Traditionis seu successionis apostolicae; nihilominus tamen haec auctoritas organi Traditionis unice hucusque probata est ex ipsis Scripturis, qui videtur esse *circulus,* ut aiunt, *vitiosus. b*) Dicitur interpretatio ac intelligentia certa veri sensus Scripturarum non esse independens ab organo Traditionis et authentico magisterio successionis apostolicae, sed ab hoc ipso organo et magisterio petenda; haec tamen ipsa auctoritas magisterii in interpretandis Scripturis probatur ex Scripturis. Vel ergo hunc Scripturarum sensum esse verum et legitimum creditur auctoritati magisterii; tum auctoritas magisterii probanda accipitur ut principium probationis, quae iterum est *petitio principii:* vel hic sensus legitimus cognoscitur independenter a magisterio; tum independentia interpretationis admittitur et supponitur vera in *praemissis,* ut inferatur eius falsitas in *consequenti,* quo nihil potest esse absurdius. In *forma* utraque difficultas in unam contracta ita proponi potest: auctoritas organi Traditionis non potest demonstrari

ex testimoniis Scripturae, nisi cognitio auctoritatis et veri sensus Scripturarum supponatur antecedens et independens ab auctoritate organi Traditionis; atqui in thesibus auctoritas organi Traditionis demonstratur ex testimoniis Scripturae; ergo supponitur cognitio auctoritatis et veri sensus Scripturarum independens ab auctoritate organi Traditionis. Hoc autem ipsum propositum est hisce thesibus demonstrare falsum; ergo supponitur verum, quod propositum est demonstrare falsum.

Respondeo, *distinguo maiorem:* non potest institui ea demonstratio ex Scripturis, nisi supponatur cognitio auctoritatis *omnium librorum, in omnibus locis sacri textus, et in omnibus fidelibus, nego maiorem;* nisi supponatur cognitio auctoritatis quorundam librorum *in quibusdam locis,* et *in quibusdam fidelibus, subdistinguo maiorem:* nisi supponatur cognitio auctoritatis, quae est *ex veracitate librorum, concedo maiorem;* nisi supponatur cognitio auctoritatis, quae est *ex inspiratione librorum, nego maiorem.* Ulterius non potest institui demonstratio, nisi supponatur cognitio veri sensus, *distinguo maiorem:* nisi supponatur cognitio veri sensus *secundum totam amplitudinem doctrinae,* et nisi supponatur, integram religionem christianam ex iis libris derivari posse a singulis independenter ab auctoritate organi Traditionis, *nego maiorem;* non potest institui demonstratio nisi supponatur cognitio veri sensus quorundam *singularium testimoniorum, subdistinguo maiorem:* nisi supponatur, cognitionem hanc a quibusdam, *qui huic demonstrationi instituendae* vel *percipiendae sunt idonei,* obtineri posse *praescindendo non tamen deficiendo* ab auctoritate organi Traditionis, *concedo maiorem;* nisi supponatur haec cognitio Scripturarum *omnibus* accommodata, *nego maiorem*. Pariter *distinguo minorem:* haec demonstratio in nostris thesibus instituitur tum *theologice,* ut distinctius secundum scientiam reddamus rationem fidei nostrae, tum *polemice* ut eam defendamus contra adversarios assumendo libros aliquos sacros ex generali demonstratione christiana saltem ut *veraces,* vel etiam ut *inspiratos* ex principio admisso ab ipsis adversariis, *concedo minorem;* instituitur tamquam *neces-*

saria omnibus et *per sese* ad acquirendam primam cognitionem auctoritatis in successione apostolica, *nego minorem.* Denique *distinguo consequens:* supponitur quorundam librorum *auctoritas veracitatis* ex demonstratione christiana generali, vel etiam *inspirationis* ex principio adversariorum, *concedo;* supponitur cognitio auctoritatis omnium librorum, *nego.* Porro supponitur, *sensum verum* certo intelligi posse *in hisce claris determinatis locis* et ab iis, qui demonstrationi percipiendae sunt idonei, *concedo;* supponitur posse *universam doctrinam* revelatam ex Scripturis determinari a singulis independenter ab auctoritate magisterii, *nego.* Ad illud quod additur, respondeo: propositum est demonstrare falsum, posse universam revelatam doctrinam a singulis determinari ex solis Scripturis independenter ab organo divinitus instituto, et per charisma veritatis idoneo ad custodiam et explicationem depositi fidei, *concedo;* est propositum demonstrare, nulla esse in Scripturis testimonia clara et evidentia vel generatim nullam posse ex eis institui convincentem demonstrationem, non excludendo quidem auctoritatem organi Traditionis, ab ea tamen praescindendo, *nego.*

Videlicet tractatio nostra antecedens integra potest spectari *secundum obiectivum ordinem idearum*, ut ex insita ratione sese excipiunt et aliae ab aliis pendent, vel potest spectari *polemice.* Priori modo ex generali demonstratione christiana utique supponimus, evangelia et scripta apostolica esse genuina; pariterque supponimus ex horum librorum genuinitate demonstratam evangelicae narrationis veracitatem, atque hinc ulterius ex factis et verbis Christi in evangelio consignatis consequi eiusdem Salvatoris divinam auctoritatem (vide prolegom. p. 4.). His autem positis verba et facta Christi intelliguntur divina esse, et intelligitur doctrina eius esse revelata, etiamsi libri solum ut veraces, non autem ut inspirati interim assumantur. Ex hoc iam principio progreditur, et huic fundamento innititur tota nostra demonstratio. Unde nihil nisi generalem demonstrationem christianam supponimus. Si vero tractatio spectetur altero modo *polemice* adversus eos Protestantes, qui adhuc chri-

stiano nomine censeri possunt, absque petitione principii ut commune utrimque fundamentum supponere possemus divinitatem et inspirationem librorum sacrorum.

CAPUT II.

DE DIVINAE TRADITIONIS FORMALI RATIONE UT EXHIBETUR IN CONSTITUTIONE ECCLESIAE INDE AB AEVO APOSTOLICO.

THESIS VIII.

Formalis ratio Traditionis demonstratur ex constitutione et ex principiis Ecclesiae.

« Iuxta formam ac institutionem, quam ex evangelicis et apostolicis » scriptis demonstravimus, Ecclesia aevi apostolici et sequentium dein» ceps aetatum constituta exhibetur in ceteris idoneis monumentis, et » tum professione diserta tum constante modo agendi semper et ubique » hoc nixa principio: successores esse Apostolorum, qui perpetua serie » et mutua communione cohaerentes per charisma veritatis custodiant » depositum fidei, ut « nihil detrahi, nihil addi possit coelesti dogmati, » quod semel revelatum esse sufficiat. »

I. Cum agitur de ipsis principiis ac fundamentis religionis christianae, de principiis quae non solum sunt in theoretica professione, sed quae practice in usum ita veniunt quotidie, ut ex iis universim lex credendi, tota fides et vita christiana pendeat; prorsus evidens est fieri non potuisse, ut Ecclesiarum constitutio, docendi et credendi norma, ab Apostolis secundum Christi mandatum in universo orbe tradita ac disposita, in omnibus Ecclesiis longe lateque diffusis corrumperetur et mutaretur in aliam plane oppositam, quando Apostolis paulatim defunctis eaedem Ecclesiae ab ipsis constitutae transierunt in successiones sequentes, non sane alia generatione repente substituta priori, sed continua serie pastoribus et plebibus prioris ac sequentis generationis inter se nexis, ac generationibus una alteri velut commixtis. Quare si in his sequentibus successionibus reperiuntur Ecclesiae ubique constitutae et gubernatae eo principio Traditionis, quod ex scriptis evangelicis et apostolicis demonstravimus a Christo institutum, ab Apostolis secundum Christi dispositionem in usum deductum; ineluctabili argumento totius historiae comprobabitur, verum

sensum institutionis Christi et Apostolorum illum esse, quem ex ipsis Scripturis superius proposuimus. Si igitur thesis nostra spectetur *polemice* adversus Protestantes, non appellamus ad testimonia et ad doctrinam antiquitatis christianae tamquam ad authenticam propositionem revelationis de principio et organo conservandae integritatis depositi, quam authentiam illi negant; sed appellamus ad antiquitatis sententiam unanimem tamquam ad *historicum testimonium fidei*, quod et illi et quivis homines sanae mentis agnoscunt et negare non possunt; ex quo scilicet testimonio intelligamus, quid universa antiquitas ut institutionem ac doctrinam Christi et Apostolorum crediderit, et semper ac ubique professa sit. Ex hac vero testificatione inferimus, sensum verbi Dei quod et ipsi in Scripturis agnoscunt, de Traditionis principio non posse esse alium, nisi quem universa antiquitas theoretice et practice semper et ubique professa est, et Ecclesia catholica adhuc profitetur; idque inferimus non propter supernaturalem auctoritatem testantium ab adversariis negatam, sed propter historicam impossibilitatem mutationis et corruptionis, quae continuo post Apostolos in ipsa fundamentalia principia Ecclesiae Iesu Christi inducta supponi deberet. Hanc vim testimonii antiquitatis christianae saltem practice ne ipsi quidem Protestantes negant, qui cum fide non etiam rationem exuerunt; hinc eorum sollicitudo corradendi testimonia veterum, quae ex contextibus abrupta suam in sententiam torqueant, et eâdem arte eludendi, quae principium catholicum demonstrant. Ceterum nec unica nec praecipua ratio determinans modum et valorem tractationis theologicae nobis est polemica, cum longe potior sit intelligentia distincta doctrinae fidei, et in praesenti fundamentorum fidei, ex quibus rite intellectis confutatio errorum sponte consequitur. Hisce declaratis ad demonstrationem theseos accedimus.

1°. Apud Patres primae, secundae, tertiae successionis et deinceps in omnibus Ecclesiis orientis et occidentis est axiomatis instar constans sententia, continuam successionem pastorum et doctorum divinitus ordinatam non interrupta serie cum Apostolis cohaerentem esse organon visibile ad

doctrinam Christi integram intemerate servandam et propagandam; hanc igitur ex Traditione, quae ab initio est, esse accipiendam. Iam Patres apostolici Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, et paulo post Hegesippus testantur, Apostolos iuxta Christi mandatum ordinasse sibi perpetua serie in ministerio futuros successores Episcopos (1); atque adeo ut vitetur haeresis et vera servetur doctrina, coniunctionem cum Episcopis esse necessariam, qui sequendi sint tamquam Christus ipse; hocque modo tenendam esse Traditionem ab initio acceptam. Per hanc itaque successionem inde ab Apostolis perpetuam et cohaerentem, una et consentiens servanda erat doctrina in omnibus quamvis dissitis Ecclesiis (2). De nulla re magis sollicitus est s. Ignatius in suis epistolis, quam de consensu et unione cum Episcopis, ut integritas doctrinae et Ecclesiae divinitus disposita constitutio servetur. « Prius admonui vos, ut unanimes sitis in sententia Dei (γνωμη cogitatio manifestata, verbum, doctrina); etenim Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, Patris est *sententia* (3), sicut et Episcopi per fines terrae constituti in Iesu Christi sententia sunt; unde oportet vos unanimes esse sententiae Episcopi... Quemcumque enim paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus sicut ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod Episcopum oporteat respicere ut ipsum Dominum. Et ipse quidem Onesimus laudat vestrum in Deo ordinem, quod omnes secundum veritatem

(1) Clem. Rom. ep. I. ad Corinth. n. 42. 44. (Vide supra p. 33.), in qua epistola, ait s. Irenaeus (III. c. 3. n. 3.), « reparat Clemens Corinthiorum fidem, et quam nuper ab Apostolis acceperant Traditionem. »

(2) « Hegesippus (medio saec. II.) in quinque commentariorum libris... scribit, se Romam usque proficiscentem plurimos Episcopos adiisse et ab omnibus unam eandemque accepisse doctrinam... Romae vero cum essem, inquit, successionis (Pontificum) seriem composui usque ad Anicetum, cuius diaconus erat Eleutherus, et Aniceto successit Soter, post hunc Eleutherus. In singulis urbibus ita habet, sicut praedicant lex et prophetae et ipse Dominus » apud Euseb. H. E. l. IV. c. 22.

(3) Cf. Augustini dictum in Io. tract. 29. n. 6: « Filius est *doctrina Patris.* » Nazianzeno (or. 30. al. 36. n. 20.) Filius est « *definitio Patris* » (ὡς ὁρος προς το ὁριζομενον).

vivatis et quod nullus sit apud vos haeresi locus » ad Ephes. n. 3-6. Vide ad Philadelph. n. 2. 3; ad Trallian. n. 7; ad Smyrn. n. 8; ad Magnesios n. 6. 7. Scopum et materiam praecipuam epistolarum Ignatii Eusebius (H.E.III. c. 36.) his verbis comprehendit. « Singularum civitatum Ecclesias monebat imprimis, ut maxime caverent haereses tum primum erumpentes et invalescentes, hortatusque est, ut tenaciter inhaererent Apostolorum Traditioni, quam testificans iam etiam scripto consignare securitatis causa necessarium duxit. » Polycarpus ep. ad Philipp. n. 7. hunc tradit canonem ad haereses vitandas: « relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, *ad traditam nobis ab initio doctrinam* convertamur. » Quamvis modum Traditionis, obiter tantum mentionem iniiciens, non indicet, is non est alius quam declaratus ab Ignatio in litteris ad Polycarpi Ecclesiam (Smyrnensem) et ad Ecclesias alias scriptis, quarum collectionem Polycarpus ipse instituit (vid. ep. Polycarpi n. 13. et Euseb. III. 36.) (1).

Sub idem tempus saeculo adhuc II Irenaeus et paulo post Tertullianus adversus haereticos disputantes necesse habuerunt data opera totam doctrinam de Traditione ac Traditionis organo multis declarare et defendere. Convenit Irenaeus cum Gnosticis in principio communi, praeter Scripturas esse etiam Traditionem a Christo et ab Apostolis acceptam. Verum haeretici Traditionem iactabant occultam ad solos Gnosticos per generationum successionem derivatam; Irenaeus ex opposito ostendit, Traditionem esse publicam in Ecclesia universa, eiusque organon esse successionem Episcoporum inde ab Apostolis, quo doctrinae integritas semper servetur. « Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur Scripturarum,..... quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt Traditionem; non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem... Cum autem ad eam iterum *Traditionem quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur*, provocamus eos; adversantur Traditioni... *Tra-*

(1) De Polycarpo legendus est Irenaeus III. c. 3. n. 4.

ditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre; et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos » l. II. c. 2. n. 2; c. 3; l. IV. c. 26. n. 4. 5; c. 33. n. 8. Eadem de modo Traditionis adversus haereticos testatur Tertullianus. « Ceterum si quae (haereses) audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: *edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum* ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. *Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt...* Si haec ita se habent, ut veritas nobis adiudicetur, *quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit,* constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos haereticos ad ineundam de Scripturis provocationem, *quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere »* Praescript. c. 32. 37; contr. Marc. l. I. c. 21; l. IV. c. 5. Hoc idem fundamentum Origenes supponit christianae theologiae, quam exposuit in libris de Principiis. « Cum multi sint qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant; *servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat Traditione »* de Princip. praefat. n. 2.

Vide etiam Cyprian. epp. 27. 69; Athanas. de decret. Nicaen. n. 27; Epiphan. haeres. 27. n. 6. (Carpocratianorum); haeres. 56. n. 3. (Melchisedechian.); Optatum contra Parmen. l. II. n. 2. 3; August. de utilit. credendi c. 17; contr. epist. fundamenti c. 4; ep. 53. al. 165. n. 2. ad Generosum; ep. 118. al. 56. n. 32. ad Dioscorum; Vincent. Lirin. Commonit. c. 9. 33.

Hinc Patres omnes, qui plerique ipsi pastores erant, vel

saltem testes praesentes principiorum quibus Ecclesiae regebantur, repetunt et inculcant hoc esse munus, hanc sollicitudinem praecipuam Episcoporum, ut doctrinam a maioribus acceptam tradant integram tamquam depositum suis successoribus. « Agnitio vera est (γνωσις ἀληθης) doctrina Apostolorum, et antiquus Ecclesiae status (το ἀρχαιον της ἐκκλησιας συστημα) in universo mundo, et character corporis Christi *secundum successiones Episcoporum*, quibus illi eam quae in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt: *quae pervenit usque ad nos custoditione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione et secundum Scripturas expositio legitima et diligens et sine periculo et sine blasphemia* » Iren. IV. c. 33. n. 8; cf. l. I. c. 10. n. 2. « Nobis, inquit Tertullianus, *nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere* (1), *quod aliquis de arbitrio suo induxerit: Apostolos Domini habemus auctores,* qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Domino disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt » Tertull. Praescript. c. 6; cf. c. 9. Augustinus appellans contra Pelagianos « ad sanctos et in sancta Ecclesia illustres antistites Dei, » eorum auctoritatem hac potissimum ratione probat: « quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt » contr. Iulian. l. II. n. 34. Vide Recognitiones Clement. l. VIII. n. 37. (Galland. T. II. p. 298.); Athanas. ad Serapion. ep. I. n. 28; Basil. ep. 145. T. III. p. 233; Epiphan. haeres. 56. n. 3; Lirinens. Commonit. n. 12.14.26.27.32.

2°. Criterium integritatis doctrinae apostolicae in Ecclesiis perpetua successione derivatae semper habebatur Ecclesiarum communio et consensus inter se, cum Ecclesiis apostolicis et nominatim cum Ecclesia Petri; in quo ultimo etiam solo et per se spectato continetur et contineri semper credebatur demonstratio tum sincerae apostolicae doctrinae tum communionis cum Ecclesia universa.

Testimonium celebre est Irenaei l. III. c. 3, qui ad de-

(1) Alludit ad nomen αἱρεσις, quasi latine *electio* diceretur.

monstrandam « Traditionem Apostolorum *in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia,* » satis esse testatur indicare « maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae eam, quam habet ab Apostolis Traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos, » quoniam nimirum « *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem* (1) *necesse est omnem convenire* (2) *Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est* (3) *ea quae est ab Apostolis Tradi-*

(1) Massuetus legit: *potiorem* principalitatem, sed fatetur solum Cod. Claromont. habere *pontiorem* et littera *n* expuncta *potiorem;* in ceteris Codd. et edit. legi *potentiorem.* Quia textus graecus Irenaei desideratur, coniecturas diversas proposuerunt eruditi: δια την ἱκανωτεραν ἀρχην Griesbach; ἐξαιρετον πρωτειον Salmasius; ὑπερτερον πρωτειον Massuetus; διαφερουσαν πρωτειαν Thiersch. Verum P. Schneemann in praeclara dissertatione qua verum sensum huius loci illustravit et adversus detorsiones Protestantium vindicavit (in Ephemeride Der Katholik 1867. T. XVII. p. 419.), comparando omnia loca in quibus vox *principalitas* occurrit, sin minus certum saltem probabilissimum ostendit, graece fuisse ἀυθεντιαν. Ceterum quodcumque ex his vel geminis nominibus supponatur, ex contextu et tota argumentatione Irenaei clarissimum est, non posse significari nisi potiorem potestatem, principatum, primatum Ecclesiae Romanae; in hac enim *principalitate* Irenaeus constituit fundamentum et principium unitatis fidei omnium Ecclesiarum seu totius Ecclesiae universalis. Discrimen solum est, quod vox ἀυθεντια etiam per se et etymologice spectata, non admittit aliam significationem, ἀρχη et πρωτειον per se fortasse sensus ambigui determinantur ex ipso contextu ad hanc significationem *principatus* ac *primatus,* quam certe expressit vetustissimus et forte Irenaeo coaevus interpres per *potentiorem principalitatem.* Sicut Irenaeus Romanae Ecclesiae *principalitatem*, ita Cyprianus (ep. 55. p. 86.) appellat « Petri cathedram atque *Ecclesiam principalem;* » Augustinus « Romanam Ecclesiam, in qua semper viguit *apostolicae cathedrae principatus* » (ep. 43. n. 7.); « Apostolatus (Petri) *principatum* cuilibet episcopatui praeferendum, » ut adeo « distet cathedrarum gratia » de Bapt. l. II. c. 1. n. 2.

(2) Συμβαινειν i. e. concordare. Confer: « qui ex variis et differentibus gentibus *in unam cohortem fidei convenientes* fiunt homines » Iren. l. IV. c. 21. n. 3.

(3) Pronomen *in qua* pertinet ad Ecclesiam Romanam; sensus enim est, ab omnibus Ecclesiis seu ab omnibus qui sunt undique fideles, in

tio. » Unitatem praedicationis et consensionem totius Ecclesiae vide egregie descriptam ab Irenaeo l. I. c. 10. n. 2; l. V. c. 20. n. 1. Efficacissime Tertullianus: « Ecclesias (Apostoli) apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiae fiant; ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur ut soboles apostolicarum Ecclesiarum.... *Dum una omnes, probant unitatem;* dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, *quae iura non alia ratio regit quam eiusdem sacramenti* (professionis fidei) *una Traditio....* Quid autem praedicaverint (Apostoli), id est quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam, non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod aiunt, voce quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde *omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspirat,*

Ecclesia Romana tamquam in principio et in causa unitatis fidei, conservatam esse Traditionem Apostolicam; sicut Optatus dicit loco mox citando, « in una cathedra Petri unitatem ab omnibus servari. » Quoad rei summam non magni interesset, si quis concederet, particulam *in qua* referri ad nomen propinquius *omnem Ecclesiam.* Tum *omnis Ecclesia* in qua ab omnibus fidelibus ubique terrarum conservata est Traditio, non posset esse nisi *tota universalis Ecclesia πασα ή ἐκκλησια.* sicut paulo ante dixit « Traditionem Apostolorum *in toto mundo* manifestatam *in omni Ecclesia* », et alibi (l. II. c. 9. n. 1.) dicitur « *Ecclesia omnis per universum orbem* accepisse ab Apostolis Traditionem. » Significaretur ergo: cum Ecclesia Romana necesse esse consentire Ecclesiam universalem, in qua Ecclesia universali semper integra conservata est Traditio; ratio autem huius necessarii consensus simulque consequentis ex hoc consensu conservatae unitatis et integritatis in doctrina tradita collocatur in potentiori principalitate eiusdem Romanae Ecclesiae. Per se patet, distinctionem quae hic iniici videtur, inter Ecclesiam Romanam et universalem, non esse *separationis* sed *unionis* sicut inter caput et totum corpus. Huic testimonio Irenaei conferenda sunt verba Nicolai I. Pontificis ep. ad Photium. « *Cum universa credentium multitudo ab sancta Romana Ecclesia quae omnium caput est Ecclesiarum, doctrinam exquirat, integritatem fidei deposcat,* delictorum veniam postulet, necessarium est, ut magnam nos curam qui ad hoc vocati sumus, adhibeamus » (Hard. T. V. p. 1046.).

veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit..... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis » Tertull. Praescript. c. 20. 21; cf. 32. 36.

Consulantur Cyprian. de unit. Ecclesiae p. 195; ep. 42. p. 57; ep. 52. p. 73. (ed. Baluz.); PP. Antiochen. contr. Paul. Samosat. ep. synod. (inter Opp. Dionys. Alexand. ed. de Magistris p. 280. 281.); Athanas. de decret. Nic. Synodi n. 4; Episcoporum Aegypti ep. apud Theodoret. Hist. Eccl. l. IV. c. 3; Basil. ep. 251. al. 72. n. 4; Epiphan. haeres. 31. p. 202. (ed. Petav.); Optat. l. VII. n. 5; August. cont. litt. Petiliani l. II. c. 51; Cassian. de Incarnat. l. I. c. 6; Lirinens. Commonit. n. 4. 8. 23. 38. 39; Leontius cont. Nestor. l. I. (Galland. T. XII. p. 667.); Episcopi orientales ad exstinguendum schisma Acacianum et postea Photianum in VIII. Synodo subscribentes professioni fidei a Pontificibus Hormisda et Hadriano II. propositae Hard. T. II. p. 1017. 1030; T. V. p. 773. 785. 786. coll. 1029; Agatho Pontifex ep. ad Impp. Hard. T. III. p. 1080. 1081.

Hanc a Christo ipso institutam unitatem et consensionem Episcoporum quae per unionem et consensum cum successore Petri efficiatur et conservetur, tamquam criterium integritatis doctrinae declarant praeterea ss. Patres, dum eandem describunt in ipsis Apostolis ut repraesentantibus totam suam successionem (vide supra p. 32. sq.). « Negare non potes, inquit Optatus Donatistae Parmeniano, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur,* nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque (disiunctas) defenderet, *ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret »* Opt. l. II. n. 3. (Galland. T. V. p. 471.). Cf. Tertull. contr. Marcion. l. IV. c. 2; Hieronym. ep. 112. n. 8. (ed. Vallarsi); August. contr. Faust. l. XXVIII. c. 4; Theophil. Alexandrin. ep. ad Episcopos Aegypti (Galland. T. VII. p. 617.); Sophron. ep.

synod. ad Serg. CP. lecta in Synodo VI. (Harduin.T.III. p. 1260.).

Sollicitudo ss. Patrum enumerandi et demonstrandi perpetuam successionem apostolicam in Ecclesia Romana, « ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, » profecta est ex eodem studio et directa ad eundem finem, ut scilicet immediate demonstrent successionem vere apostolicam custodum fidei, et mediate ex communione Ecclesiarum inter se et cum Ecclesia Romana omnium membrorum et totius corporis unitatem continente ostendant integritatem fidei apostolicae. Ad hunc scopum continuam seriem successorum Petri se consignasse diserte profitentur Irenaeus l. III. c. 3; Ephraem Syrus apud Asseman. Bibl. Orient. T. I. p. 129; Optatus l. II. n. 3; Epiphanius haeres. 27. n. 6; Augustinus ep. 53. al. 165. n. 2. cf. Tertull. Praescript. c. 32. « Nemo miretur, inquit Epiphanius post descripta omnium Pontificum nomina, quod singula tam diligenter percurrerim; *per haec enim veritas perenniter manifesta ostenditur.* »

Enimvero petra super quam Christus suam aedificavit Ecclesiam, ut portae inferi non praevaleant adversus eam, Petrus nempe in sua perpetua successione iuxta institutionem Christi (Matth. XVI. 18.) est principium unitatis visibilis, qua tota Ecclesia una est in communione et fidei consensione; atque ita petra a Christo posita intelligitur esse *causa formalis,* ut Ecclesia docens sit unum corpus per assistentiam Spiritus Sancti tamquam per *causam efficientem* infallibile in suis definitionibus ad conservandum et explicandum fidei depositum. Corpus nempe Ecclesiae docentis non est simpliciter *Ecclesia docens,* cui promissa est assistentia Spiritus veritatis et tutela Christi in docendo, nisi quatenus suo visibili capite velut informatur, ut sit simpliciter *Ecclesia docens,* eaque constituta sub assistentia Spiritus veritatis, per quam est infallibilis. Ideo dixi, *causam formalem* seu velut *formam constituentem* corporis infallibilis esse caput visibile ipsius corporis; *causa* vero *efficiens* infallibilitatis nec est nec esse potest alia nisi assistens Spiritus veritatis.

Verum ut Petrus in perpetua sua successione principium *activum* sit confirmando fratres ad fidei consensionem et continendo Ecclesiae unitatem in petra, ad hunc finem Christus rogavit, ut fides Petri perenniter permanentis non deficiat in suo hoc officio et munere divinitus iniuncto, contulitque petrae per se spectatae firmitatem, cui inniteretur perpetuo firmitas Ecclesiae, quae in hac unione cum petra et per petram a Christo Deo est constituta columna et firmamentum veritatis. Ideo in successore Petri per se spectato infallibilitas ad doctrinas fidei sua definitione proponendas et decidendas eiusdem rationis est ac in toto corpore Ecclesiae docentis suo capiti unitae. Sed haec alium postulant locum et longe ampliorem tractationem.

3°. Iam hoc principium, quod successio apostolica sic unita ac consentiens *sub assistentia est Spiritus Sancti*, inde ab Ecclesiae primordiis constituit summam et fastigium totius doctrinae de authentico organo Traditionis. Semper et ubique explicita vigebat professio, causam efficientem, per quam in successione perenni et in unitate custodum fidei conservetur integra doctrina, iuxta promissionem etiam in Scripturis consignatam ex donatione Christi esse ipsum Spiritum veritatis. Id enim fieri aiunt « per charisma veritatis certum » Iren. IV. c. 26. n. 2; « per operationem Spiritus » id. III. c. 24. n. 1. (1); « per doctorem veritatis, qui non sinit Ecclesias aliter intelligere aliter credere, » quam ab Apostolis acceperint Tertull. Praescript.

(1) « Praedicationem Ecclesiae undique constantem et aequaliter perseverantem... perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae (praedicatio) semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono (in Ecclesia) eximium quoddam depositum, iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas, in quo est. Hoc enim Ecclesiae creditum est Dei munus..... et in eo disposita est communicatio Christi i. e. Spiritus Sanctus.... in Ecclesia enim posuit Deus Apostolos, prophetas, doctores (1. Cor. XII. 28.) et universam reliquam operationem, cuius non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam.... Ubi enim Ecclesia, ibi Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas » Iren. III. 24.

« Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis..... qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt » Id. IV. 26.

c. 28. (1); « per Dominum Ecclesiae inhabitatorem, ne eat in errorem quamlibet studiosissima speculatio » August. in Ps. 9. n. 12; « per suggestionem Spiritus sancti (ἐνηχουντος του πνευματος ἁγιου), ne a vero deficiant » Episcopi in consensione Cyrill. Alex. ep. ad Monach. (T. V. inter epistolas p. 4.); « per charisma acceptum ad docendum in eodem Spiritu, et per Spiritum Patris, qui in eis loquitur » Leontius contr. Aphthartodocetas (Galland. XII. p. 682.). Consensionem in unam veritatem nihil impedit montium et marium disiunctio, quia consensionem ipsam unus efficit Spiritus, et dum in unitate manent, « omnes ab una Spiritus gratia edocti sunt » (2) Theodoret. dial. de Incommutabili (T. IV. p. 32.). Quocirca doctores et pastores « in Ecclesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos, quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit sed Deum » Lirinens. c. 40. Quod « in Sede apostolica inviolabiliter semper catholica custoditur religio, » huius privilegii ratio est, « quia non potest D. N. Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » (Professio orientalibus proposita et ab eis subscripta tempore Hormisdae et in Conc. VIII. ll. cc. supra). Cf. Basil. contr. Eunom. l. I. n. 3; Hieronym. in Amos IX. 15. (in fine); Augustin. sermon. de symbolo ad Catechum. n. 14. (T. VI.).

4°. Ex propositis capitibus consequitur id, quod Patres vetustissimi non minus inculcant, primum omnium quae-

(1) « Age nunc omnes (Ecclesiae) erraverint, deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo, nullam respexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius (cf. *alium* Paraclitum mittam vobis Io. XIV.), sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat; ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? » Tertull. ibi.

(2) Ὑπο μιας γαρ ἁπαντες πνευματικης ἐνηχηθησαν χαριτος. Confer his locutionibus declarationem Concilii Tridentini: « sancta ipsa synodus a *Spiritu Sancto.... edocta* atque ipsius Ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta » etc. Sess. XXI. c. 1; Sess. XIII. prooem.

rendum esse, ubinam sit Ecclesia a Christo instituta et ab Apostolis propagata; in hac enim necessario reperiri totam Christi doctrinam, et ab Ecclesia eam sincere praedicari. « Fugere igitur oportet sententias ipsorum . . . . *confugere autem ad Ecclesiam, et in eius sinu educari et Dominicis Scripturis enutriri* » Iren. l. III. c. 4; c. 24. n. 1; l. V. c. 20. n. 2. Legantur Ignatius ad Magnes. n. 7; Theophil. Antiochenus ad Autolyc. l. I. n. 14; Clemens Alexand. Strom. VII. p. 755; Tertull. Praescript. c. 19. 37; Origen. de Princ. praefat.; Cyrill. Hierosol. cateches. XVIII. n. 26. 27; Hieronym. dialog. contr. Lucifer. (ad finem); Augustin. de util. cred.; contr. ep. fundamenti c. 4. 5.

II. Si a constanti et universali doctrina hucusque exposita praescindatur, modus agendi et practice iudicandi de veritate vel falsitate dogmatum ac sententiarum quae in quaestionem vocabantur, semper et ubique observatus id ipsum quod diximus, evidenter demonstrat, totam nempe antiquitatem christianam hoc principio informatam, hoc fundamento nixam: integre conservari et tradi revelationem per consentientes pastores et doctores Ecclesiae a Christo datos (Eph. IV. 11.); ideo hunc consensum in doctrinam tamquam revelatam esse criterium certum Traditionis divinae inde ab Apostolis derivatae; ac proinde quamvis doctrinam novam repugnantem tali consensui hoc ipso repugnare revelationi ac Traditioni divinae.

1°. Tamquam argumentum princeps, contra quod nulla valeret exceptio, ad demonstrandam doctrinam revelatam et ad convincendum errorem oppositum semper valebat illud: « sic credit quae sub coelo est, catholica Ecclesia, et omnes Episcopi consentiunt nobiscum » Conc. Antioch. contr. Paul. Samosat. (Mansi T. I. p. 1033.); Conc. Nicaen. in fine symboli; Concilia subsequentia. Vide Athanas. de Synodis n. 5; ad Epictet. 3; Augustin. de Baptism. l. II. c. 9. n. 14; l. VII. c. 5; Cyrill. Alex. ep. synodica 3. ad Nestor. n. 5. 7. (in ed. Garner. Opp. Marii Mercator. T. II. p. 71.).

Hinc ad singulorum sive Episcoporum sive fidelium orthodoxiam probandam appellatum est ad communionem cum

Episcopis consentientibus Ecclesiae catholicae, vel cum Ecclesiis apostolicis et maxime cum centro ac vinculo unitatis et consensionis Pontifice Romano. Ita contra Gnosticos Iren. et Tertull. locis supra citatis (Iren. III. c. 4. n. 1; cf. l. I. c. 10. n. 2; Tertull. Praescript. cc. 20. 21. 32; contr. Marc. l. IV. c. 5.); contra Novatianos Cyprian. ep. 52. ad Antonian. et alibi; contra Semiarianos Basil. ep. 204. al. 75. ad Neocaesareenses; contra Apollinaristas Gregor. Nazianz. ep. 1. ad Cledon. T. II. p. 84. (ed. Maurin.); in schismate Antiocheno Hieronymus ep. 15. n. 2. ed. Vallarsi al. ep. 57; contra Donatistas Optatus l. II. n. 3. 5. 11. (Galland. V. p. 471-473.) et Augustinus ep. 43. al. 162. n. 1. 7. 19; ep. 44. al. 163. n. 3. 6; contra Monophysitas Episcopi orientales in professione fidei praescripta ab Hormisda Pontifice, et contra Photianos in Synodo VIII. (Harduin. Conc. Collect. ll. cc. supra).

2°. Quoniam doctrina fidei tradita est a Deo Apostolis, ab Apostolis Ecclesiae, et iugiter conservata a subsequentibus pastoribus et doctoribus: hinc semper appellatum est ad antiquitatem doctrinae ab haereticis impugnatae; antiquitas autem demonstrabatur ex testimonio et consensione Patrum antecedentium. Vicissim eâdem ratione demonstrabatur oppositae doctrinae novitas, et propter ipsam novitatem damnabatur, quod repugnaret fidei a maioribus acceptae. Unde principium alterum: sequendam *antiquitatem*, de qua constat ex Traditione; omnem doctrinae *novitatem* oppositam arcendam esse. « Id verum, quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis » Tertull. cont. Marc. IV. c. 5. « Nihil innovetur, nisi quod traditum est » (1) Stephanus I. Pontifex (apud Cyprian. ep. 74.)

(1) Verba Stephani in causa rebaptizantium quoad grammaticam constructionem aliquantisper singularem conferri possunt cum verbis Patrum Chalcedonensium in vetusta versione latina (Hard. II. p. 650.), ubi aiunt de epistola Leonis Pontificis: « *nihil praeter fidem quae olim a SS. PP. annuntiata est*, venerabilis Romanus Pontifex *innovavit* » (gr. ὀυδεν της παλαι παρα των ἁγιων πατερων καταγγελθεισης πιστεως ὁ θεοφιλης της Ῥωμης παρακεκινηκε προεδρος). Eusebius (H. E. VII. c. 3.) ait: « Stephanus *nihil recens invectum praeter Traditionem quae ab initio obtinuerat, innovandum* ratus est » (μη δεῖν τι νεωτερον παρα την κρα-

« Desinat incessere novitas vetustatem » Coelestinus I. Pontif. ep. 21. n. 2. « Nihil liceat novitati, quia nihil adiici convenit vetustati » Xystus III. Pontif. ep. 6. n. 7. cf. Vincent. Lirinensem c. 43. Hoc modo damnati sunt Gnostici aliique vetusti haeretici (Iren. III. 4; V. 20; Clem. Alex. Strom. VII. p. 762. 764; Tertull. Praescript. 8. 9. 10. 25. 26; contr. Praxeam c. 2; contr. Marc. IV. 5.); dissentientes de valore baptismi haereticorum (Stephan. Pontifex apud Cyprianum ep. 74. ad Pompei. et Lirinens. n. 9. 10.); Novatiani (Pacian. ep. 3. n. 1. 2.); Ariani in Concilio Nicaeno (Athanas. de Synod. n. 4. 9; Hilar. ad Constant.

τησασαν ἀρχηθεν παραδοσιν ἐπικαινοτομεῖν). Unde non facile concedam auctori « Defensionis Cleri Gallicani » l. IX. c. 3, istud *nihil innovetur* referri ad hominem suscipiendum in Ecclesiam, ut sensus sit: nihil praeter id quod traditum est, esse in homine innovandum, nempe ut reversis ab haeresi manus imponatur ad poenitentiam. Secundum modum loquendi Scripturae et PP. dici quidem potest *hominis innovatio per baptismum,* sed *innovatio* (*ἀνακαινωσις*) seu *regeneratio per poenitentiam* nulla est (cf. Heb. VI. 6.). Stephanus itaque vetat *innovationem circa Traditionem:* nihil novi inducatur, nisi (sed) hoc tantum servetur, quod traditum est, ut manus imponatur in poenitentiam. Ita ipse Cyprianus verba intellexit. « Praecepit (inquit l. c.) nihil aliud innovari, nisi quod traditum est; quasi is innovet, qui unitatem tenens unum baptisma uni Ecclesiae vindicat, et non ille utique qui unitatis oblitus mendacia et contagia profanae tinctionis (baptismatis haereticorum) usurpat. » De impositione manuum in poenitentiam vide dissertationem Petri Coustant (Epistolae RR. PP. p. 238. sqq.).

Ceterum si verba Stephani per se spectentur, directe *non definiunt* quaestionem *fidei;* sed continent praeceptum *traditae disciplinae* inviolabiliter servandae, quae pro fundamento habet doctrinam fidei, « post Cypriani passionem » directe et in se definitam. Verba Stephani sunt: « si quis de quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam » (apud Cyprian. ep. 74. ad Pompei.). Nimirum ut Augustinus ait, « nondum erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata; sed tamen saluberrimam *consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est* » (de Bapt. l. II. n. 12.). Hanc saluberrimam consuetudinem Romanus Pontifex servari praecepit, quin tamen ipsam de ministro baptismi doctrinam, cui illa innititur, directe et explicite definiret. Ideo Cyprianus ab unitate Ecclesiae abscissus non est, atque hoc sensu dici potest controversiam non directe ac immediate de fide, sed disciplinarem fuisse.

l. II. n. 4.); Apollinaristae (Greg. Naz. ad Cledon. ep. 2. T. II. p. 97.); Nestoriani in Concilio Ephes. (Cyrill. ad Clericos suos n. 10. ed. Garner. Opp. Marii Merc. T. II. p. 51; Lirinens. n. 42.); Eutychiani in Concilio Chalced. (Hard. II. p. 650.); Pelagiani ac Nestoriani a Coelestino et Xysto Pontificibus (Coelestin. ep. 21. ad Gallos; Lirinens. n. 43.); Monotheletae in Concilio Lateran. sub Martino I. (Hard. III. 887.). In his et in aliis omnibus semper erat «negotii exitus usitatus et solitus: retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas» (Lirinens. n. 9.). Conf. Stapleton T. I. l. VII. c. 4.

Porro in appellatione ad Patres antecedentes non tam propositum erat *historice* demonstrare doctrinae de qua quaerebatur, derivationem ab Apostolis, quam potius argumento *theologico* ex consensu antecedenti inferre absolutam antiquitatem et apostolicitatem doctrinae; quia videlicet ratum erat et apud Christianos extra controversiam, Patres consentientes numquam tradidisse tamquam fidei doctrinam nisi quod ipsi accepissent, nec docuisse nisi quod ipsi a suis antecessoribus didicissent (cf. supra p. 69.). Ideo in appellatione ad antecessores, etiam testificatio consentiens proxime antecedentium sufficere, non autem antiquissimorum Patrum directa testimonia in medium adducere necessarium iudicabatur, ut de sententia etiam antiquissimorum et de apostolicitate doctrinae constaret. Ita saeculo V°. Patres Concilii Ephesini tamquam ad testes irrefragabiles doctrinae apostolicae appellant ad Patres antecedentes decem, inter quos duo soli (Cyprianus et Felix Pontifex) sunt saeculi III[i]., reliqui omnes IV[i]. vel etiam V[i]. (vide Lirinens. n. 42.). Leo M. ep. ad Leonem Augustum appellat ad sex Patres, quorum tres saec. IV[i]. alii tres V[i]. Hard. II. p. 65. Inter 25 Patres citatos ab Augustino l. I. contr. Iulian. duo soli (Irenaeus et Cyprianus) vetustiores sunt saeculo IV°. Pariter saeculo VII°. in Concilio Lateranensi sub Martino I. inter 20. Patres citatos nonnisi duo vel tres erant aut saltem putabantur esse superiores saeculo IV°. (Iustinus, Hippolytus, Dionysius Areopag.) Harduin. III. p. 858. In synodo sexta tum scilicet in epistola Agatho-

nis ibi recitata tum a Concilio ipso appellantur 15 Patres, quorum nullus floruit ante IV. saeculum Hard. III. p. 1094. 1202. sq.

Concludimus confessione hominis Protestantis Münscher, qui rei evidentia convictus saltem factum agnoscit (Histor. dogmat. T. III. p. 132.). « Etiamsi, inquit, nulla diserta testimonia in promptu essent de auctoritate et usu Traditionis, eius tamen vis et momentum ex multis indiciis se proderet. Inde enim orta est illa sollicitudo in quavis sententia immo in quovis termino theologico suspicionem novitatis amovendi; inde Episcoporum, synodorum, et symbolorum protestatio tam frequens et expressa, nihil nisi acceptam a sanctis antecessoribus doctrinam proponi; inde studium in controversiis fidei doctrinam confirmandi auctoritate veterum, et oppositam arguendi novitatis; inde diligentia in Conciliis colligendi testimonia antiquitatis, quibus suam definitionem conformarent.... Haec scilicet demonstrant, habitum fuisse criterium verae doctrinae, ut Athanasius ait (de Decretis Nic. n. 4.), « cum omnes inter se consentiunt, et nec inter se nec a Patribus discrepant. »

THESIS IX.

De constitutione visibili organi Traditionis accommodatissima muneri iniuncto.

« Quamvis suprema ratio, ex qua perennis conservatio integritatis » doctrinae et certitudo ac securitas de hac conservatione oritur, sit » promissum et collatum a Christo perpetuum charisma veritatis; ipsa » tamen visibilis constitutio et communio custodum fidei quovis tempore » ita se habuit, ut secundum suavem Dei providentiam muneri iugiter » conservandae Traditionis plene respondeat. »

Sine dubio causa adaequata, qua per successores Apostolorum efficitur et infallibiliter certa redditur conservatio revelationis pridem consummatae, est Spiritus veritatis, qui successoribus Apostolorum perpetuo assistit iuxta promissiones Christi, quas et per se claras et hoc sensu ab universo nomine christiano inde ab Apostolis intellectas esse in superioribus thesibus demonstravimus. Quia vero

Spiritus Sanctus successoribus Apostolorum non adest tamquam praeconibus novae revelationis, sed tamquam custodibus depositi (th. V.), neque adest per continuas revelationes sed per assistentiam, directionem, et tutelam, ne umquam « eat in errorem quamlibet studiosissima speculatio » et diligentia humana: ideo elementum humanum, humana inquam actio, inquisitio, sollicitudo et solertia non excluditur, sed immo secundum suavem Dei dispositionem requiritur, estque hoc ipsum elementum humanum sub actione et directione Spiritus Sancti velut corpus visibile informatum spiritali charismate invisibili. Quare operae pretium erit ipsum subiectum visibile ministerii instituti ad custodiam fidei considerasse distinctius, ut intelligamus, qua perfectione ipsum hoc ministerium etiam secundum elementum visibile quovis tempore suo muneri responderit.

Dicimus itaque *a*) unionem et communionem visibilem custodum fidei, et *b*) eorundem indolem ac mores universim spectatos, simul cum principiis quibus nitebantur, huiusmodi esse, ut suspicio defectionis a doctrina primitus tradita et innovationis in universali praedicatione ecclesiastica inductae prorsus excludatur.

I. Ut intelligamus etiam humano elemento per se historice ac philosophice spectato repugnare innovationem contrariam apostolicae Traditioni, praecipuum locum sane obtinet unio ac communio hierarchica Episcoporum et fidelium totius Ecclesiae.

1°. Non solum semper observatum est apostolicum institutum, ut Episcopus non eligeretur, nisi prius de sinceritate eius fidei certis testimoniis constaret, « ne quis ad sacerdotalem locum indignus obreperet, » ut ait Cyprianus ep. 68; sed etiam praesertim Episcopi maiorum sedium continuo post electionem aliis collegis suis et maxime Pontifici Romano per litteras synodicas exponebant distinctam suae fidei professionem. « Apostolica et prisca Traditio in sanctis Dei per totum orbem Ecclesiis tenuit, ut qui ad episcopatum provehebantur, iis qui ante ipsos regebant summa sacerdotia, omnia sincere exponerent, quid sentirent et quomodo circa fidem se haberent.... ne in vacuum

currerent» s. Sophron. Episcop. Hierosolymitan. in epistola synodica ad Honorium Pontificem et Sergium Constantinopolitanum, in qua distinctam comprehendit fidei professionem (Concil. VI. Hard. III. p. 1259.). Ratio sanctae huius institutionis per se evidens est, et egregie declaratur a s. Gregorio M. « Nam cum vicissim nobis fidei nostrae confessionem transmittimus et charitatem nostram erga nos ostendimus, *quid aliud in sancta Dei Ecclesia agimus, nisi arcam bitumine linimus, ne unda erroris intret?* » Gregor. l. VII. ep. 4. ad Cyriac. Constantinopol. Vide eiusdem Gregorii l. IX. ep. 52. ad Secundin.; Leonis M. ep. 69. al. 52. n. 1; ep. 70. al. 54. n. 1; ep. 14. al. 84. n. 1; Hilarii Pontificis epp. 5. et 6; Gelasii epp. 1. et 2. Per litteras communicatorias seu formatas invicem missas nominatim per communicatorias cum Pontifice Romano Episcopi omnes de fidei communione cum toto orbe securi erant (Optatus l. II. n. 3. 5. 13.). « Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis » Tertull. Praescript. c. 21. (cf. th. VIII.). Cui vero communio negabatur, is « quisquis esset, Christianus non erat, quia in Ecclesia non erat » (Cyprian. ep. 51. ad Antonian.).

2°. Sicut solliciti erant tum singuli tum omnes simul Episcopi, ut fides singulorum consentiens fidei communi omnium esset testatissima, et diligenter cavebatur, ne a fide communi quomodocumque dissidens particeps videretur communionis ecclesiasticae; ex ratione eâdem vigili studio curabant, ut de fide una Episcoporum in singulis sedibus sese excipientium certo constaret. Cf. supra p. 69. sq. Hinc series Episcoporum orthodoxorum in diptychis singularum Ecclesiarum descripta diligentissime servabatur, reiectis iis qui defectionis a fide vel communione universae Ecclesiae suspecti fuerant. Vide Leon. M. ep. 80. c. 3. ad Anatol.; ep. Episcoporum Aegypti ad eundem (Hard. T. II. p. 698. 699.). Quanti haec res aestimata fuerit, apparet ex diuturnis controversiis e. g. de nomine s. Chrysostomi restituendo in diptycha; de delendis nominibus Acacii et successorum eius in sede Constantinopolitana, quae lis tenuit a tempore Ge-

lasii usque ad Hormisdam Pontificem. Cf. Card. Bona de Rebus liturgicis l. II. c. 12.

3°. Si quando in aliqua Ecclesia novitas doctrinae contra communem traditam fidem serpere coepisset, Episcopi erat non solum eam comprimere, sed etiam certiores reddere Episcopos alios et imprimis Pontificem Romanum, ut communi sententia ubique damnatus error ab Ecclesia arceretur. Episcopi Aegypti adversus Monophysitam Timotheum Aelurum opem postulant Anatolii Constantinopolitani Episcopi, « quatenus sancta et intemerata fides immobilis et intentabilis possit ab omni haeretica sapientia custodiri; nostrosque gemitus synodicis litteris *sanctissimo Ecclesiae Romanae Pontifici Leoni, nec non et Antiocheno et Hierosolymitano atque Thessalonicensi et Ephesino Dei amantissimis Episcopis, vel aliis quibus fuerit visum, Ecclesiis indicetis, quoniam hoc delictum laesio est communis, ut omnes totius orbis Episcopi cognoscentes ea quae praesumpta sunt a Timotheo, et quia novitates exercuit,....* dignam formam quae in hoc placuerit, praebere non differant » (Hard. T. II. p. 699.). Ita Episcopi in Concilio Antiochiae collecti Paulum Samosatenum deferunt Dionysio Romano Pontifici et Maximo Alexandrino (apud Euseb. H. E. VII. c. 25.); schismaticos Felicissimum et Fortunatum Cyprianus Cornelio Pontifici (ep. 55.); Arium omnibus Episcopis catholicis Alexander Alexandrinus (ep. inter Opp. Athanasii T. I. p. 397.). In causa Nestorii, Eutychianorum, Pelagianorum multae ultro citroque inter Episcopos datae sunt epistolae commonitoriae. Cf. Stapleton T. I. l. VII. c. 7.

Ad eandem servandae fidei et praecavendi periculi sollicitudinem pertinet, quod tum Clericis tum aliis fidelibus transeuntibus ab una Ecclesia ad aliam dari consueverunt a suis Episcopis litterae communicatoriae eorum sincerae fidei testes, ne homines a tradita fide devii ullibi in communionem fidelium irrepere possent. Conferantur canones Apostol. 10. et 26. (in versione Dionysii Exigui 13. 34.); Iliberitanus 58; Laodicenus 41; Chalcedonensis 11. (Act. XV.); Constitut. Apostolic. l. II. c. 58; Basilii ep. 191. T. III. p. 284; ep. 203. p. 301; Zosimi Pficis ep. 1. n. 1. ad Episcopos Galliae etc.

4°. Praeterea extraordinarium quidem, sed ubi periculum novitatis imminentis vel necessitas alicubi iam exortae id postulare videbatur, efficax praesidium unionis et consensionis, pariterque ad solemniorem confirmationem antiquitatis et damnationem novitatis erant et sunt Concilia Episcoporum vel ex provinciis singularibus, vel ex universa Ecclesia orbis terrarum. De hoc sicut etiam de unitatis glutino (ut Cyprianus loquitur) longe praecipuo atque ordinario per communionem omnium pastorum cum successore Petri tamquam membrorum cum capite (Concil. Chalcedon.) distinctius hic agere non possumus, cum istius tractationis alius proprius sit locus.

Iam haec tanta communio omnium Episcoporum universae Ecclesiae inter se, et haec tanta sollicitudo communis et unius fidei consideranda est simul cum principio fundamentali, cui omnes innitebantur et a quo totam fidei oeconomiam pendere apud omnes certum erat; retinendam scilicet esse fidem semel traditam, omnem novitatem oppositam esse subversionem fidei et salutis: « nihil innovetur, nisi quod traditum est. » Vide supra th. VIII. His autem simul spectatis quis non videt, quam apte ministerium institutum ad conservandam Traditionem etiam secundum visibilem constitutionem suo respondeat muneri? Hac enim unione et his pastorum unitorum principiis positis fieri numquam potuit, ut vel repente et uno quodammodo impetu vel paulatim serpendo novitas contra vetustatem praevaleret, et totam inficeret Ecclesiam, idque ita ut huiusmodi innovationis nec tempus nec modus nec historia ex certis et patentibus factis designari possit. Demonstratio haec erit adhuc plenior, si addatur consideratio altera, qui quantique viri fuerint in hac unione et inter se et cum suis antecessoribus per longam aetatum seriem et in omnibus Ecclesiis orbis terrarum coniuncti.

II. Si mentem primum convertamus ad aetatem ss. Patrum, custodes illi fidei divina providentia per universas Ecclesias inde ab Apostolis per multa saecula dispensati insignes fuerunt morali universalitate omnes amore et studio doctrinae ab Apostolis traditae ac detestatione pari

omnis novitatis; multi ex iis doctrinam, quam acceperant et tradebant ut apostolicam, martyrio sanguinis vel aerumnosae confessionis confirmarunt; praestantes non solum cognitione doctrinae quam ab antecessoribus acceperant et cui innutriti erant, sed etiam sanctitate vitae christianae; multi ex iis clari ingenio et scientia amplissima rerum divinarum et humanarum. Hi viri tot ac tanti omnes inter se conspirantes sententiis, uniti communione, in id omnem suam sollicitudinem, omnes suas curas conferebant, de quo paulo ante diximus, ut semper servaretur antiquitas et arceretur quaevis novitas doctrinae ceu subversio totius religionis christianae. Adhibebantur igitur opes omnes maximae et aptissimae, adhibebantur ab hominibus aptissimis, adhibebantur modis aptissimis ad conservationem traditae doctrinae; ergo si divina providentia adest rebus maximis, a quibus pendet religio et salus populi christiani, fieri non potuit innovatio et traditae doctrinae corruptio.

Haec porro consideratio saltem quoad suas partes essentiales applicari potest omnibus aetatibus Ecclesiae et successionis apostolicae. Si quando sanctitatem et scientiam quod adtinet, nubes quaedam inductae sunt, certe idem semper mansit studium Traditionis servandae, idem horror novitatis, eadem consensio in doctrinam a ss. Patribus acceptam: atque adeo si aetate Patrum doctrina apostolica perseveravit integra, non minus intemerata eadem ad nos usque perducta est.

His rationibus, quas hic vix paucis indicavimus, omni tempore a sanctissimis Traditionis custodibus ipsis vindicata est auctoritas et fidelitas antecessorum suorum in eodem munere custodiae depositi. Patres Concilii Lateranensis sub Martino I post antecedentium Patrum sententias unanimes recitatas exclamarunt: « *Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi perficientes cum summa devotione ss. Patres verbum, datam eis lucernam ab eo gratiae et scientiae non utique sub modio absconderunt infructuosae obscuritatis, sed super candelabrum sustulerunt salutiferae doctrinae, quatenus resplendeat omnibus qui in domo sunt, id est populo catholicae Ecclesiae....* Quae utique et nos per lectio-

nem venerabilium sermonum eorum perspicientes, ipsum quidem glorificamus Patrem luminum, *ex quo omne datum bonum et omne donum perfectum mandatum est eis ad plenitudinem catholicae eius et apostolicae Ecclesiae;* accusatores autem eorum merito reprobavimus tanti luminis obumbrare nitentes veram confessionem per novitatis commentum » (Harduin. T. III. p. 886.). Augustinus multis in locis eo quo diximus modo, auctoritatem Patrum antecedentium commendat eloquentissime. Sic postquam plurium sententiam adversus Iulianum Pelagianum adtulerat: « *isti Episcopi sunt,* inquit, *docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores* adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bono iudici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates temporum locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat... Tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas *catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac et cibum parvis magnisque ministraverunt... Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit; ideo profanas voces vestrae novitatis expavit... Quaesiturus es iudices, ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicae veritatis accuses... insuper et universam Christi Ecclesiam, cui divinae familiae dominica cibaria fideliter ministrantes ingenti in Domino gloria claruerant* » August. cont. Iulian. l. II. n. 37. Vide eundem contra Iulian. l. I. n. 30-34; l. II. n. 31. 34; Oper. imperf. l. II. n. 37; Clement. Alex. Strom. VII. p. 762; Tertull. Praescript. c. 29; Athanas. de Synodis n. 4. 43. 47; Basil. contra Eunom. l. I. n. 3; Gregor. Naz. ad Cledon. ep. 2. Opp. T. II. p. 97; Hilar. ad Constant. l. I. n. 5; Lirinens. n. 33.

Iam si simul omnia comprehendantur quae hac thesi diximus, modus et scopus communionis omnium pastorum, sollicitudo et praesidia servandae Traditionis, ardens studium unius semper et eiusdem doctrinae cum detestatione

novitatis, sanctitas, scientia eorundem pastorum; evidens est successionis apostolicae secundum suum visibile elementum plenissima aptitudo ad servandam integritatem traditae doctrinae, ita ut his per se spectatis sub communi etiam providentia Dei mutatio et corruptio moraliter impossibilis appareat. At quoniam haec omnia dona, haec perpetua unitatis et consensionis conservatio iuxta Christi promissiones sunt et demonstrantur esse effectus tutelae Christi manentis cum successoribus Apostolorum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, et Spiritus veritatis manentis cum eisdem in aeternum (th. V.), certitudo oritur theologica, supernaturalis et absoluta.

Corollarium 1um ad duas theses antecedentes. Quando constat de existentia et auctoritate semper viventis magisterii et ministerii ad conservandam Traditionem iuxta modum in superioribus thesibus demonstratum; sufficit demonstrasse *aliquo tempore* obtinentem consensum fidei in successione apostolica, quo vindicetur revelatio divina et apostolica Traditio cuiusvis capitis doctrinae. Inquisitio ergo veritatis revelatae, et disputatio cum heterodoxis non a singularibus doctrinae capitibus, sed a demonstratione universalis *principii cognitionis,* videlicet ab auctoritate et munere successionis apostolicae ad conservandam ac propagandam integram revelationem exordienda est. « Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani... Illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum » Tertull. Praescript. 19. Vide supra th. VIII. cf. p. 5. sq. 21.

Nihilominus ut ad fructum scientiae theologicae demonstretur *historice*, et adversus eos qui negant principium auctoritatis, vindicetur *polemice* apostolica origo et revelata veritas singulorum dogmatum, non sufficit mera appellatio ad consensum praesentem; sufficit tamen demonstrare consensum in eandem dogmatis veritatem aliquot saeculis anteactis, quae tempora Patrum appellantur, quin

necesse semper sit testimoniis disertis exhibere consensum aetatis apostolicae vel proxime sequentis ex parcis, quae nobis supersunt monumentis. Scientifice enim, etiam adversus negantes authenticum magisterium, ex consensu antiquitatis christianae licet paulo sequioris potest inferri derivatio doctrinae ex tempore apostolico, et consensus praesens ostendi connexus cum doctrina aetatis apostolicae per demonstratum consensum temporis intermedii, dum doctrina quam nunc profitemur, demonstretur identica cum doctrina Patrum quarti puta quintive saeculi ex testimoniis disertis, et haec ipsa ostendatur identica cum doctrina aetatis apostolicae ex impossibilitate mutationis et innovationis.

Corollarium 2um. Quamvis in doctrinis traditis quae omnibus sunt explicite credendae, semper fuerit plenus consensus (Aug. contr. Iulian. l. I. n. 31.); possunt tamen contineri in obiectiva revelatione capita doctrinae, in quibus aliquo tempore consensus vel non fuerit satis perspectus vel reipsa non obtinuerit (August. ibid. n. 22.). Unde fieri quidem nequit, ut in successione apostolica post consentientem affirmationem et professionem explicitam alicuius doctrinae fidei sequatur intra fines Ecclesiae eiusdem doctrinae negatio, vel vicissim post consentientem negationem et damnationem eiusdem affirmatio; potest tamen fieri, ut post discordes sententias sequatur plenissimus consensus.

Ergo *a*) discors sententia de aliqua doctrina inter custodes fidei in communione mutua perseverantes non est argumentum per se sufficiens ad probandum, doctrinam non esse divinitus traditam; licet probet, de divina eius traditione saltem ad obligationem fidei pro omnibus seu fidei catholicae nondum satis constare. Contra *b*) in quacumque communione demonstrari potest inducta post antecedentem consensum professionis fidei mutatio ex affirmatione in negationem vel vicissim; ea non est Ecclesia Christi.

THESIS X.

De distinctione inter auctoritatem historicam et dogmaticam in testificatione Traditionis.

« Discrimen inter principia Ecclesiae ante Concilium Nicaenum et » Ecclesiae sequentis aetatis a Protestantibus quibusdam assertum, quod » Ecclesia uno tempore apostolicam originem suae doctrinae testimoniis » mere historicis, tempore alio auctoritate sui magisterii vindicare con- » sueverit, plane fictitium censeri debet. Quovis enim tempore elemen- » tum historicum in antiquitate ac consensione testificationis et elemen- » tum divinum auctoritatis per assistentem Spiritum veritatis distin- » ctum, numquam tamen unum ab altero separatum intelligebatur. »

Affirmant Protestantes (ut Twesten Dogmatic. T. I. p. 117.), antiquiorem Ecclesiam solum historice appellasse ad Traditionem, demonstrando scilicet in Ecclesiis apostolicis, quibus Apostoli ipsi praedicaverant, per continuam successionem Episcoporum usque ad sua tempora saeculi II. et III. fidem ab Apostolis traditam nondum fuisse corruptam, sed adhuc integram; posteriori vero tempore Ecclesiam « id quod testimonio Traditionis historice considerato deerat, supplere studuisse auctoritate, quam sibi vindicabat. » Docent alii (Lessing, Delbrück), Ecclesiam antiquam ante Nicaena tempora sibi sufficere censuisse traditam regulam fidei; post Concilium Nicaenum vero habuisse Scripturas inspiratas ut unicum fontem et normam doctrinae fidei. Hanc temporum comparationem alii plerique invertunt affirmantes, usque ad saeculum IV. vel etiam tardius usque ad saeculum VII. unicam normam fuisse Scripturas, ex eo autem tempore coepisse appellari etiam ad Traditionem (cf. cl. P. Perrone de Tradit. n. 381.).

I. Quam haec omnia non solum falsa sint sed prorsus absurda, patet cuivis comparanti doctrinam ss. Patrum in superioribus duabus thesibus propositam, ubi ad singula capita citavimus testimonia tam Patrum, qui ante Concilium Nicaenum, quam qui post illud tempus a II° ad VI^m^ et VII^m^ saeculum floruerunt. Vetustiores ac recentiores illi Patres uno ore plene consentiunt tum in usu Traditionis velut demonstrationis historicae ex perpetua successione Episcoporum, ex connexione cum Apostolis et communione et

consensione universali; tum in praedicanda Traditionis infallibili securitate et divina auctoritate, quae derivetur a Spiritu veritatis inhabitatore Ecclesiae; tum in asserenda hac Traditione authentica tamquam norma interpretationis Scripturarum, quamvis de hoc ultimo inferius data opera nobis agendum adhuc sit.

Sane si Patres apostolici et subsequentes II. III. saeculi Irenaeus, Tertullianus etc. appellant ad doctrinam ab initio traditam, ad Traditionem quae est ab Apostolis per successiones presbyterorum, ad census Ecclesiarum apostolicarum; idem non minus frequentatur a Patribus post Concilium Nicaenum, Athanasio, Epiphanio, Optato, Augustino, Vincentio Lirinensi ceterisque, qui sanctos antecessores commendant, quia « quod a Patribus acceperunt, filiis tradiderunt, » ut loquitur Augustinus; et ante eum Athanasius: « nos quidem sententiam, inquit, a Patribus ad Patres transiisse demonstramus.... vos synodum insectamini, quia videlicet non vestra sed illa definierit, quae ab initio tradidere testes oculati, qui et ministri verbi fuere » de Decret. Nicaen. n. 27. Nec minus quam Irenaeus et Tertullianus Patres quoque posteriores appellant ad continuam successionem in Ecclesia potissimum Romana ut centro et vinculo unitatis, « quoniam per eam successionem perpetuo manifesta veritas demonstratur, » ut testantem vidimus Epiphanium; et Augustinus: « tenet me, inquit, in Ecclesia ab ipsa Sede Petri usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum » contr. epist. fundamenti n. 5. Vide supra p. 69. sq.

Vicissim Patres posteriores potissimum fundamentum constituunt quidem in consensione, quatenus ea est et effectus et criterium Spiritus veritatis manentis in aeternum cum successione apostolica, atque adeo appellant ad auctoritatem magisterii derivatam ex promissa assistentia Spiritus Sancti. At vero non minus diserte Patres vetustissimi Ignatius, Irenaeus, Tertullianus supremam rationem, cur a communi doctrina Ecclesiae dissentire nefas sit, et qua constet, divinam doctrinam esse sincere et integre per successionis ordinem conservatam, tandem revocant ad auctorita-

tem divinitus derivatam a Christo in Apostolos et ab Apostolis in eorum successores, ad « charisma veritatis communicatum cum episcopatus successione, » ad « communicationem Christi id est Spiritum Sanctum, » ad promissum et missum « doctorem veritatis Spiritum Sanctum. » Vide p. 74. sq.

In doctrina itaque Patrum de ministerio Traditionis distinguitur disputatio duplex, de elemento scilicet visibili et de charismate invisibili, quae duo sunt quidem connexa, cum visibile ab invisibili pendeat, in propria sua ratione constituatur, et quodammodo informetur; considerantur tamen a Patribus et debent considerari ambo distincta. Nimirum ut demonstrent conservationem et derivationem doctrinae ab Apostolis, Patres vetustissimi tria distinguunt, successionem apostolicam, consensionem, et perpetuum charisma Spiritus Sancti. Successio Episcoporum inde ab Apostolis est necessaria, non tamen in Ecclesiis singulis per se sufficit ad demonstrandam apostolicitatem doctrinae; *negative* ergo ex eius defectu probant, a sectis posterius exortis non teneri apostolicam doctrinam. Ut non solum materialis sed formalis sit successio apostolica, postulatur in perpetua successione personarum (Episcoporum) simul consanguinitas et successio doctrinae; huius autem criterium est consensus et communio cum Ecclesia universali (1), cuius iterum communionis vinculum simul et criterium est communio

(1) « Ubi tunc (sub Apostolis) Marcion...... ubi tunc Valentinus? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub episcopatu Eleutheri benedicti... in perpetuum discidium relegati venena doctrinarum suarum disseminaverunt.... Cupio ostendant mihi, ex qua auctoritate prodierunt... Probent se novos Apostolos esse, dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum; sic enim Apostolos solet facere; dare illis praeterea virtutem eadem signa edendi, quae et ipse... Ceterum si quae audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem... Confingant tale aliquid haeretici... Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa

cum Ecclesia Romana, quae unitatis radix est ac centrum (supra p. 69. sqq.). Iam ex hac successione et consensione Patres argumentum ducunt dupliciter: *a*) magis *historicum* et *philosophicum*, quia *historice* constat, Episcopos sibi succedentes quorum memoria et nomina in Ecclesiae veneratione servata sunt, fideles fuisse custodes fidei; neque enim in serie Episcoporum eius nomen fuisset toleratum, qui depositum adulterasset (cf. supra p. 82.). Praeterea unanimis consensus omnium Ecclesiarum, quae per totum orbem constitutae sunt, est ipse argumentum etiam *philosophicum* veritatis; error enim est multiplex, veritas una. « Ecquid verisimile est, inquit Tertullianus Praescript. c. 28, ut tot ac tantae (Ecclesiae) in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus, variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum. » Haec historica et philosophica consideratio instituitur potissimum polemice et in oppositione ad varietates et dissensiones multiplicium haereseon. *b*) Argumentum proprium ac supremum ducunt, ut vidimus, ex consideratione *theologica* successionis et consensionis, quatenus a Christo originem habet ad custodiam depositi, et ad hoc infallibiliter servandum ei promissa et semper praesto est tutela Christi et assistentia Spiritus Sancti (th. VIII. n. 3°.).

Non ergo in modo considerandi ministerium Traditionis et in methodo demonstrandi integritatem doctrinae traditae

enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse neque Apostolici.... Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam (successionis apostolicae, et consanguinitatis doctrinae in consensione cum Ecclesiis apostolicis) a nostris Ecclesiis provocatae, probent se, quaqua putant, apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec possunt probare quod non sunt; nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquomodo apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicae » Tertull. Praescript. c. 30–32; cf. 36. 37. Clem. Alex. Strom. VII. p. 764. 765.

ullum est discrimen inter Patres vetustissimos et inter recentiores. Sed qui hoc confinxerunt, solum adtenderunt argumentationem historicam apud vetustiores Patres dissimulata argumentatione theologica, quae est potissima et non minus diserta apud eosdem; contra vero Patrum recentiorum solam partem theologicam, dum appellant ad auctoritatem manentem ex promisso et collato charismate veritatis, selegerunt neglecta eorum argumentatione historica et philosophica. Hac sane arte contradictiones et diversitates sententiarum ubique reperientur.

II. Protestantes ex suo principio fundamentali neque in consentiente testificatione antiquitatis christianae et Ecclesiae totius agnoscunt authenticam propositionem revelatae doctrinae, sed tantummodo historicum *testimonium fidei*, ut loquuntur, h. e. testimonium ex quo discamus, quae fuerit eorum attestantium fides; ita ut non fides nostra ad illud testimonium conformanda, sed testimonium ipsum ad normam unicam fidei, quae est Scriptura, examinandum et iudicandum sit (cf. supra p. 7.). Quoniam vero vel inviti sentiunt, quantum sit ponderis in sententia ac iudicio antiquitatis christianae, conantur hoc ipsum suum principium obtrudere vetustis Patribus. Aiunt igitur, Patres illos ad Ecclesiarum et nominatim ad Ecclesiarum apostolicarum doctrinam tum vigentem solum appellasse, *quia* vel *quatenus* videbant eam actu consentire cum doctrina Scripturarum; adeo ut demonstratio apostolicitatis doctrinae ex Scripturis independenter a sensu et consensu Ecclesiarum praecedat et sola sit propria demonstratio, examen autem professionis Ecclesiae subsequatur, et si ea reperiatur conformis Scripturis, confirmationem aliquam praebeat demonstrationis propriae, quae instituta est ex solis Scripturis independenter ab auctoritate et Traditione Ecclesiae.

Quam hoc impudens sit mendacium, puto satis constare ex superioribus. Vide th. VIII. Nihilominus praeter iam demonstrata inquiramus sententiam vetustorum Patrum de hac re adhuc distinctius. Statuunt unanimes et disertissimis verbis, praedicationem et Traditionem ecclesiasticam esse normam supremam et necessariam, ad quam Scripturarum

et canon et lectio et interpretatio exigenda sit. Non ergo Scripturae sensus erutus interpretatione independenti est eis norma, ad quam examinent et vel probent vel reiiciant praedicationem et Traditionem Ecclesiae; sed haec praedicatio ut ab Ecclesia proponitur, est eis fidei obiectum et norma, ad quam sententia de ipso Scripturarum canone et vero sensu exigenda sit.

Per successionem Episcoporum, quibus Apostoli Ecclesiam quae in unoquoque loco est tradiderunt, ait Irenaeus, « pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima... et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima » l. IV. c. 33. n. 8. Eodem modo Tertullianus: « ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen... Ordo rerum desiderabat illud prius proponi... quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani; ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium Traditionum christianarum » Praescript. 19. Ut autem reperiatur, ubi sit veritas doctrinae, provocat Tertullianus cum ceteris ad consensum Ecclesiarum (supra p. 71.). Unde monet ulterius Irenaeus, in Ecclesia a Domino ipso positos esse doctores: « ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis Ecclesiae successio... Hi enim et fidem nostram custodiunt... et Scripturas sine periculo exponunt l. IV. c. 26. n. 5; cf. ib. c. 32. n. 1. Ita et Clemens Alexandrinus: « recta sunt omnia coram iis, qui intelligunt h. e. iis, qui ab ipso (Domino) declaratam expositionem Scripturarum *secundum ecclesiasticam regulam* accipientes conservant » Strom. VI. p. 676. Verum et genuinum Gnosticum ait esse, « qui cum in ipsis consenuerit Scripturis servans apostolicam et *ecclesiasticam dogmatum rectitudinem,* rectissime vivit » Strom. VII. p. 762. (cf. VI. p. 645. 679; VII. p. 755; Origen. Princip. IV. n. 9; Euseb. Demonstr. Evang. l. I. c. 8.). Clementis discipulus Origenes tum in praefatione ad libros de Principiis ut fundamentum totius theologiae et

γνωσεως christianae declarat *praedicationem ecclesiasticam* (cf. supra p. 68.); tum diserte Traditionem definit esse normam supremam interpretationis Scripturae. « Quoties (haeretici) canonicas proferunt Scripturas, inquit, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere: ecce in domibus est verbum veritatis (Matth. XXIV. 26.). Sed nos illis credere non debemus nec exire *a prima et ecclesiastica Traditione, nec aliter credere nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei traditum est* » Comment. in Matth. n. 46. T. III. p. 864. In Recognitionum libris nomine Clementis Romani suppositis sed scriptis saeculo III. ineunte, inducitur s. Petri admonitio. « Multas, ut video, ingeniosi homines ex his quae legunt, verisimilitudines capiunt; et ideo *diligenter observandum est, ut lex Dei cum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur.* Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quae possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpserit, quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adtuleris, alienum et extraneum debes quaerere, quem ex Scripturarum auctoritate confirmes; sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis, et ideo oportet *ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat* » l. X. n. 42. (Galland. II. p. 322.) cf. l. VIII. n. 37. (ib. p. 298.). Ne prolixiores simus, omnium Patrum inde ab aevo apostolico ea est sententia, quae s. Vincentio Lirinensi saeculo V° « a quam plurimis sanctitate et doctrina praestantibus viris » confirmata est, unumquemque « duplici modo munire fidem suam debere; primo scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde Ecclesiae catholicae Traditione. » Ratio autem, cur Scripturarum canoni « ecclesiasticae intelligentiae iungenda sit auctoritas, » a Vincentio declaratur: « quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illic sententiae erui posse videantur. » Nominatis aliquot haereticis, qui suas haereses ex ipsis Scripturis defendunt, concludit: « atque idcirco multum necesse est propter tantos

tam varii erroris anfractus, *ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur* » Lirin. cc. 1. 2. 38; cf. etiam August. de Genesi ad litter. Op. imperfect. n. 15; Rufin. Hist. Eccl. l. II. c. 9. Vide Stapleton Controv. l. XI. c. 3.

THESIS XI.

Per synthesin ex praecedentibus colligitur proprius Traditionis conceptus, et ex Patrum sententiis confirmatur.

« **Doctrina fidei universa, quatenus sub assistentia Spiritus Sancti » in consensu custodum depositi et doctorum divinitus institutorum con- » tinua successione conservatur, atque in professione et vita totius Ec- » clesiae sese exserit, sensu maxime proprio divina est Traditio. Hanc » ss. Patres dicunt** ***praedicationem ecclesiasticam, intelligendi regulam, » regulam apostolicae veritatis,*** **si directe spectatur doctrina** ***ut obiectum,*** **» quod in successione apostolica servatur ac traditur; est autem et di- » citur** ***conscientia fidei, catholicus intellectus, ecclesiasticus sensus, fides » scripta in cordibus, sapientia non scripta,*** **si directe** ***ut subiectum*** **spe- » ctatur Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti constituta et charismate » veritatis imbuta ad intelligendum, custodiendum et explicandum de- » positum fidei.** »

I. Prima pars theseos est mera synthesis antecedentium. Demonstratum est, promulgationem revelationis a Christo ipso esse ita dispositam, ut Apostoli pro Christo legatione fungentes suo ministerio et auctoritate praedicationis, qua per Spiritum veritatis erant instructi, Ecclesias fundarent, eisque totam doctrinam revelatam velut hereditatem transmitterent; atque adeo fit, ut religioni christianae secundum divini sui auctoris institutionem essentialis sit « obedientia fidei » respondens supernaturali auctoritati docentium, proindeque essentiale sit magisterium authenticum (th. IV.). Insuper demonstratum est, verbis disertis instituisse Christum, ut magisterium authenticum cuius auctoritas est ex assistentia Spiritus Sancti inducentis in omnem veritatem, primo ordinatum ad infallibilem promulgationem revelationis sit perpetuum usque ad consummationem saeculi ad eiusdem integrae revelationis conservationem et propagationem (th. V.). Unde constat ulterius, hanc oeconomiam a Christo institu-

tam ex rei natura nexam esse cum charactere unitatis in universalitate fidei christianae (th. VI.); nec posse censeri Scripturas substitutas magisterio successionis apostolicae, sed eas esse instrumentum doctrinae, quod ipsis custodibus depositi est commissum custodiendum et explicandum (th. VII.). Tum demonstratum est, secundum hanc oeconomiam in Scripturis definitam et exhibitam evidenter inde a temporibus Apostolorum universam Ecclesiam esse constitutam, hocque nixam fundamentali principio, magisterium et ministerium ad custodiendam et praedicandam integram revelationem esse institutum in successione apostolica; idque ita, ut huic magisterio, quatenus in consensu et communione nominatim cum visibili unitatis centro spectatur, promissum sit semperque praesens supernaturale charisma Spiritus Sancti (th. VIII.). Huic muneri porro intelleximus elementum visibile totius constitutionis et actuum Ecclesiae tam in vita (si ita loqui fas est) quotidiana, quam in solemnibus gestis mirabiliter respondere; constanter tamen semper et ubique formalem rationem auctoritatis et plenae securitatis in servanda et explicanda doctrina repetitam fuisse a charismate invisibili Spiritus Sancti (th. IX. X.). Ex quibus omnibus apparet, Ecclesiam universam omnium aetatum et omnium locorum cum tota sua historia esse magnum commentarium realem, ac perpetuam confirmationem veri sensus, quem in verbis Christi et Apostolorum expressum Catholici credimus et demonstramus.

Ergo demonstratum est, insitam naturam et propriam rationem Ecclesiae a divino fundatore esse ita constitutam, ut fides et disciplina divinitus primum a Christo ipso et dictante Spiritu Sancto ab Apostolis tradita, per ministerium et magisterium authenticum semper vigens ac vivens a generatione in generationem propagetur. « Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini, et qui ab ortu solis, gloriam eius, cum venerit... Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: *Spiritus meus qui est in te* (1), *et verba mea quae*

(1) Allocutio Domini non est directa ad Isaiam, sed ad eos quibuscum suum hoc foedus futurum esse dicit, h. e. vel ad populum christianum vel ad Christum simul et ad Ecclesiam. Ergo pronomen numeri

posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum» Is. LIX. 19-21. « Traditionem Apostolorum, ut disputat Irenaeus, in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere... et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos... Tantae igitur ostensiones cum sint (al. ostensionis cum sint haec), non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae; haec est enim vitae introitus » Iren. III. cc. 3. 4. Atqui doctrina et disciplina divina inde ab Apostolis conservata et propagata, si consideretur una cum modo et organo propagationis, quod ab instrumentis Scripturae distinctum ac diversum a Christo ipso est institutum, *divina Traditio* est ac dici debet sensu maxime proprio (th. II. III.). Ergo constat propositum in priori parte praesentis theseos.

II. Quoad alteram partem theseos in primis ob oculos ponenda est phraseologia Sanctorum, ubi loquuntur de doctrina ac disciplina divina, prout viget et vivit per omnes aetates in fide et professione, in vita et cultu totius Ecclesiae et nominatim in consensu pastorum et doctorum.

Iam s. Ioannes ait: « Filius Dei venit et *dedit nobis sensum* (διανοιαν), ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius » 1. Io. II. 20; et s. Paulus: « nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis... Quis cognovit sensum Domini, qui instruat eum? *Nos autem sensum Christi* (νουν Χριστου) *habemus* » 1. Cor. II. 10-16.

ingularis in *te*, in ore *tuo*, seminis *tui* non refertur ad Isaiam, sed est collectivum referendum ad eos, quos Dominus alloquitur. Quomodo enim secus intelligas incisum: de ore *seminis tui?* potestne Ecclesia et populus christianus appellari semen Isaiae? Promittitur igitur Spiritus Domini, promittuntur verba Domini permansura cum novo populo Dei a generatione in generationem usque in sempiternum. Cf. loca parallela in prophetiae iam implemento Io. XIV. 16; Matth. XXVIII. 29. supra th. V.

Ioannis discipulum Ignatium audivimus supra (p. 66.) monentem, ut omnes « unanimes sint in sententia Dei; » ad quam unitatem vinculum sunt « Episcopi per fines terrae constituti, qui *sunt in sententia Iesu Christi;* » et quia Iesus Christus est ipsa sententia, ipsum Verbum Patris, ideo qui sunt unanimes in sententia Episcopi (uniti cum Episcopis per fines terrae), sunt in sententia Dei. Sententia itaque Patris est Iesus Christus; sententia Iesu Christi est in consensu Episcoporum, et per hos in consensu omnium fidelium ep. ad Ephes. n. 3. sqq.

Irenaeus, ut vidimus, distinctissime Traditionem declarat ut integram doctrinam, quae per successiones Apostolorum pervenit usque ad nos, operante et charisma veritatis largiente Spiritu Sancto (supra p. 74. sq.), et cuius doctrinae compendium comprehenditur atque omnibus Christianis semper tradebatur in symbolo apostolico. Iam hanc in Ecclesia traditam et in tota eius vita sese exserentem fidem appellat « *regulam veritatis immobilem,* » per quam haereses et falsae interpretationes Scripturarum dignoscuntur l. I. c. 9. n. 4; l. III. c. 2. n. 1; « *veritatis praeconationem* » το της ἀληθειας κηρυγμα III. c. 3. n. 3; « *praedicationem Ecclesiae* undique constantem et aequaliter perseverantem » l. III. c. 24. n. 1; « *Ecclesiae praedicationem* veram et firmam, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur » l. V. c. 20. n. 1; « *praeconium Ecclesiae,* quod prophetae quidem praeconaverunt, perfecit autem Christus, Apostoli vero tradiderunt, a quibus Ecclesia accipiens per universum mundum sola bene custodiens tradidit filiis suis » l. V. praefat. (cf. Conc. Trid. sess. IV.).

Eodem sensu Tertullianus appellat « *regulam fidei unam omnino, solam immobilem et irreformabilem* » de veland. virg. c. 1; contr. Prax. c. 2. et 3; de Praescript. c. 13. 14; « *regulam* quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit » Praescript. c. 37.

A Clemente quoque Alexandrino dicitur *regula ecclesiastica,* ex qua accipitur Scripturarum expositio, et qua novum et antiquum Testamentum in concentum redigun-

tur, contra ac Gnostici inter Testamentum utrumque fingunt repugnantiam Strom. VI. p. 676. Ipsam γνωσιν h. e. profundiorem mysteriorum et Scripturarum intelligentiam docet traditam esse per successionem inde ab Apostolis, quae est « *scriptae non scripta Traditio,* » a Christo ad Apostolos, ab Apostolis ad nos usque perveniens, atque ideo pertinens ad ipsam *regulam ecclesiasticam,* secundum quam Scripturae sunt intelligendae ibid. p. 645. 679. Hanc appellat etiam *ecclesiasticam sapientiam* (1) l. VII. p. 759; quae « verissima γνωσις in sola est antiqua Ecclesia » non autem apud haereticos ib. p. 755; haeretici enim « depravant *regulam Ecclesiae,* » habent scilicet « falsam clavim et non ingrediuntur sicut nos per Domini Traditionem, sed perfosso Ecclesiae muro veritatem transgrediuntur » ib. p. 764. 765.

Sequitur Clementis discipulus Origenes. In praefatione ad libros de Principiis ut norma, ad quam omnes sententiae exigendae sunt, ponitur « *ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem* ab Apostolis tradita et usque ad praesens in Ecclesiis permanens; » hanc dicit « *regulam apostolicae veritatis* » in Ps. 36. hom. 4. n. 1. T. II. p. 671; « *regulam* coelestis Ecclesiae Iesu Christi *secundum successionem apostolicam* » (2) de Princip. l. IV. n. 9. T. I. p. 166.

Antiquus auctor libri adversus Artemonitas inscripti « Parvus Labyrinthus » Traditionem appellat *sensum ecclesiasticum et primitivae fidei regulam* (3) apud Euseb. H. E. l. IV. c. 28. Simillimus est modus loquendi Athanasii, qui universalem doctrinam, qua Episcopi et tota Ecclesia informantur, dicit « *intellectum, secundum quem nos sentimus* » (4) or. II. contr. Arian. n. 34. T. I. p. 502; et « *ecclesiasticum scopum,* fidei anchoram » or. III. n. 58.

(1) Της γνωσεως της ἐκκλησιαστικης μυστηρια.

(2) Κανων της Ἰησου Χριστου κατα διαδοχην των Ἀποστολων οὐρανιου ἐκκλησιας.

(3) Το ἐκκλησιαστικον φρονημα, πιστεως ἀρχαιας κανονα.

Recentiores eruditi auctorem Labyrinthi Eusebio incompertum censent esse s. Hippolytum.

(4) Διανοιαν, ὡς ἡμεις φρονουμεν.

Epiphanius nominat *« regiam viam,* quae est Ecclesia, et *iter veritatis »* haeres. 59. (Novatianorum) n. 12. coll. 13; Hilarius *« fidei conscientiam; conscientiam communis fidei »* (1), quam opponit « impiae intelligentiae » haereticorum de Trinit. l. VIII. c. 1. et de Synodis n. 65; Rufinus *« intelligendi regulam* ex apostolica successione susceptam » Hist. Eccles. l. II. c. 9; Augustinus *« fidei regulam, regulam sanitatis »* in Io. tract. 18. n. 1; de doctrina christian. l. III. c. 2; *« regulam pietatis »* Genes. ad litt. I. c. 21. n. 41. (ita et Pseudo-Augustin. de Praedest. et grat. c. 1.); *« canonicum sensum; » « catholicum intellectum »* serm. 294. c. 20. (al. serm. 14. de verbis Apostoli); contr. ep. Parmeniani l. II. c. 10. n. 20; cf. contr. Faust. l. IV. c. 2; Vincentius Lirinensis *« ecclesiasticae intelligentiae auctoritatem; » « ecclesiastici et catholici sensus normam »* Commonitor. c. 2; cf. c. 38; Concilium Tridentinum *« universum Ecclesiae sensum »* sess. XIII. c. 1.

Has omnes locutiones in duplicem classem, quam in thesi indicavimus, dispesci posse ex ipsa significatione nominum patet; aliis enim iisque praestantissimis magis directe designatur doctrinae catholicae conscientia et intelligentia, quae est in Ecclesia et nominatim in Ecclesia docente sub charismate Spiritus Sancti, quando dicitur *« conscientia fidei communis, sensus ecclesiasticus, intellectus catholicus, ecclesiastica intelligentia, scopus ecclesiasticus; »* aliis directe significatur ipsa tradita doctrina et fides obiectiva informans intellectum et conscientiam Ecclesiae, ubi

(1) Hic modus loquendi a recentioribus quibusdam dictus est favere errori, ac si Ecclesia docens solum declararet id, quod in conscientia Ecclesiae discentis continetur. Quomodo se habeat conscientia fidei in Ecclesia discente dicemus in thesi sequenti. Ceterum haec s. Hilarii sententia omnino idem et eodem modo significat, quod ab aliis PP. dicitur « sensus ecclesiasticus, » « sensus Ecclesiae, » « intellectus catholicus, » « ecclesiastica intelligentia, » « ecclesiastica sapientia. » Neque vero nomine « conscientiae fidei » intelligitur solius *discentis* sed immo *totius* Ecclesiae sensus et consensus. Si qui vero appellationem per se aptissimam detorqueant ad sensum alienum, non ideo appellatio ipsa censeri potest favere errori; quae enim reperiri possunt vocabula nulli detorsioni ad alienos sensus obnoxia?

appellatur « *praedicatio ecclesiastica, praeconatio Ecclesiae* (το της ἐκκλησιας κηρυγμα), *regula fidei, regula pietatis, regula veritatis apostolicae, intelligendi regula.* » Patet autem, hanc non esse rem aliam et aliam; sed unius rei, Traditionis scilicet in complexu spectatae (vide supra p. 12.), aliam et aliam considerationem.

Non puto, cuiquam dubium incidere posse, utrum revera id quod hisce nominibus designatur, sit *tradita fides* et *professio Ecclesiae;* est enim hoc in locis citatis omnibus manifestissimum. Afferam tamen pro utraque classe locutionum exemplum in integro contextu. Vincentius Lirinensis c. 1. et 2. postquam dixit, fidem muniendam esse «primo divinae legis (Scripturae) auctoritate, tum deinde *Ecclesiae catholicae Traditione,* » continuo subdit: « hic forsitan requirat aliquis, cum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiens, quid opus est, ut et *ecclesiasticae intelligentiae* iungatur auctoritas? » Respondet: propter difficultates et varias, quibus Scripturae explicantur, interpretationes multum necesse est, « ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum *ecclesiastici et catholici sensus normam* dirigatur. » Hic *Traditio Ecclesiae catholicae, ecclesiastica intelligentia, ecclesiasticus et catholicus sensus* evidenter rem unam eandemque significant et promiscue usurpantur.

Augustinus in Io. tract. 18. n. 1. sentiens difficultates in interpretatione capitis V. Ioan. ita monet auditores. « Neque natae sunt haereses.... nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Itaque carissimi, valde caute haec audire debemus, ad quae capienda parvuli sumus, et corde pio et tremore, sicut scriptum est, *hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem qua imbuti sumus,* intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus; quod autem *secundum sanam fidei regulam* intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus... Etiam a me, carissimi, longe sit vana praesumptio, *si volo sanus in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum verita-*

tis. » Itaque *fides qua imbuti sumus,* dicitur *regula* secundum quam Scripturas interpretamur, ut si verba Scripturae videantur sensum praeseferre contrarium illi regulae fidei, non in fide vacillemus, sed fateamur nos Scripturas non intelligere. Illa autem *fides qua imbuti sumus* et illa *regula fidei* obiective consideratur in Ecclesia, a qua nos eam accepimus, ita ut securitas nostrae fidei sit per Ecclesiam, columnam scilicet et firmamentum veritatis.

THESIS XII.

De modo quo consensus fidelium in doctrinam fidei, sit criterium divinae Traditionis.

« Conscientia ac professio fidei in toto fidelium coetu a Spiritu veritatis per magisterium authenticum successionis apostolicae semper conservatur ab errore immunis. Licet ergo sive singulis de plebe fidelium sive plebibus integris non sit facultas authentice docendi sed officium discendi, totius tamen populi christiani « catholicus sensus » et consensus in dogmate christianae fidei censeri debet unum ex criteriis divinae Traditionis. »

I. In prima parte huius propositionis duo dicuntur, conservari nempe per Spiritum Sanctum in fidelium coetu fidei integritatem semper illaesam, tum vero Spiritum Sanctum id praestare non sola immediata sua operatione et sine visibili ministerio, sed per authenticum magisterium successionis apostolicae. Haec quae a quibusdam dicitur *infallibilitas passiva* Ecclesiae (1), facile intelligitur ex mutua relatione inter pastores doctoresque authenticos et inter greges fidelium, prout ea a Christo ipso disposita ac instituta exhibetur tum in evangelicis et apostolicis scriptis tum per omnes subsequentes aetates in ceteris documentis.

1°. Probatur itaque in primis argumento generali sed evidenti. Quando Christus Deus ac Dominus authenticum magisterium instituit, et cum legatis suis, dum eos baptizare et docere omnes gentes atque initiatos in fidei inte-

(1) Mallem equidem distinguere Ecclesiae infallibilitatem *in credendo* et infallibilitatem *in docendo,* vel infallibilitatem in *fidei obedientia* (της ἀκοης) et in *fidei praedicatione* ac *definitione* (του κηρυγματος).

gritate continere iussit, se futurum promisit *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* Spiritumque veritatis cum iis testantibus mansurum *in aeternum,* finis huius institutionis erat ipsa doctrinae ac testimonii suscepti conservatio et fidei integritas in fidelibus; charismata enim haec promissa et collata sunt in utilitatem et necessitatem totius corporis 1. Cor. III. 22. coll. Eph. IV. 16. Unde huic magisterio perpetuo, indefectibili, et infallibili ex ipsa Christi institutione respondet perpetua « obedientia fidei » in credentibus (th. IV.). Ergo sicut Spiritus Sanctus praedicationem et testificationem in unitate pastorum et doctorum conservat semper immunem ab errore; ita per hanc ipsam infallibilem testificationem docentium conservat semper immunem ab errore fidem discentium, qui per fidei obedientiam manent in consensione et communione cum consentientibus pastoribus: Christus sententia Patris, Episcopi per fines terrarum (coniuncti per vinculum et glutinum unitatis) in sententia Christi, fideles in sententia Episcoporum (th. VIII. n. I.).

2°. Argumentum ductum ex fine charismatum in successione apostolica et ex relatione auctoritatis docentium ad obedientiam fidei in discentibus generatim spectatum possumus considerare distinctius ex ipsis verbis Christi et Apostolorum. De apostolatu ac munere divinitus commisso praedicandi et docendi Christus et Apostoli numquam sermonem habent, quin simul considerent illi respondentem fidem ac professionem credentium tamquam scopum et effectum, ad quem illud ordinatur; sicut vicissim hanc fidem et professionem exhibent in connexione cum praedicatione tamquam cum sua conditione et causa (partiali utique, ministeriali et externa cf. 1. Cor. III. 4-9.). Si quando fidem et professionem spectant in connexione cum gratia interna utpote causa praecipua; huiusmodi testimonia abstrahunt quidem a gratia externa praedicationis, non vero eam excludunt, cum iuxta universalem et ordinariam oeconomiam a Christo institutam gratia interna invisibilis connexa sit cum gratia externa visibili *auditus fidei.* Est hic divinus velut sorites: salutifera professio et invocatio, fides, auditus fidei, praedicatio, divina missio Apostolorum eorumque succes-

sorum, denique verbum Christi revelatum. « Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo; hoc est *verbum fidei,* quod praedicamus.... Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine praedicante, quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* » Rom. X. 8-17. Itaque sunt gentes edoctae *servare omnia* quaecumque mandavit Christus, sed quatenus ex altera parte sunt *missi a Christo praedicantes et docentes,* quibuscum Christus est omnibus diebus Matth. XXVIII. Rogat Christus oratione quae effectu carere nequit, ut *omnes unum* sint in Patre et in Filio; sed unum sint *credituri per verbum Apostolorum* Io. XVII.20.21. *Unum corpus et unus Spiritus, in una spe vocationis;* sicut unus Dominus ita *una fides, unum baptisma;* sed ad hanc unitatem perpetuo efficiendam et conservandam, « ad consummationem (καταρτισμον articulatam dispositionem et perfectionem) sanctorum, ad aedificationem corporis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae, » in hunc inquam finem ipse instituit munera tum extraordinaria in prima fidei revelatione, tum ordinaria ad fidei conservationem et propagationem. « *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores... donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi* » Eph. IV. 4-14. Portae inferi *non praevalebunt adversus Ecclesiam;* sed hoc efficit Christus *per aedificationem eius super petram,* et quatenus tota petrae innititur et a petra continetur Matth. XVI. 18.

Non opus est, ut eandem operationem Spiritus Sancti in universam Ecclesiam per ministerium successionis apostolicae confirmemus ex unanimi doctrina ipsorum custodum depositi inde ab aetate apostolica, cum haec demonstratio ex superioribus huc facile transferri possit. Vide th. VIII. IX. n. II.

Spiritus itaque veritatis adest toti fidelium coetui « non sinens Ecclesias aliter intelligere, aliter credere quod ipse

per Apostolos praedicaverat; » sed hoc exsequitur suavi providentia per visibile ministerium pastorum et doctorum. Pastoribus in communione et consensione spectatis adest Spiritus veritatis inducens in omnem veritatem ut immediatum principium ad conservationem catholici intellectus; et per horum ministerium ut per gratiam externam, quacum nectitur tamquam elementum longe praecipuum unctio et gratia interna, idem Spiritus veritatis est principium efformandi et conservandi infallibiliter « conscientiam fidei » in grege adunato pastoribus. Hinc intelligitur, divinas promissiones quibus declarantur charismata et munera pastoribus propria, nominatim munus et charisma infallibiliter docendi (cf. th. V.), referri quidem immediate et tamquam *ad subiectum,* ad solos Apostolos eorumque successores; sed mediate et tamquam *ad finem,* pertinere ad utilitatem ac fructum totius Ecclesiae.

3°. Hinc porro Spiritus Sanctus quatenus est principium internae gratiae et unctionis ad credendum verbum et ad servandum mandatum Dei ab authentico magisterio propositum, non iam pro diversitate munerum hierarchicorum sed indiscriminatim promissus est fidelibus, « dividens singulis prout vult. »

Si quando ergo interna haec gratia dicitur *doctrina, revelatio, testimonium,* huiusmodi locutiones non ad exclusionem gratiae externae et authenticae praedicationis, sed immo cum huius adsignificatione intelligendae sunt. Ita intelligitur illud 1. Io.II.20-27: « Nunc antichristi multi facti sunt... ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis... Sed *vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia.* Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam... Vos *quod audistis ab initio,* in vobis permaneat... Haec *scripsi vobis* de his, qui seducunt vos. Et vos *unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos;* sed *sicut unctio eius docet vos de omnibus,* et verum est et non est mendacium. Et *sicut docuit vos, manete in eo.* » Qui docet est ipse Christus; docet autem dupliciter, per unctionem scilicet gratiae internae, et per verbum externum propositum ab iis

qui legatione pro Christo funguntur, inter quos est ipse Ioannes, qui sane ad docendum praedicavit evangelium, et ipsam hanc epistolam fecit ad docendum (1). Hinc in eodem ipso loco Apostolus cum gratia illa interna coniungit ministerium externum: « vos quod *audistis ab initio,* in vobis permaneat; » et in exordio huius ipsius epistolae: « quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris... *testamur et annuntiamus vobis* » I. 1-5. Videlicet praedicatione externâ suppositâ fideles unctionem habent a Sancto, et docti sunt et norunt omnia; quae *omnia* sunt illud ipsum, quod audierunt ab initio et in quo permanere iubentur. Unde Ioannes quidem scripsit et hanc epistolam et Evangelium quasi iam scientibus veritatem (vide supra th. VII. n. II. 3tio), scripsit tamen ad docendum et velut ad subsidium praedicationis. At doctores, a quibus fideles « non necesse habent » doceri, sunt docentes nova contraria illis, quae audierant ab initio; hos ergo fugere et repellere iubentur fideles, ut conservent unctionem quam acceperunt per internam gratiam cum praedicatione externa Apostolorum. « Haec scripsi vobis de his, qui vos seducunt. Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habetis ut aliquis doceat vos. » Uno verbo dici potest: in *unctione* praedicatio apostolica includitur, praedicatio haeretica excluditur.

Modo non dissimili intelligi debent illa prophetica: « Et ponam... universos filios tuos doctos a Domino » (2) Is. LIV. 13, quae Christus Dominus ipse Io. VI. 45. explicat de necessitate gratiae internae coniungendae cum externa praedicatione, etiam quando haec procedit ex ipso divino eius ore. « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum... Est scriptum in prophetis: et erunt *omnes do-*

(1) « Et non habetis necessitatem, ut aliquis vos doceat... quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos?... Ipsi Ioanni dico:... ut quid talem epistolam fecisti? quid illos docebas, quid instruebas, quid aedificabas?.... Magisteria forinsecus, adiutoria quaedam sunt et admonitiones; cathedram in coelo habet, qui corda docet » s. August. in 1. Io. tract. III. n. 13.

(2) לִמּוּדֵי יְהוָֹה graec. *διδακτους θεου.* Cf. Matth. XXVIII. 19. *μαθητευσατε.*

cibiles Dei (διδακτοι θεου); omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me. » Videlicet ut character proprius novi Testamenti declaratur gratia interna et sanctitas theologica in comparatione cum oeconomia Mosaica, quae, quatenus peculiaris uni populo Israël, erat externa et ad iustitiam legalem. Non tamen ideo ministerium externum in novo Testamento excluditur, aut singulis revelatio promittitur immediate a Deo citra causas ministeriales proposita; sicut vicissim in oeconomia externa veteris Testamenti non excludebatur, sed imo supposita et inclusa intelligi debet gratia et sanctificatio interna (1).

Ita etiam secundum analogiam fidei et totius novae oeconomiae aliunde manifestissimae explicari debet oraculum alterum Ieremiae. « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Iuda foedus novum; *non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum,* ut educerem eos de terra Aegypti, *pactum quod irritum fecerunt*... Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: *dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum*, ait Dominus » Ierem. XXXI. 31-34. Confertur hic id quod praevalet in antiquo pacto, scriptio scilicet in tabulis lapideis atque oeconomia externa et temporaria cum eo, quod

(1) Sane in veteri Testamento gratia interna atque sanctificatio theologica non deerat; sed *a*) illa erat parcior quam in novo Testamento; *b*) ratione huius internae gratiae divina oeconomia non erat restricta ad unum populum Israël, sed erat universalis; ideo *c*) gratia et sanctificatio non pertinebat ad pactum antiquum, temporarium, quatenus hoc specifice differt a novo aeterno Testamento; sed erat gratia et sanctificatio iam tum hereditas Testamenti aeterni velut in antecessum tributa ante mortem testatoris Christi Dei. « Illi omnes (iusti) etsi pro temporis dispensatione veteris Testamenti ministrabant figuris, ad novum tamen Testamentum, quamvis nondum revelatum, per gratiam Dei pertinebant » Aug. contra adversar. leg. et prophet. l. II. n. 30; ep. 140. n. 5. et alibi saepe. Cf. Tract. de Trinit. th. XLVIII.; de Incarnat. p. 496. sqq. ed. 1; p. 499. ed. 2.

praevalet in novo Testamento, cum scriptione nimirum in cordibus per gratiam (non exclusa sed inclusa praedicatione per legatos Dei) (1), cum oeconomia sanctificationis internae et numquam desitura. Ita *comparate* ad vetus Testamentum etiam intelligi debent non autem seorsum et absolute urgeri ultima verba: « non docebit ultra vir proximum suum... omnes enim cognoscent me, » si ea restringantur ad hoc stadium, in quo Ecclesia adhuc « per fidem ambulat nondum per speciem. » Quoniam vero saepe in Scripturis propheticis verba eadem sensu minus pleno referuntur ad inchoationem nondum perfectam, sensu autem plenissimo significant consummationem perfectam, possunt cum Augustino ultima incisa prophetiae protendi ad Ecclesiam consummatam in visione beatifica, ad ἐπιγνωσιν in qua omnes « cognoscent, sicut et cogniti sunt» 1.Cor.XIII.12. « Nunc certe, ait Augustinus (de Spirit. et littera n. 37-41), iam tempus est Testamenti novi, cuius per prophetam facta est promissio per haec verba, quae ex illa prophetia commemoravimus. Cur ergo adhuc dicit unusquisque civi suo et fratri suo, cognosce Dominum?... Cum ergo nunc ista praedicatio usquequaque crebrescat, quomodo tempus est novi Testamenti... nisi quia eiusdem Testamenti novi aeternam mercedem, id est ipsius Dei beatissimam contemplationem promittendo coniunxit? »

Comparatio itaque pro stadio fidei in novo Testamento habet triplicem terminum: *a*) cognitio erit universalior extensione et longe amplior intensione; *b*) doctrina potior erit interna per gratiam quam externa: « neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus » (1. Cor. III. 7.); *c*) doctrina ipsa externa non merum hominem primum promulgatorem, et ab eo (licet auctoritate divina) institutos homines habebit ulteriores propagatores; sed eius primus promulgator visibilis erit Deus-homo, qui per ministerium legatione fungentium pro ipso, continuabit praedicationem omnibus diebus usque ad consummationem

(1) Cf. 2. Cor. III. 3: « epistola estis Christi, *ministrata a nobis* et scripta non atramento *sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus.* »

saeculi. « Multifariam multisque modis Deus loquens patribus *in prophetis,* novissime diebus istis locutus est nobis *in Filio* » Heb. I. 1. « Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam *famulus* in testimonium eorum, quae dicenda erant; Christus vero tamquam *Filius* in domo sua » Heb. III. 5. Porro « quid est Apollo, quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis... Dei enim sumus adiutores (συνεργοι), Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis » 1. Cor. III. 4. 5. 9. His addi potest *d*) sensus plenior, quod ipsa visio Dei facie ad faciem pertinet ad promissionem et mercedem novi Testamenti.

II. Pars altera theseos sequitur ex demonstrata priori. Profecto enim consensus fidelium in aliquam doctrinam tamquam dogma divinitus revelatum, est argumentum ac criterium revelationis et Traditionis divinae eo ipso, quod Spiritus veritatis totum fidelium coetum conservat semper immunem ab errore fidei adverso, licet id praestet per ministerium authentice docentium. Praeterea huiusmodi consensum non posse continere errorem in fide ex eo etiam constat, quod universus populus christianus aliquam doctrinam non potest credere revelatam, quin is sit catholicus sensus et intellectus totius Ecclesiae, ut tum per se evidens est, tum patet ex coniunctione plebium cum Episcopis (p. 66.), tum ex officio pastorum longe praecipuo prospiciendi integritati fidei. « Ecclesia enim Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat; et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat nec tacet nec facit » Aug. ep. 55. n. 35. al. 119. ad Ianuar. Hinc solent ss. Patres absurditatem hypotheseos quod totus populus christianus in rebus fidei errasset, assumere tamquam argumentum notissimum ad demonstrandam veritatem doctrinae antiquae et falsitatem doctrinae novae. Si novitates ab haereticis inductae et antiquitati contrariae recipiantur, « necesse est (ita argumentatur Vincentius Lirinensis *ab absurdo*), ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitae et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas

et multitudo, tot insulae, provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo iam paene terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto saeculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur » Commonit. c. 33. Simillimis verbis idem argumentum versant Tertullianus Praescript. c. 29; Athanasius de Synodis n. 4; Gregor. Nazianzenus ep. 2. ad Cledon. T. II. p. 97. Hinc ipsemet summus Pontifex Pius IX tamquam proximam praeparationem ad dogmaticam definitionem immaculatae conceptionis B. V. M. inter cetera etiam postulavit ab Episcopis orbis terrarum, ut ipsi indicarent, « quae esset suorum fidelium erga immaculatam Deiparae conceptionem pietas, et devotio; » atque inter criteria divinae traditionis ab eodem SSm̃o Domino Nostro numeratur « singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio » (in Bulla « Ineffabilis »). Cf. Gregor. de Valentia de Fide disp. I. q. 1. P. 7. §. 47; Analys. Fidei l. VIII. c. 9; Bellarmin. de Ecclesia l. III. c. 14; Suarez de Fide disp. V. sect. 6.

Per se patet, consensum plebis christianae debere esse certum et clarum, ut ex eo argumentum pro Traditione totam suam vim obtineat. Si consensus in doctrinam tamquam in dogma revelatum ambiguus sit, potest quidem ac debet plus minusve eius ratio haberi, per se tamen solus non sufficit ad certum iudicium ferendum. Pariter manifestum est, ad huiusmodi plebis christianae consensum appellari non posse nisi in iis capitibus, quae vel in explicita fidelium cognitione versantur vel certe in publica et constanti aliqua praxi et consuetudine continentur; quis enim posset demonstrari consensus in doctrinis aliis subtilioribus, quae a multitudine fidelium implicite solum creduntur in fide pastorum et doctorum (1)? In comprobandis autem doctri-

(1) « Duo sunt rerum genera, quae ab Ecclesia creduntur. Unum quod ad omnes aeque pertinet; et in hoc genere non est valde difficile omnium fidem sensumque cognoscere..... Alterum est genus earum rerum, quas cognoscere non rudium et imperitorum in Ecclesia, sed maiorum et sapientum interest. Quo in genere si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit, ut si a caeco sensum colorum postules. Caute igitur atque prudenter, cum huiusmodi fortasse res in sermonem popularem incidunt,

nis quae catholicam eamque explicitam intelligentiam multitudinis fidelium non fugiunt, magna confidentia etiam in controversiis contra haereticos ad illum consensum et ad robur consuetudinis provocatum est. Ita e. g. Basilius (de Spiritu Sancto c. 29.) ait de Origene: « non sanas habet in omnibus de Spiritu Sancto opiniones, nihilominus et hic *veritus consuetudinis robur* pias voces emisit de Spiritu Sancto. » Augustinus ex consensu multitudinis adversus Pelagianos et eorum reliquias probat effectum Eucharistiae (de Peccator. merit. et remiss. l. I. n. 34.); effectum baptismi in parvulis (serm. 294. n. 14. 17.); peccatum originale (ibid. et contr. Iulian. l.I.n.31.32.); necessitatem gratiae ad initium fidei et ad perseverandum (de Dono persever. n. 63.). Cum conquestus esset Iulianus, quod contra Pelagianam doctrinam tantummodo opponeretur « murmur » populi; ostendit Augustinus (contra Iulian. l. c.) gravitatem huius testimonii. « Et ipse populus adversus vos propterea murmurat, quia non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi... noverunt, quid cuique aetati in baptismate remittatur... *Quasi parva sit istius veritatis assertio, quod in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non a se discrepat multitudo!* » Vide Stapleton l. XI. c. 4.

Corollarium. Dictum celebre s. Hilarii (contr. Auxentium n. 6. T. II. p. 597.): « sanctiores sunt aures plebis quam corda sacerdotum, » illum tantummodo sensum habet sanctissimum et desideratissimum, ut a populo communio

qui in vulgo paulo modestiores sunt, nihil omnino affirmate asseveranterque pronuntiant; sed id se credere ac sentire in hisce rebus profitentur, quod Ecclesia credit ac sentit, quo profecto nomine sapientes Ecclesiae maioresque designant... Nunc illud dicimus, in communi omnium controversia certum argumentum ex communi fidelium sensu depromi, quamvis non oporteat singillatim omnium sensum perscrutari. In fide autem earum rerum, quae proprie sunt doctorum atque sapientum, solam horum sententiam expetendam, vulgi ne exspectandam quidem..... At vero in utrarumque rerum *decretis ac legibus* nec vulgus nec sapientes omnes habere locum; sed ii tantum, qui sint Ecclesiae pastores » Melchior Canus de Locis l. IV. c. 6. ad 14. argumentum. Cf. l. V. c. 6. ad 12.

et consensio cum sacerdotibus in unitate et consensu Ecclesiae manentibus praeferatur doctrinae sacerdotum ab unitate et communi fide lapsorum; esset autem absurdissimum, si *corda sacerdotum* sumerentur infinite, vel populi constituerentur iudices sacerdotum. Ordine enim prorsus inverso *corda sacerdotum*, conscientia fidei et intellectus catholicus pastorum in unitate Ecclesiae manentium, sunt causa ministerialis et organon, quo Spiritus veritatis *sanctas* formát *aures populi*, sensum scilicet et intellectum catholicum eorum, quorum est audire et discere et praestare « obedientiam fidei » ὑπακοὴν τῆς πίστεως Rom. I. 5. Potest quidem accidere, ut Episcopi etiam multi etiam integrarum provinciarum a fide deficiant, et tamen maior pars gregum fidelium in orthodoxa professione constans praeferat communionem et consensionem cum successione apostolica, quae permanet in consensu et communione cum centro unitatis i. e. cum Sede Petri; non tamen potest fieri, ut deficiat universus episcopatus, et ut hic non maneat sub assistentia Spiritus Sancti organon conservandae Traditionis, per quod ut per magisterium ordinarium externum idem Spiritus communionem et fidem catholici populi contineat et conservet. Ut autem hoc verum sit, non necessario semper requiritur, ut episcopatus universus eximio ardore ac studio professionem orthodoxam contra adversarios defendat ac tueatur; sed sufficere potest eius constantia in semel tradita doctrina, quâ ipsâ constantiâ manet vivens norma dirigens et vinculum unionis pro populo catholico. Hoc unum est, quod factis historiae ecclesiasticae nominatim ex historia invalescentis Arianismi saeculo IV° ad summum suaderi posset; non autem illud quod anonymus auctor dissertationis « de consulendis fidelibus in rebus christianae doctrinae » (1) ex illa historia deduci posse putavit: « Ecclesiam docentem non esse quovis tempore instrumentum activum infallibilitatis Ecclesiae. » Immo exilia tot Episcoporum catholicorum; eorum adversus Arianos constantia; fidelis populi fuga ab Episcopis intrusis et com-

(1) In Ephemeride litteraria the Rambler Iuly 1859. p. 218. sqq.

munio cum exulibus; relatio Sozomeni, perseverantiorem fuisse populum in urbibus, quarum Episcopi fortiores erant et in fide constantiores (Soz. VI. 21.); comminatio populi Antiocheni fraudes Episcopi Ariani Leontii manifestandi Episcopis occidentalibus (Theodor. H. E. II. 24.) et facta alia, quae omnia refert ipsemet auctor anonymus dissertationis, demonstrant etiam eô tempore « Ecclesiam docentem fuisse instrumentum activum infallibilitatis Ecclesiae. »

SCHOLION I.

Quae hactenus de magisterio et ministerio conservandae Traditionis disputavimus, postulare videntur, ut distinctius principia saltem indicemus de subiecto et de obiecto potestatis infallibiliter docendi ac iudicandi. Plenior enim gravissimi huius argumenti expositio ac demonstratio pertinet ad alium sibi proprium tractatum de Ecclesia et de Romano Pontifice.

Principium I. Indefectibilitas in veritate fidei quae est *una in catholicitate,* seu *infallibilitas in credendo* divinitus promissa et collata est *Ecclesiae universali,* quae ést « domus Dei, columna et firmamentum veritatis » 1. Tim. III. 15; » aedificata supra petram, et portae inferi non praevalebunt adversus eam » Matth. XVI. 18. Quidquid ergo universalis Ecclesia fide credit, id ex promissione et institutione Christi constat infallibiliter verum esse. Huius igitur *infallibilitatis in credendo,* quae etiam *passiva* dicitur, *subiectum est ipsamet Ecclesia universalis.*

Ecclesia in indefectibili veritate unius fidei a Spiritu Sancto conservatur *per ministerium et magisterium authenticum, per pastores et doctores,* quos Christus dedit in aedificationem corporis Christi (Eph. IV. 11. 12.), ad docendam Ecclesiam Dei cum auctoritate, cui debeat respondere tamquam effectus ex parte omnium fidelium consensus et « obedientia fidei » (cf. th. IV. n. 2°.). Propterea huic magisterio a se instituto Christus promisit et contulit *infallibilitatem in docendo* (1) omnia, quae ipse Christus Spiritusque Sanctus docuerat.

(1) Quia magisterium charismate hoc infallibilitatis instructum actio-

Subiectum ergo huius infallibilitatis in docendo sunt illi omnes et soli, quibus ius est et officium divinitus commissum authentice docendi *universam Ecclesiam.*

1°. Ita infallibilis est *Ecclesia docens,* h. e. corpus *pastorum et doctorum* in unione, consensione, et subordinatione ad visibile caput Ecclesiae; idque *a*) in universali et consentiente praedicatione doctrinae de fide vel moribus; *b*) in solemnibus iudiciis seu definitionibus eiusdem doctrinae. Ecclesiae enim docenti sic constitutae dictum est: « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis; *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* » Matth. XXVIII. « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, *ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis*... ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis » (ἁ εἶπον ὑμῖν) Io. XIV. 16. 26. Vide th. V. cf. Zaccaria Antifebron. dissert. II. c. 12.

Istae namque promissiones non pertinent ad singulos successores Apostolorum, quia singuli non succedunt Apostolis in munere authentice docendi *universam Ecclesiam,* quod in Apostolis (excepto solo Petro capite Ecclesiae iugiter permansuro in suis successoribus) non erat ordinarium sed extraordinarium et ipsis personale; verum factae sunt promissiones corpori successionis apostolicae in communi, quatenus sunt *Ecclesia docens.* At Ecclesia docens non sunt, nisi quatenus uniti, consentientes, subordinati manent visibili capiti totius Ecclesiae.

Quare *causa efficiens* infallibilitatem *docentis Ecclesiae* sive in eius universali praedicatione sive in eius solemnibus definitionibus ac iudiciis est utique promissa assistentia Spiritus veritatis; sed conditio sine qua successores Apostolorum non sunt Ecclesia docens, et *causa formalis*

ne sua ministeriali custodit, proponit, explicat, tuetur doctrinam revelatam, et fideles omnes in fidei unitate conservat; ideo *infallibilitas in docendo* dici solet *activa,* finemque habet indefectibilitatem in credendo, quae per « obedientiam fidei » est totius corporis Ecclesiae *infallibilitas passiva.*

per quam constituuntur in ratione *docentis Ecclesiae*, cui promissa est tutela Christi et assistentia Spiritus veritatis in docendo, est visibile caput Ecclesiae a Christo institutum et unio atque consensio membrorum cum hoc capite, sicut universim forma unitatis visibilis est ipsum visibile caput Ecclesiae. Hinc est, quod munus infallibiliter docendi ordinarium h. e. ad successores propagandum in Apostolis institutum, a Christo Domino declaratum est verbis, quae numquam ad singulos, sed semper ad totum collegium in unione cum Petro dirigebantur. Cf. th. V. VIII.

2°. Ex opposita ratione verba Christi, quibus Petro primatus et in primatu comprehensa infallibilitas magisterii promittitur et confertur, ipsum solum designant non tantummodo diserte distinctum a ceteris, sed etiam in relatione ad ceteros ab ipso confirmandos et pascendos. « Beatus es Simon Bar-Iona... et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam » Matth. XVI. « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos... ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus (ἐπιστρέψας) confirma fratres tuos » Luc. XXII. « Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his?.... Dicit ei : pasce agnos meos... pasce oves meas » Io. XXI.

Igitur Petrus munere ordinario pro se et pro singulis suis successoribus accepit a Christo potestatem et officium in fide et moribus pascendi et docendi universam Ecclesiam, ita ut haec ipsa potestas in Petro collata singulis eius successoribus exigat ex divina institutione « obedientiam fidei » et consensum totius Ecclesiae; et proinde *infallibilitas totius Ecclesiae in credendo* consistere non possit, nisi quatenus capiti Ecclesiae, successori Petri cum tali iure exigendi consensum fidei simul collata est *infallibilitas in docendo;* dum nempe doctrinam de fide vel moribus proponit definitiva sententia, quae totam Ecclesiam obliget ad « obedientiam fidei.» Subiectum igitur infallibilitatis est ipse successor Petri per divinam assistentiam, quae ei pro-

missa est per se spectato, quatenus docet Ecclesiam, non autem sub conditione concurrentis iudicii aut consensus aliorum pastorum et doctorum, qui *prae Pontifice ita docente Ecclesiam* sunt pars nobilissima Ecclesiae aedificatae super hanc petram, ut portae inferi non praevaleant adversus eam; sunt fratres confirmandi; sunt oves pascendae: quamvis prae fidelibus maneant pastores et doctores ad ipsam doctrinam definitam eis authentice proponendam, docendam, defendendam.

« Revelatum dogma fidei est, Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse » (Definitio Concilii Vaticani Constit. I. de Eccl. Christi cap. 4.).

Corollarium 1. Subiectum infallibilitatis a Christo promissae ad definitiones doctrinae de fide vel moribus non est duplex *adaequate distinctum ;* sed est tum visibile caput Ecclesiae per se spectatum, tum hoc ipsum visibile caput velut componens et informans corpus Ecclesiae docentis, quae ipsamet *sic constituta* (corpus cum capite) est infallibilis per assistentiam Spiritus veritatis. Hanc *inadaequatam distinctionem* in subiecto infallibilitatis indicat ipsa Vaticana definitio paulo ante descripta. Comparatur enim ibi infallibilitas Pontificis ex cathedra definientis cum infallibilitate *definientis* Ecclesiae (1); illa directe et data opera a Concilio declaratur, haec ut certa supponitur, et assumitur ut terminus comparationis. Si nimirum quae-

(1) Ecclesia infallibilis est *in credendo,* in *universali praedicatione,* in doctrinae *definitione;* sub hac postrema dumtaxat ratione comparatur infallibilitas Pontificis *definientis* cum infallibilitate *definientis* Ecclesiae, quia Pontifex in *definitionibus ex cathedra* dumtaxat a Concilio declaratur infallibilis.

ratur *de obiecto,* quousque infallibilitas illa Pontificis extendatur, generatim ut norma constituitur infallibilitas Ecclesiae definientis: « Romanum Pontificem... ea infallibilitate pollere, *qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.* »

Corollarium 2. Quidquid sive fide catholica credendum sive theologica certitudine tenendum est *de extensione quoad obiectum* infallibilitatis, si ea spectetur in definiente Ecclesia seu in generali Concilio; illud ipsum eodem modo credendum ac tenendum est de infallibilitate, si ea spectetur in Romano Pontifice *ex cathedra loquente.* Patet ex dictis, hoc ipsum definitum esse a Concilio Vaticano.

Corollarium 3. Consensus Ecclesiae antecedens potest quidem esse obiectivum medium, quo Pontifex perveniat in cognitionem doctrinae ut definibilis; sed non est per se et ex natura rei unicum et necessarium medium cognitionis; possunt enim doctrinae de fide vel moribus etiam ex aliis fontibus ac mediis cognosci definibiles, et possunt definiri quaestiones etiam intra fines Ecclesiae hactenus dubiae et controversae. Nullo autem modo huiusmodi Ecclesiae seu Episcoporum consensus sive antecedens aut concomitans sive subsequens, necessarius est per modum iudicii authentici concurrentis cum iudicio seu definitione Pontificis. Gallicana sententia hunc consensum Ecclesiae postulans velut necessarium ad infallibilitatem definitionum Pontificis ita, ut subiectum unicum infallibilitatis esset corpus Ecclesiae docentis, Pontifex nempe cum Episcopis, iam haeresis est directe et explicite damnata a Concilio Vaticano. Consensus tamen subsequens totius Ecclesiae semper est *effectus* definitionis Pontificis.

Corollarium 4. Secundum ipsius Concilii Vaticani declarationem Pontifex dicitur *loqui ex cathedra,* « cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit. » Neque enim *cathedra apostolica* aliud est, quam supremum authenticum magisterium, cuius definitiva sententia doctrinalis obligat universam Ecclesiam ad consensum. Intentio haec *definiendi*

doctrinam, seu docendi definitivâ sententiâ et auctoritate obligante universam Ecclesiam ad consensum debet esse manifestata et cognoscibilis claris indiciis. Non tamen essentialis est forma aliqua determinata, quam Pontifex adhibere debeat ad hanc suam voluntatem manifestandam. Quamvis enim sint modi aliqui solemnes, qui ex sese exprimunt *locutionem ex cathedra,* et quibus proinde Pontifex numquam utitur nisi loquendo ex cathedra, cuiusmodi sunt Bullae dogmaticae; haec tamen forma non est essentialis et exclusiva ita, ut sine illa Pontifex tamquam omnium Christianorum pastor et doctor definire doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam eique oppositos errores eodem hoc modo damnare, atque hanc suam voluntatem manifestam reddere non possit.

Corollarium 5. In ipsis documentis Conciliorum et Pontificum, quibus certissime propositum est edere *definitiones* doctrinae, possunt et solent contineri plura, quorum definitio non intenditur; ut sunt obiter vel incidenter dicta, quae indirecte enuntiari solent, plerumque etiam argumenta allata ad probationem ipsius definitivae sententiae etc. Haec licet gravem habeant auctoritatem, non tamen sunt definitiones infallibiles.

Pariter possunt esse et sunt Pontificum documenta non solum privata sed omnino profecta ex munere pastorali, quibus circa doctrinam de fide vel moribus aliqua monere, suadere, iubere, reprehendere, prohibere propagationem alicuius sive opinionis sive erroris propositum est, quin intendant definitivam sententiam edicere, qua adstringatur tota Ecclesia; eoque ipso non est locutio ex cathedra. « Respondent enim saepe Pontifices ad privatas huius aut illius Episcopi quaestiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credendum » Melch. Canus l. VI. c. 8. ad 7. In hunc censum merito referuntur e. g. duae epistolae Honorii I. ad Sergium Constantinopolitanum (1). Inter alia plura exemplum manifestissimum prostat in decreto Ste-

(1) De sensu minime haeretico harum epistolarum diximus in tract. de Incarnat. th. XL. in Scholio.

phani I, de quo diximus th. VIII. n. II. In quaestione quae per se erat fidei, imperatum sane erat: « Nihil innovetur, nisi quod traditum est. » Sed nullo modo dici potest, *definitionem* fuisse *ex cathedra;* secus enim Cyprianum et reliquos Africanos ac orientales Episcopos, qui in eodem haerebant errore, Pontifex non retinuisset in communione catholica, nec opus fuisset ut quaestio « post Cypriani demum passionem » ad liquidum deduceretur, de qua re saepe ad Cypriani excusationem contra Donatistas agit Augustinus.

Dubium oriri posse de quibusdam documentis Pontificum, utrum contineant locutionem ex cathedra et *definitionem* doctrinae, non negamus; sed hoc idem accidit quandoque etiam circa documenta Conciliorum, cuius rei exemplum habemus in diversis sententiis, quae fuerunt et inter aliquos adhuc sunt de Instructione pro Armenis edita in Concilio Florentino, utrum quae ibi docentur nominatim de materia et forma sacramentorum, sint definitiones dogmaticae, an solum instructiones in praxi observandae. Si quando huiusmodi dubia incidunt, recte monent theologi, « in hac re diiudicanda multum valere tum virorum sapientum iudicium tum (multo magis) Ecclesiae sensum et consensum » Tanner de Fide q. 4. dub. 6. n. 262.

Haec de *subiecto infallibilitatis* pro nostro scopo satis sint; ad nostram enim praesentem tractationem magis pertinet doctrina de *infallibilitatis obiecto.*

Principium II. Depositum christianae fidei stricto sensu acceptum complectitur ea omnia et sola, quae humano generi a Deo *explicite vel implicite* revelata sunt credenda, facienda, sequenda; seu quae manifestata sunt revelatione *catholica* (in distinctione a divinis revelationibus *privatis*) ad aeternam salutem humani generis.

Corollarium 1. In deposito fidei continentur tum doctrinae theoreticae de mysteriis et dogmatibus (in his etiam veritates, quae quatenus ratione cognoscibiles solent dici pertinere ad religionem naturalem); tum leges practicae (et in his etiam lex naturalis scripta in cordibus hominum ratione utentium); tum constituta quaedam fundamentalia,

ut sunt Ecclesia, eius potestas, eius forma regiminis; tum instituta sanctificationis, consecrationis et cultus divini (sacramenta, sacrificium et alia plura): revelatus ac supernaturalis ordo *dogmaticus*, *ethicus*, *iuridicus* (τα της πολιτειας), *liturgicus*.

Corollarium 2. Solae veritates a Deo revelatae, quando sufficienter propositae sunt, possunt ac debent *credi fide divinâ;* quia haec est assensus propter auctoritatem Dei revelantis.

Corollarium 3. In deposito fidei possunt obiective contineri et continentur veritates, quae non semper erant vel nunc adhuc non sunt sufficienter propositae. Huiusmodi igitur veritates semper quidem, ex quo tempore revelatae sunt, et pro omnibus fidelibus erant obiectum fidei *implicitae,* quae extenditur ad totum depositum revelationis; ante sufficientem propositionem tamen non erant aut sunt obiectum fidei *explicitae*, cuius obligatio pendet ab ipsa sufficienti propositione. Quamvis ergo post Apostolos nullum detur *revelationis catholicae incrementum;* locum tamen habet profectus in revelationis pridem completae *explicatione et propositione.* De hac re alibi dicetur.

Corollarium 4. Quae continentur in deposito revelationis, ea omnia *semper, ubique, ab omnibus fidelibus* credenda et credita sunt fide saltem *implicitâ;* non tamen omnia ita credita sunt aut necessario credenda fide *explicitâ.* Quamvis ergo certissime revelata censeri debeant ea *omnia*, quae *semper, ubique, ab omnibus* credita sunt fide divinâ *explicitâ;* absurdum tamen et toti fidei oeconomiae contrarium est dicere, ea *sola* contineri in deposito revelationis (infra th. XXIV.).

Principium III. Cum veritatibus revelatis connexae sunt et ad eas referuntur veritates aliae in se quidem non revelatae, sine quibus tamen ipsum depositum revelationis non posset in tota suâ plenitudine rite custodiri, explicari, defendi.

Multa sunt per se ad philosophiam, ad philologiam, ad humanam empiriam pertinentia, sine quorum infallibili certitudine nec ipsa veritas revelata infallibiliter proponi

et explicari, nec quid credendum sit, intelligi posset: « nisi rationales animas haberemus, credere non possemus. » Praeterea facta in se minime revelata frequenter ita supponuntur vel ipsi explicationi revelationis, vel erroribus huic oppositis, ut in quibusdam adiunctis dogma revelatum custodiri, contra erroneas detorsiones defendi, vel sine periculo applicari nequeat, quin iudicium de dogmate revelato vel de errore opposito comprehendat etiam huiusmodi facta in se non revelata. Huc pertinent facta quae dici solent *dogmatica,* quando quaeritur de genuino sensu textuum humanorum in determinatis libris, quatenus in eo contextu concordent vel opponantur deposito fidei; facta *hagiographica* verae sanctitatis et aeternae gloriae hominum defunctorum, qui solemni iudicio proponantur universae Ecclesiae cultu religioso prosequendi; facta deinde per se *historica,* e. g. legitima celebratio determinati Concilii; praeterea speciales quaedam dispositiones divinae providentiae, et universim « res ad generale bonum Ecclesiae pertinentes » (Encyclic. *Quanta cura*), e. g. si quaeritur de opportunitate vel morali necessitate politicae independentiae et dominii temporalis in summo Pontifice sub relatione ad gubernationem Ecclesiae.

Corollarium 1. Depositum fidei non solum negatione veritatis revelatae ac haeresi, quantum in ipsa est, violatur; verum etiam potest oppugnari et in animo fidelium periculis obiici per errores contra veritates in se non revelatas, sed tamen connexas cum revelatis et eatenus theologicas.

Corollarium 2. Quamvis depositum fidei stricte sumptum non comprehendat nisi vera revelata, attamen *depositum custodiendum* in tota sua amplitudine cum omnibus suis munimentis et modis applicationis latius patet: « O Timothee depositum custodi, devitans *profanas vocum novitates* » 1. Tim. VI. 20.

Principium IV. Cui a Christo commissum est munus infallibiliter custodiendi depositum et illud tuendi adversus errores ingruentes, eius auctoritas infallibilis sub promissa assistentia Spiritus Sancti valet in primis ad custodiendas,

proponendas, explicandas veritates quae stricto sensu ipsum depositum fidei constituunt, nempe ad veritates revelatas, ac proinde ad arcendos errores his directe oppositos seu ad condemnandas haereses. Haec infallibilitas ad ipsum revelatum dogma fundamentale fidei catholicae pertinet; atque hinc eius negatio non solum haeresis est, sed etiam radix omnium haereseon.

In hoc continetur atque inde immediate consequitur, infallibilitatem promissam ad custodiendum depositum extendi ad totam custodiendi depositi amplitudinem, h. e. ad veritates etiam in se non revelatas, quatenus cum revelatis cohaerent, et ad earum custodiam, propositionem, explicationem, defensionem requiruntur. Haec infallibilitatis extensio omnibus theologis consentientibus veritas est theologice ita certa, ut eius negatio error esset gravissimus vel ex plurium sententia etiam haeresis, quamvis hactenus explicite haereseos damnata non sit. Vide Card. de Lugo de Fide disp. XX. 106–114; Bañez 2. 2. q. 11. a. 2. concl. 2; Suarez de Fidé disp. V. sect. 6. n. 4. 5. 8; sect. 8. n. 4.

Corollarium 1. Non solum veritatis revelatae sed etiam veritatis connexae quatenus ad revelatam refertur, definitio ab infallibili magisterio dari potest infallibilis; eâdemque ratione non solum condemnari haereses, sed etiam inferiores censurae ferri possunt auctoritate infallibili sub assistentia Spiritus veritatis. Quod ergo doctrina non definitur tamquam in se revelata, seu quod errores non singillatim damnantur *nota haereseos;* sed vel nulla determinata censura vel censuris inferioribus vel *in globo* censuris pluribus proscribuntur: ob has causas per se spectatas sine gravi errore negari non potest vel factum definitionis canonicae aut *locutionis ex cathedra,* vel consequenter ipsius definitionis infallibilitas.

Corollarium 2. Constitutiones dogmaticas Concilii Constantientis contra articulos Wicleffi et Ioannis Hus confirmante Martino V; Leonis X. contra Lutherum (« Exsurge »); Clementis XI. contra Iansenianos (« Unigenitus ») etc. ubi sub diversis censuris *in globo* propositiones damnantur, pariterque Constitutionem Pii VI. contra Pisto-

rienses (« Auctorem fidei »), ubi singillatim propositiones plurimae proscribuntur inferioribus censuris, nemini Catholico fas est negare esse definitiones infallibiles. Hoc autem corollarium etiam aliunde certum vicissim demonstrat veritatem principii positi, quia sine illo ipsum consequens consistere non posset.

Corollarium 3. Qualitas quae propositioni competere *definitur,* illi infallibiliter competit eo sensu et modo, qui in definiendo intenditur. Unde qui putant e. g. *temerariam* dici propositionem, quae contra graves rationes et contra gravem auctoritatem sine sufficienti fundamento asseritur, ii etiam aiunt, hanc qualitatem non autem per se falsitatem propositionis in censura *temeritatis* definiri. Hoc idem, non definiri *falsitatem* sed aliam damnabilem qualitatem propositionis, aeque affirmant quoad censuras, quibus notantur propositiones *scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivae.* Vide Card. de Lugo de Fide disp. XX. n. 114; Canum l. XII. c. 11. ad finem. Certe quando Concilium Viennense « opinionem (de infusione gratiae et virtutum in parvulis) *tamquam probabiliorem* duxit eligendam, » haec per se non est definitio veritatis sed solum maioris probabilitatis (cf. de Lugo l. c. n. 115–129.).

Corollarium 4. Infallibilitas Ecclesiae et Pontificis Romani creditur fide divina propter auctoritatem Dei revelantis; sententia quae per infallibilem definitionem Ecclesiae vel Pontificis proponitur ut vera, non tamen ut revelata, creditur propter revelatam auctoritatem proponentis. Unde hanc quam aliqui appellant fidem *ecclesiasticam,* possumus dicere fidem *mediate divinam.*

Principium V. Si Ecclesia est infallibilis in custodiendo deposito fidei saltem stricte sumpto, ac proinde in declarando vero sensu dogmatum revelatorum; eo ipso est infallibilis in iudicio de vero sensu, de intensione et extensione suae propriae auctoritatis et infallibilitatis seu, quod idem est, in iudicio de conditionibus et de obiectis, in quibus sibi divino iure competat auctoritas et promissa sit assistentia Spiritus veritatis. Haec enim auctoritas et infallibilitas in se profecto est dogma revelatum.

Corollarium. Contradictionem involvit admittere infallibilitatem Ecclesiae in dogmatibus revelatis, et simul auctoritatem *definitionis* quae supponatur actu existens, negare eo, quod res definita non pertineat ad dogmata revelata. Si enim Ecclesia vel Pontifex loquens ex cathedra actu *definit* veritatem in se non revelatam, eo ipso *exercite* etiam definit extensionem suae infallibilitatis ad huiusmodi veritates. Definit ergo vim ac verum sensum dogmatis revelati, cuiusmodi certe est infallibilitas Ecclesiae et Pontificis. Atqui adversarius ipse admittit auctoritatem infallibilem ad definiendum verum sensum dogmatum revelatorum. Ergo in hypothesi existentis definitionis ex suis principiis admittat necesse est extensionem infallibilitatis etiam ad veritates in se non revelatas; eandem vero simul negat. Ergo contradictio inter principium et conclusionem est manifesta (1).

Principium VI. Sicut ex ipsius revelationis principiis ut ab Ecclesia intelliguntur et declarantur, certum est, ad eius infallibile magisterium pertinere veritates et eius infallibili iudicio subiici errores solum in ordine ad custodiendum depositum religionis christianae, atque ad eam in fidelibus tuendam et promovendam; ita aeque certum est, in plerisque scientiis ut ab hominibus ex principiis mere naturalibus et ex fontibus non revelatis excoluntur et excolendae sunt, in philosophia potissimum tum theoretica tum practica, in iuris prudentia, in historia, geologia,

(1) Accipe specimen huius contradictionis quoad infallibilitatem Ecclesiae; nam in Romano Pontifice auctor eam in dubium vocare ausus est. « Le condizioni adunque che si richiedono, perchè il giudizio del papa sia certamente infallibile sono due; 1°. *che quel giudizio versi sopra materie rivelate;* 2°. che sia accompagnato dal consenso dell'episcopato. Mancando questa seconda condizione, non è certo che il giudizio sia infallibile; *mancando la prima è certo che non è infallibile..... Quantunque il papa ed i vescovi fossero unanimi* (che nol sono) *nel decidere che la Chiesa ha bisogno per ora del dominio temporale del papa, e nel dichiarare scomunicati tutti quelli che pensano diversamente, questa decisione come non proveniente dai maestri della Chiesa e dai custodi della verità rivelata, ma da dottori privati, non avrebbe alcuna autorità per vincolar le coscienze.* » Mediatore 9. Agosto 1862.

ethnographia reperiri veritates, quae simul sunt revelatae vel cum revelatis connectuntur. Ratio est, quia revelatio continet non tantum veritates superrationales, sed multas ratione quoque et ex fontibus naturalibus cognoscibiles; seu aliis verbis, quia revelatio et disciplinae naturales in multis obiectum (materiale) habent commune. Pariter evidens est, in hisce disciplinis non quidem recto usu sed abusu rationis et ignorantia (1) posse statui hypotheses tamquam principia, et posse deveniri ad conclusiones, quae veritatibus revelationis, sive per se rationalibus sive superrationalibus, vel simpliciter vel secundum aliquid adversentur, quae proinde (quia verum vero contradicere nequit) contineant errores ex principiis revelatis cognoscibiles et damnabiles.

Magisterium itaque Ecclesiae huiusmodi veritates docet et de huiusmodi erroribus iudicare potest infallibiliter non docendo scientias humanas ex propriis earum principiis, sed iudicando ex suis principiis (2). Quare Ecclesia infallibilis numquam iudicat, et vi promissae infallibilitatis neque potest umquam Spiritus Sanctus permittere, ut *definiendo* iudicet sive de veritatibus sive de erroribus, nisi in ordine ad depositum custodiendum et ex munere divinitus iniuncto custodiae depositi.

Corollarium 1. Quamvis philosophia et ceterae disciplinae naturales principiis suis propriis nitantur, quae cognoscuntur vel quatenus cognoscuntur non ex revelatione et ex magisterio authentico Ecclesiae, sed ratione et ex fon-

(1) « Sicut sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis. Unde impossibile est, quod ea quae sunt philosophiae, sint contraria iis quae sunt fidei... Si quid autem in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis » s. Th. in Boëth. Trin. Prolog. q. 2. a. 3.

(2) « Propria huius scientiae (theologiae) cognitio est, quae est per revelationem, non autem quae est per naturalem rationem (obiectivam). Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum iudicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis reperitur veritati huius scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum » s. Th. 1. q. 1. a. 6. ad 2.

tibus naturalibus; magisterium tamen Ecclesiae potest et vero debet ex principiis revelationis praemonstrare errores cavendos, qui integritati et incolumitati depositi custodiendi adversantur. Catholici ergo scientiarum cultores hanc normam prae oculis habeant oportet ex praescripto rationis, ne incidant in errores; ex praescripto fidei, ne incidant in errores contrarios veritatibus fidei.

Corollarium 2. Qui se profitentur catholicos adeoque agnoscunt authenticum Ecclesiae magisterium, et nihilominus affirmant, philosophiam modo declarato subiectam non esse huic normae, per eandem impediri progressum scientiae, Ecclesiam debere relinquere philosophiae ut suos errores ipsa corrigat (Syllab. Pontific. prop. X. XI. XII. XIV.); ii postulant libertatem ad errores amplectendos per philosophiae abusum, et negant Ecclesiae ius ac officium prospiciendi integritati ac sanitati doctrinae fidei. Vide Concilium Vaticanum Constit. de Fide cap. 4. can. 2.

Principium VII. Sancta Sedes Apostolica cui divinitus commissa est custodia depositi, et iniunctum munus ac officium pascendi universam Ecclesiam ad salutem animarum, potest sententias theologicas vel quatenus cum theologicis nectuntur praescribere ut sequendas vel proscribere ut non sequendas, non unice ex intentione definitivâ sententiâ infallibiliter decidendi veritatem, sed etiam absque illa ex necessitate et intentione vel simpliciter vel pro determinatis adiunctis *prospiciendi securitati* (1) doctrinae catholicae (cf. Zaccaria Antifebronius vindicatus T. II. dissert. V. c. 2. n. 1.). In huiusmodi declarationibus licet non sit doctrinae *veritas infallibilis,* quia hanc decidendi ex hypothesi non est intentio; est tamen *infallibilis securitas*. Securitatem dico tum obiectivam doctrinae declaratae (vel simpliciter vel pro talibus adiunctis), tum subiectivam quatenus omnibus tutum est eam amplecti, et tutum non est nec absque violatione debitae submissionis erga magisterium divinitus constitutum fieri potest, ut eam amplecti recusent. Qui hanc

(1) Non coincidere haec duo, infallibilem veritatem et securitatem, manifestum est vel ex eo, quod secus nulla doctrina probabilis aut probabilior posset dici sana et secura.

distinctionem inter ultimam definitivam sententiam Pontificis loquentis ex cathedra et inter alias provisiones ac prohibitiones doctrinales negaret, cogeretur omnia edicta s. Sedis ad doctrinam quomodocumque pertinentia in uno eodemque censu *definitionum ex cathedra* habere, quod quidem ex historia ecclesiastica, ex praxi s. Sedis, et maxime ex studiosissima declaratione *definitionis ex cathedra* a s. Concilio Vaticano edita, manifesto falsum esse convincitur. Diligenter vero distinctio inter *veritatem infallibilem* et inter *securitatem doctrinae* animadvertatur, secundum eam namque *in principio* positam intelligenda sunt, quae in deductis *corollariis* dicuntur (1).

Corollarium 1. Auctoritas magisterii a Christo instituti in Ecclesia, quoad rem de qua nunc agimus, dupliciter spectari debet: *a*) ut in singulis actibus est sub assistentia Spiritus Sancti ad infallibilem definitionem veritatis, seu ut est *auctoritas infallibilitatis; b*) velut extensive, ut magisterium idem agit auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissâ, non tamen totâ eius intensione (si ita loqui fas est) nec ultimatim definiendo veritatem, sed quantum necessarium aut opportunum et sufficiens visum fuerit ad securitatem doctrinae, quam possumus forte dicere *auctoritatem universalis providentiae ecclesiasticae,* vel *providentiae doctrinalis.*

Corollarium 2. Auctoritas infallibilitatis non potest a Pontifice communicari aliis velut suis ministris et suo nomine agentibus. Si quando igitur *definitio infallibilis* di-

(1) Post primam huius tractatus editionem candidatus theologiae pro Doctoris gradu consequendo Traiecti ad Rhenum vulgavit de Romani Pontificis infallibilitate in ferendis censuris dissertationem eruditam, in qua triginta fere paginas impendit impugnandae doctrinae, quam ipse in hoc nostro septimo principio eiusque corollariis reperisse sibi visus est; nec minori fortitudine proeliatur contra viros doctos, qui fere in nostras partes concessere, suamque doctrinam propriis argumentis confirmarunt. Hi Doctores nostra defensione non egent, nec animus est eam assumere; sed ea sola quae nos diximus et quae eadem etiam nunc vera et tutà esse putamus, paulo distinctius declarabimus, ne alii quoque, quod erudito candidato subinde accidit, verba nostra in sensum alienum accipiant.

catur edita per aliquam sacram Congregationem Romanam, hic modus loquendi non est proprius; Congregatio enim in hac hypothesi se habet dumtaxat per modum consulentis, definiens autem est solus Pontifex. Debent ergo hic occurrere ea indicia, quibus supra diximus oportere intentionem Pontificis *ex cathedra definiendi* manifestam reddi.

Auctoritas universalis providentiae ecclesiasticae, ut eam appellavimus, non quidem independens sed *cum dependentia a Pontifice,* communicabilis est et ab ipso Pontifice communicatur maiori vel minori extensione quibusdam ss. Congregationibus Cardinalium. Unde etiam ss. Congregationum decisiones recte dici possunt et usu ecclesiastico dici solent *decreta sanctae Sedis.*

Ex dictis patet, omnem *definitionem ex cathedra* esse utique definitionem *sanctae Sedis,* quatenus nimirum tota intensione supremi magisterii agens « doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit »; non tamen omne decretum *sanctae Sedis* licet pertinens ad doctrinam esse *definitionem ex cathedra;* postremo *definitionem ex cathedra,* quae solius est Pontificis quatenus *ipsi* in beato Petro promissa est divina assistentia, numquam sensu proprio et genuino dici posse decisionem *Pontificiae Congregationis.*

Corollarium 3. Falsum est, auctoritatem propter quam debeatur assensus intellectus, solàm esse auctoritatem Dei revelantis vel Ecclesiae aut Pontificis infallibiliter definientis; sunt enim gradus assensus religiosi multiplices. In praesenti distinguendus est assensus *fidei proprie et immediate divinae* propter auctoritatem Dei revelantis; assensus fidei quam supra diximus *mediate divinam,* propter auctoritatem infallibiliter definientis doctrinam ut veram non tamen ut revelatam; assensus *religiosus* propter auctoritatem universalis providentiae ecclesiasticae in sensu, quem in expositione *principii* paulo ante declaravimus.

Nimirum non agitur in hoc assensu, quem dicimus *religiosum,* de doctrina vi decreti tenenda ut *infallibiliter vera* aut reiicienda ut *infallibiliter falsa* vel per aliam censuram *infallibilis auctoritatis* notata; hoc enim esset

contra hypothesin. Nihilominus vi supremi et universalis magisterii tam sacra est auctoritas, ut ei licet non ex cathedra *definienti* doctrinam ab universa Ecclesia tenendam, sed absque *huiusmodi definitione* praescribenti doctrinam aliquam sequendam vel non sequendam *obedientia* debeatur. Hanc *obedientiam* adversarii non negant quidem esse debitam, sed eam restringunt mere ad omissionem actuum externorum, atque adeo ad *reverentiale silentium,* « ne quis aliquam doctrinam doceat, imo etiam in aliqua materia scribat vel iudicium suum proferat »; nequaquam vero nisi *per definitionem ex cathedra* exigi posse « mentis obsequium, ita ut quis suam opinionem deponat et tam firma certitudine contrariam amplectatur, ut iuramento se illi adhaerere profiteatur » (dissert. Traiectensis p. 134.). Si quando vero sacra Congregatio, ubi nondum exstabat *definitio ex cathedra,* huiusmodi mentis obsequium postulavit, ut in causa Galilaei, « sacra Inquisitionis Congregatio potestatis suae limites excessit » (ibid. p. 138. citando D. Bouix de Papa T. II. p. 194.). Nos vero existimamus, in huiusmodi iudiciis etiam citra *definitionem ex cathedra* editis postulari et praestandam esse *obedientiam,* quae includat *mentis obsequium,* non quidem ut iudicetur doctrinam esse *infallibiliter* veram aut falsam (quemadmodum adversarius nostram sententiam intellexisse videtur); sed ut iudicetur doctrinam in tali iudicio contentam esse *securam,* et nobis non quidem *ex motivo divinae fidei* (propter auctoritatem Dei revelantis vel Ecclesiae *infallibiliter docentis*), attamen *ex motivo sacrae auctoritatis* (1), cuius munus indubitatum est prospicere sanitati et securitati doctrinae, mentis obsequio amplectendam ac contrariam reiiciendam. Neque enim hic agitur de illis decretis, quibus aliquando nihil aliud quam silentium iniungitur (ut e. g. factum novimus a Paulo V. in doctrina de auxiliis divinae gratiae), sed sermo est de responsionibus et decretis, quibus doctrina

(1) Ratio propter quam praestatur assensus seu *obiectum formale* determinat speciem actus; unde vides, quomodo hic assensus merito dicatur *religiosus,* et specie differat a *fide* sive immediate sive mediate *divina.*

aliqua sequenda vel non sequenda praescribitur (1). Haec ergo iis ad quos pertinet, non tacenda solum sed in eo sensu, quo declaratur, docenda ac defendenda proponitur, in quo ipso includitur mentis obsequium, nisi forte hypocrisin et fictionem imperari suspiceris. Cum porro in doctrina theologica *locus* proprius atque adeo ratio propria et praecipua, propter quam assensus praestatur, non sit *intrinsecus perspecta* veritas sed auctoritas proponens veritatem, illa *sacra auctoritas universalis providentiae doctrinalis* vi muneris sui sufficientissimum est motivum, ex quo possit ac debeat pia voluntas imperare consensum religiosum seu theologicum intellectus (cf. infra in Appendice de habitudine rationis ad fidem cap. II.). Puto hanc nostram sententiam niti gravissimis argumentis.

a) Quaesitum erat a Congregatione S. R. U. Inquisitionis, utrum *tuto tradi possent* septem ibi descriptae propositiones (ad sic dictum ontologismum spectantes, cf. tract. de Deo th. XXIV.). „ Feria IV. die 18. Septembris 1861. in congregatione generali Emi et Rmi DD. praehabito voto DD. Consultorum, omnibus et singulis propositionibus mature perpensis, proposito dubio responderunt: *negative.* " Nemo certe theologus dixerit, hanc s. Congregationis declarationem esse *definitionem ex cathedra*. At vero non silentium dumtaxat indicitur; sed omnino *doctrinalis decisio* est, quae in illis propositionibus enuntiantur, continere doctrinam *non tutam;* atque ideo ut obedientia huic magisterio debita praestetur, ab iis ad quos pertinet, ita non solum loquendum sed etiam sentiendum est. Unde quivis catholicus theologus non utique quaestionem philosophicam et scientificam, cur et qua ratione internâ illae doctrinae tutae non sint, sed quaestionem simpliciter et stricte theologicam, *an tutae sint*, censebit plene solutam et argumenta quae forte opponantur, recisa per hanc solam respon-

(1) Per se facile intelligitur, decreta de quibus solis nos agimus, omnino diversa esse a *litteris privatis,* quibus forte auctoris vel scholae alicuius studia commendentur, aut alia huiusmodi tractentur. Neque vero integra regesta e. g. Gregorii M. quispiam decretis Pontificiis accensebit.

sionem: s. Congregatio iudicavit, doctrinam *haud tuto tradi posse.* Hinc s. Congregatio ipsa ad hoc suum decretum, tamquam ad normam non silentii sed doctrinae tradendae ac proinde etiam tenendae, in alia causa Lovaniensi appellavit. Hoc sit alterum exemplum, idque multo adhuc illustrius.

b) Die 2 Martii 1866 Emus Card. Patritius nomine ss. Congregationum Inquisitionis et Indicis iudicium de doctrinis Professoris Lovaniensis ad Emum Archiepiscopum Mechliniensem perscripsit. Postquam de librorum Professoris Ubaghs emendatione iuxta notationes ss. Congregationum (cf. infra in Appendice c. III. n. I.) nondum perfecta monuit, ita Emus Cardinalis prosequitur. « Praeterea... memorati Cardinales (SS. CC.) alias doctrinas examinandas susceperunt, quae in recentioribus operum eiusdem auctoris editionibus continentur. Et vero perspicere debueerunt, tradi in illis libris *doctrinas plane similes aliquot ex septem propositionibus,* quas in adiecto folio Eminentia Tua enuntiatas reperiet, *quasque Suprema S. Officii Congregatio die 18 Septembris 1861 haud tuto tradi posse iudicavit* (1); et alias quoque in iisdem libris opiniones referri, quae caute minus quam fas esset, exponuntur. Ita declaranda potissimum omnino essent et emendanda, quae... leguntur de opinione, quam *traducianismum* vocant, et quae ibidem occurrunt de vitae principio in homine. Quare Emi Cardinales in hanc devenere sententiam: in libris philosophicis a G. C. Ubaghs hactenus in lucem editis *inveniri doctrinas seu opiniones, quae absque periculo tradi non possunt.* Quam sententiam Sanctissimus D. N. Pius IX ratam habuit et suprema sua auctoritate confirmavit. ».

Candidatus Traiectensis hanc epistolam, seu hoc iudicium ss. Congregationum confirmatum suprema auctoritate Pontificis censet esse *definitionem ex cathedra,* ut apparet ex iis quae scribit p. 132. et ex tota eius doctrina. At profecto α) *definitiones ex cathedra* Pontifex suo nomine edit, non aliis committit velut delegata potestate eden-

(1) Citatur nempe decretum illud, de quo paulo ante diximus.

das et perscribendas. β) Forma ipsa responsionis, Cardinales devenisse in hanc sententiam, in libris Professoris « inveniri doctrinas, quae sine periculo tradi non possunt, » a forma *definitionum* doctrinae et locutionis ex cathedra est alienissima. γ) Quod *sententiam Congregationis* ratam habet et sua suprema auctoritate confirmat summus Pontifex, id non efficit definitionem ex cathedra, nisi ipse *suum* faciat atque ex sese edat decretum cum necessariis signis intentionis *definiendi doctrinam* ab universa Ecclesia tenendam, ita ut sententia non amplius sit Congregationis tamquam iudicantis sed per modum dumtaxat consulentis. Hoc solum sensu praesertim post declarationem Concilii Vaticani admitti potest ac debet doctrina eorum theologorum, qui ut Cardenas et Lacroix etiam a Zaccaria *historice* citati (delle Proibizioni de' libri Append. §. 2. n. 6.) dixerunt, decreta doctrinalia ss. Congregationum si *specialiter* approbata fuerint a Pontifice, esse definitiones ex cathedra. Ne vero insistatur illi expressioni, sententiam Congregationis esse confirmatam *suprema* auctoritate Pontificis, advertatur *supremam* posse dici auctoritatem sive *intensione exercitii* sive in *sua substantia;* hoc altero modo Pontifex e. g. concedit indulgentias, privilegia, dispensationes, decernit servorum Dei beatificationes (citra ultimum definitivum iudicium) *suprema potestate,* quin ideo semper sit suprema *intensio in exercitio* huius potestatis. Ita ergo etiam non potest esse Pontificia confirmatio decreti doctrinalis, quin sit ex *suprema auctoritate,* quae nimirum est *Pontificia;* sed potest esse sine *suprema intensione* huius auctoritatis ac magisterii, quae reperitur in solis definitionibus ex cathedra.

Nec magis *locutionem ex cathedra* eo demonstrabis, quod in litteris Cardinalis Patritii 30 Augusti 1866 dicitur: « per responsiones sacrarum Congregationum s. Officii et Indicis tum anno 1864 tum anno 1866 summi Pontificis auctoritate sancitas quaestionem (Lovaniensium) fuisse *definitam;* » aut quod Episcopi Belgae die 17 Decembris 1866 in epistola ad Professores aiunt: « in quaestione diu agitata *iamque definita* nihil optandum exspectandumque su-

peresse. » Nam profecto per haec sanctae Sedis decreta *finis impositus est* quaestioni eo ipso, quod eisdem decisionibus doctrinalibus obedientia praestanda erat, ad quam obligationem nec fuit necessaria, nec edita est definitio ex cathedra. De responsione anni 1866 id satis constat ex dictis; in altera vero 11 Octobris 1864 nihil continetur praeter sequentia. Primo dicitur, quoad libros Professoris Ubaghs iam annis 1843 et 1844 ex s. Congregationis Indicis « sententia Gregorii XVI. summi Pontificis auctoritate confirmata » fuisse transmissa duo notationum folia « monendi causa auctorem operis, ut nova aliqua editione librum suum emendandum curet; atque interim in scholasticis suis lectionibus ab iis sententiis docendis abstinere velit. » Tum additur, has emendationes nondum esse ab auctore exsecutioni mandatas. Quapropter « Cardinales tum qui s. Inquisitioni tum qui libris notandis praepositi sunt,... iudicaverunt, exsequendum ab auctore esse, quod minime adhuc praestitit, nimirum emendandam illi esse expositam doctrinam in cunctis iis locis seu capitibus, quae sacer Consessus librorum notandorum iudex minus probavit, iuxta notationes in supra dictis duobus foliis comprehensas. Ex quo tamen haudquaquam intelligendum est probari doctrinas reliquas, quae in recentioribus operum praedicti auctoris editionibus continentur. Hanc porro Emorum Patrum sententiam SS. DD. N. Pius IX auctoritate sua ratam habuit ac confirmavit. » Concluditur adhortatione ad Episcopos Belgii, quorum erit dare omnem operam, ut neque in Universitate Lovaniensi neque in aliis scholis « illae amplius explicentur doctrinae, quae ubi primum ad Apostolicae Sedis iudicium delatae sunt, visae sunt a scholis catholicis amandandae. » Haec sunt, quibus tum in epistola Card. Patritii tum ab Episcopis Belgis iure merito dicitur « quaestio *definita.* » Atqui evidens est, hanc non esse *definitionem ex cathedra,* si quid hoc nomine veniat, a Concilio Vaticano didiceris; sed esse *ex auctoritate universalis providentiae doctrinalis* sapientissimam terminationem nimis diu agitatae quaestionis.

Iam his suppositis sententia quam defendimus, confirma-

tionem habet plenissimam. Decisioni enim isti doctrinali ss. Congregationum, licet ex dictis definitionem Pontificis ex cathedra loquentis non contineat, debetur tamen sine ullo dubio « absoluta subiectio » cum « sinceritate assensus; » assensus inquam debetur non fidei immediate vel mediate divinae, sed ille *religiosus* quem iam satis descripsimus, ex motivo sacrae auctoritatis, quae (etiam citra definitionem ex cathedra) inest supremo magisterio. Professores illi nonnulli ad quos res proxime pertinebat, non solum supponebant hanc decisionem Apostolicam non esse definitionem ex cathedra, sed asserebant esse mere *disciplinarem* non vero *doctrinalem;* silentium nempe indictum esse, nihil autem de ipsa doctrina decretum. Nam si ea *doctrinalis* sit, obedientiam exigi quoad ipsam *doctrinam* atque adeo mentis obsequium, ipsimet videbant (cf. Revue catholique T. XVIII. pag. 199.). « *Disciplinaris* est, aiebant, *non doctrinalis;* docere non possumus ea, quae sunt reprobata, sed corde servare licet ea, quae publice docebamus. » Ita referebant Episcopi Belgii die 1 Augusti 1866 in litteris ad summum Pontificem. Ad haec vero nomine Sanctissimi Patris die 30 Augusti 1866 respondit Card. Patritius, « omnia ad quaestionem Lovanii agitatam spectantia fuisse in examen revocata et prae oculis habita, dum per memoratas responsiones (11 Octobris 1864 et 2 Martii 1866) quaestio definiretur. Porro viri catholici, multo vero magis ecclesiastici *id muneris habent, ut decretis Sanctae Sedis plene, perfecte absoluteque se subiiciant, e medio sublatis contentionibus, quae sinceritati assensus officerent.* » Post haec subscribere iussi sunt Professores ad quos spectabat, omnesque laudatissima obedientia subscripserunt mense Decembri eiusdem anni hanc formulam. « Obsequens mandatis vestris (Episcoporum) hocce documentum *filialis obedientiae* vobis exhibere festino, humillime rogans, ut per manus vestras ad pedes Sanctissimi Domini Pii PP. IX deponatur. Decisionibus s. Sedis Apostolicae die 2 Martii et 30 Augusti huius anni plene, perfecte absoluteque me subiicio, *et ex animo acquiesco. Ideoque ex corde reprobo et reiicio quamcumque doctrinam oppositam.* »

Irrefragabilem confirmationem nostrae sententiae in his nemo non videt. Si enim decisiones sacrarum Congregationum anni 1864 et 1866 ita habent, ut descripsi, illae definitiones Pontificis *ex cathedra loquentis* censeri nequeunt. Exigitur tamen ac debetur eis non quidem assensus fidei divinae, sed obedientia intellectus respondens sacrae auctoritati *universalis providentiae doctrinalis,* a qua decisiones profectae sunt.

c) Geminae demonstrationes principii quod defendimus, deducuntur ex subscriptione aliquot propositionum, quam cohortante et laudante Gregorio XVI (in litteris 20 Dec. 1834) Episcopus Argentoratensis postulavit et anno 1840 tandem obtinuit a doctore Seminarii D. Bautain, et ex subscriptione simillima quam anno 1855 approbante S. P. Pio IX, s. Congregatio Indicis indixit viro erudito D. Bonetty.

In hisce actis utrisque certissime non intercessit definitio Pontificis ex cathedra loquentis; ex altera vero parte aeque certum est, et ex subscriptionibus ipsis reique gestae historia manifestum, non ad reverentiale silentium et ad obedientiam externam dumtaxat, sed ad ipsam doctrinam non utique fide divina sed *religioso mentis obsequio* amplectendam illa mandata tum Episcopi tum s. Congregationis approbante summo Pontifice pertinuisse. Vide tract. de Deo th. VI. in Scholio.

d) Hanc ipsam doctrinam summus Pontifex Pius IX. in litteris scriptis 21. Decembris 1863. ad Archiepiscopum Monachiensem quarum initium est « Tuas libenter accepimus », clarissime exposuit. « Persuadere Nobis volumus, noluisse (eos qui conventui litterario Monachiensi adfuerant) obligationem, qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, *quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.* Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem..... obtineri posse, si dumtaxat *dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur.* Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae

expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum, huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt; sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur *de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur*, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco eiusdem conventus viri agnoscere debent, *sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram.* »

Hoc argumentum quod in prima huius libri editione solum mihi sufficere visum erat, dissertator Traiectensis (p. 136. sqq.) substituendo verbis sensum inauditum et ipsi contextui repugnantem eludi posse putavit. Pontifex, ait ille, primum loquitur de definitionibus dogmatum revelatorum, tum agens de decisionibus quae a Pontificiis Congregationibus proferuntur, intelligi voluit « solummodo illa decreta, quae suo nomine promulgata ut *suas definitiones ex cathedra profectas*, assensu absoluto quemcumque catholicum venerari oportet, » ita ut ergo in prima parte loci a nobis citati sermo sit de dogmatum definitionibus ex cathedra *sub censura haereseos* contra errores oppositos; in secunda parte « decisiones, quae *a Pontificiis Congregationibus proferuntur,* » intelligantur *solae definitiones Pontificis ex cathedra loquentis*, sed sub aliis *inferioribus censuris.* Hunc sensum putat dissertator insuper etiam ex eo confirmari, quod in litteris Pontificis decisiones a Pontificiis Congregationibus prolatae coniunguntur cum « iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti

catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates, » in quibus (ut noster oppugnator testatur) « Suarezius cum aliis Ecclesiam consentientem infallibilem esse docet. » Praeterea tertio censet, illum quem nos putamus sensum clarissimum litterarum ad Archiepiscopum Monachiensem, non esse genuinum, quia theologi ex una parte docent, non posse exigi mentis assensum nisi per definitionem infallibilem (p. 136), ex parte altera Card. Gotti negat omnino ipsum nostrum principium, quemadmodum (p. 156) adversarius citat: « decreta Congregationum in materia fidei et morum ex se et ut a Congregatione ipsa prodeunt, multi quidem sunt facienda, *sed non praebent theologo firmum argumentum,* » attamen « omnes *in foro externo* obedire tenentur. »

At vero doctrina Pontificis in litteris, de quibus agitur, omnino manifesta est. α) Quis quaeso in animum inducat, nomine « decisionum quae *a Pontificiis Congregationibus proferuntur,* » *nullas* comprehendi decisiones quae ab ipsis Congregationibus proferantur, sed *solas* definitiones ab ipso Pontifice ex cathedra prolatas? Decisiones quidem Congregationum possunt dici et saepe dicuntur profectae a s. Sede, a qua in ipsos illos sacros consessus derivatur iurisdictio et magisterium participatum (sensu superius explicato), et cuius sunt organa ac veluti membra assumpta ad universalem providentiam pastoralem et doctrinalem; eaedem, licet maneant iudicia edita a Congregatione et minime a Pontifice ex cathedra loquente, dicuntur etiam quandoque decisiones Pontificis, quatenus eas sua suprema auctoritate ratas habet et confirmat; sed profecto inauditum est, in stylo Curiae (ut vocant) et ab ipso Pontifice definitioni ex cathedra fieri appellationem *decisionis, quae a Pontificia Congregatione profertur.*

β) Inspiciamus contextum. Dixerant viri docti in suo conventu Monachii habito, « omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia *dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis.* » Pontifex laudat quidem hanc professionem veritatis, « quae ex catholicae fidei obligatione necessario oritur ; » sed partim

quo sensu intelligi debeat, partim eam solam non sufficere declarat. Nam *primo* « obligatio qua catholici magistri ac scriptores omnino adstringuntur, non coarctatur in iis tantum, *quae ab infallibili Ecclesiae iudicio velut fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.* » Itaque necessarium est, sed non sufficit adhaerere iis, quae sive formali sive aequipollente *iudicio* infallibili Ecclesiae ut dogmata revelata proponuntur credenda fide catholicâ immediate divinâ. Subdit Pontifex *secundo* et distincto inciso, ad perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quae necessaria omnino est ad verum scientiarum progressum assequendum, neque sufficere, « *si dumtaxat dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides et obsequium adhibeatur.* » Haec secunda sententia Pontificis non esset a priori distincta et omnino diversa, ut in litteris exhibetur, si hic *dogmata ab Ecclesia definita* eodem sensu, quo in antecedentibus *dogmata fidei ab Ecclesiae iudicio proposita* intelligerentur. Agitur ergo in hoc secundo inciso etiam de illis dogmatibus, quae non ut in se revelata definiuntur, cuiusmodi sunt illa e. g. contra Pistorienses et in multis aliis Constitutionibus non sub nota haereseos sed sub inferioribus censuris definita, quibus ex motivo infallibilitatis Ecclesiae seu Pontificis fides praestanda est *mediate divina;* hocque ipsum satis indicatur illa locutione, « fides *et obsequium* adhibeatur. »

Si ad scientias rite excolendas (de hoc enim Pontifex agit) non satis est prae oculis habere tum dogmata fidei ab Ecclesiae iudicio sive formali (per definitionem) sive aequipollente (per consensum) proposita omnibus credenda, tum dogmata illa quibus fides et obsequium adhiberi debet ob expressam Ecclesiae definitionem, licet definita non sint ut in se revelata; quid amplius viris catholicis « qui in contemplatrices scientias incumbunt, » superest praestandum ? Hoc declarat Pontifex verbis, ex quibus superius citatis nostrum desumpsimus argumentum. « Sed cum de illa subiectione agatur (diversa ab actu fidei sive immediate sive mediate divinae), qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias

incumbunt... recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur (quae vel totius Ecclesiae magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur, vel definita sunt sive de fide sive gradu inferiori expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum decretis) : verum etiam opus esse, *ut se subiiciant tum decisionibus quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur,* tum iis doctrinae capitibus quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones iisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram. » Clare ergo *decisiones a Pontificiis Congregationibus prolatae* distinguuntur ab omnibus iis, *quae expressis Romanorum Pontificum decretis definita sunt.* Proinde illae intelliguntur non esse *definitiones ex cathedra,* et tamen eis (ut adversarius p. 143. fatetur) subiectionem per assensum mentis deberi, Pontifex declarat. Et sane si adversarii interpretatio admitteretur, iam Constitutiones Concilii Constantiensis contra Wicleffum (approbante Martino V.), s. Pii V. contra Baium, Innocentii XI. contra Molinos, Innocentii XII. in causa Fenelonii, Clementis XI. contra Quesnellium, Pii VI. contra Pistorienses, ipsa illa posthac edita a Pio IX. *(Quanta cura)* vel minime vel saltem non ex integro comprehenderentur inter « expressa oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum decreta; » sed omnes illae in litteris ad Archiep. Monachiensem dicerentur « decisiones a Pontificiis Congregationibus prolatae, » quo quid quaeso absurdius fingi posset?

γ) Contra clarum hunc litterarum textum et contextum nihil proficitur ex eo, quod decisiones a Congregationibus prolatae simul nominantur cum veritatibus theologicis quae a catholicis communi consensu retinentur, et quarum negatio propterea aliquam notam theologicam mereretur. Bene autem advertas velim, nullo modo hic sermonem esse in litteris Pontificis de censuris doctrinarum per *iudicium* Ecclesiae iam pronuntiatis, sed tantummodo de *religiosa*

adhaesione, qua catholici illas doctrinas retinent non ut dogmata fidei sed ut theologicas veritates consensu tam communi et constanti, ut (ex consentiente iudicio theologorum) sine erroris vel temeritatis vel aliis huiusmodi notis negari non possent. Iam quoniam adversarius affirmat, Suarezium docere talem catholicorum consensum esse infallibilem, eius doctrinam describere operae pretium fuerit. De Ecclesiae *infallibilitate in credendo* Suarez (de Fide disp. V. sect. 6.) tria docet, primo Ecclesiam non posse a fide deficere per haeresim ; secundo neque posse errare per ignorantiam « in his, quae credit tamquam certa de fide; » tertio in his quae credit non tamquam de fide, sed ita ut contraria sententia mereretur aliquam censuram, tenendum est eam non errare, de infallibilitate tamen, in his omnibus non tam certo constat; sed secundum diversos gradus, quibus doctrina propinquius vel remotius fidem attingit, erit magis vel minus certum Ecclesiam in his non errare (1). De auctoritate consensus theologorum quid nobis vi-

(1) Haec (ut iam monui) non dicuntur nec dici possent de infallibilitate Ecclesiae docentis vel Pontificis *in iudicando et ferendis censuris ex cathedra:* sed dicuntur a Suarezio de Ecclesiae infallibilitate dumtaxat *in credendo* ante latam aliquam definitionem. In dissertatione Traiectensi p. 84. 85. locus citatur truncatus, ac dein p. 140. ad illum appellatur in sensu minime genuino. Verba Doctoris eximii (de Fide disp. V. sect. 6. n. 8.) haec sunt. « Dico tertio, quamvis certum non sit, quae Ecclesia credit tantum *ut pia et probabilia,* esse vera (quae tamen *pia* ita credit, ut contraria doctrina censeatur mereri notam aliquam theologicam, quemadmodum mox videbimus); si tamen tota Ecclesia *in aliqua huiusmodi re* conspirat, *tenendum est in eo non errare,* non solum practice (doctrinae *securitas*), quod est manifestum, sed etiam speculative (doctrinae *veritas*). Ratio primae partis est, *quia non constat in his omnibus rebus regi Ecclesiam ab Spiritu Sancto* (quo solo efficitur infallibilitas supernaturalis), cum ad fidem ea non pertineant, nec sint ad salutem necessaria (ex qua necessitate ad salutem existit ratio theologica infallibilitatis in definienda doctrina morum). Ratio vero alterius partis (in qua dixit, *tenendum esse* Ecclesiam in his etiam rebus non errare) est, quia universa Ecclesia etiam spectata ut humana congregatio, in qua sunt plures viri sapientes, habet humano modo summam auctoritatem; ergo si tota Ecclesia iudicet (credendo) aliquid esse probabile, evidenter probabile est, et inde in primis tollitur periculum practici erroris; et deinde fit maxime verisimile, illud etiam in re ipsa

deatur, inferius th. XVII. indicabimus; interim vero constat Suarezium et doctores plurimos, qui huiusmodi catholicorum consensum, licet in eo infallibilitatem non agnoscant, nihilominus ad *securitatem* doctrinae et ad *veritatis* argumentum tam grave sufficere iudicant, ut ei repugnare sine nota temeritatis fas non sit, hos inquam doctores omnes nostrum tenuisse principium, quo ad obligandum *assensum religiosum* (distinctum ab assensu fidei immediate vel mediate divinae) in rebus theologicis non requiri auctoritatem infallibilem affirmamus, sed sufficere (ut Suarez loquitur) « humano modo summam auctoritatem; » aliud enim est iudicare auctoritatem in proposita doctrina non errare, et aliud auctoritatem esse infallibilem. Quod vero ad rem spectat, de qua nunc agimus, ex dictis quisque videt, quam apte in litteris ad Archiep. Monachiensem coniungatur obligatio conscientiae, « ut qui in contemplatrices scientias incumbunt, se subiiciant tum decisionibus, *quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur,* tum iis doctrinae capitibus *quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates.* »

δ) Haec quae ex Suarezio citavimus, satis ostendunt, quid sentiendum sit de dissertatoris affirmatione, theologos omnes quos ipse novit (ut ait), conspirare in contrariam sententiam, non posse nimirum obsequium mentis iuste po-

esse verum, praesertim quia verisimile est, etiam Spiritum Sanctum specialiter adiuvare et illuminare doctores Ecclesiae; si enim quoad veritates omnes naturales id conceditur, ut in l. I. de Gratia c. 2. n. 17. diximus, quanto magis in hac materia sentiendum erit (quod vero longe diversum est a promissa infallibili assistentia Spiritus veritatis, per quam efficitur proprie dicta *infallibilitas* Ecclesiae et Pontificis definientis ex cathedra). Sciendum est autem, *in his rebus* (quas Ecclesia credit tantum *ut pias et probabiles,* quod initio proposuerat velut ὑποκείμενον seu disputationis subiectum) esse gradus, ut sumi potest ex dicendis disputat. XIX. sect. 2. (ubi agitur de diversis gradibus censurarum theologicarum), *namque quaedam illarum (rerum),* licet non sint tam certae ut contrariae sint haereticae, *interdum sunt erroneae, quia proxime ad principia fidei accedunt; interdum sunt temerariae propter magnum consensum Patrum, cui opponuntur; interdum vero sunt tantum probabiles vel probabiliores; et secundum eosdem gradus erit magis vel minus certum, Ecclesiam in his non errare.* »

stulari nisi ab auctoritate infallibili. Citat Bellarminum (de Eccles. l. III. c. 14. argum.3.), Suarez (de Fide disp. V. sect. 6. n. 8; sect. 8. n. 7. 8.), tum recentes D. Bouix, Murray, Knox, Weninger, illum qui nomine *Rudis* assumpto scripsit de Petra Romana, ac tandem D. Ward, quem nostrum principium defendendo sibi ipsi contradicere putat. Nihil nimirum distinguendo inter *assensum fidei* (sive immediate sive mediate divinae) et inter *assensum religiosum,* qui specifice diversae auctoritati respondet, facile contradictionis accusabuntur non modo D. Ward, sed etiam Suarez et omnes illi veteres theologi, qui doctrinam eius paulo ante descriptam sequuntur. At Bellarminus et Suarez et generatim veteres theologi ubicumque ex obligatione assensus inferunt infallibilitatem auctoritatis obligantis, loquuntur de assensu fidei immediate vel mediate divinae. Et sane tum veteres tum recentiores theologi Murray, Weninger, Rudis, Ward ubi agunt vel de iis, quae tota Ecclesia credit *de fide,* vel de definitionibus sive Conciliorum sive Pontificis ex cathedra loquentis, recte arguunt *talem assensum* qui huic doctrinae fidei vel hisce definitionibus ab universa Ecclesia praestandus est, necessario supponere auctoritatis proponentis ac definientis infallibilitatem. Sic Bellarminus in loco, qui citatur, in primis declarat statum quaestionis: « Ecclesia non potest errare, id est, *id quod tenent omnes fideles tamquam de fide*, necessario est verum et de fide, et similiter *id quod docent omnes Episcopi tamquam ad fidem pertinens,* necessario est verum et de fide. » Tum *hanc veritatem* probat pluribus argumentis, quorum tertium ita habet. « Obligamur sub anathematis poena credere Ecclesiae in omnibus, ut patet Matth. XVIII. 17; et Concilia omnia dicunt anathema non assentientibus Ecclesiae decretis. At iniquum esset sub tam gravi poena obligari ad assentiendum rebus incertis et interdum falsis. » Ait igitur, imponere obligationem credendi de fide, ita ut repugnans habendus sit haereticus extorris ab Ecclesia, non posse sine iniquitate committi nisi auctoritati infallibili. At haec quomodo quaeso repugnant nostrae sententiae, ad quam refellendam candidatus Traiectensis ultimum dumtaxat

Bellarmini incisum producit, insuper habito toto textu et contextu?

Gemina citationis fallacia etiam contigit in textu Cardinalis Gotti, qui verbis ut in dissertatione describuntur, videtur enuntiare principium nostro directe repugnans. Citatur ita: « decreta Congregationum in materia fidei et morum ex se et ut a Congregatione ipsa prodeunt, multi quidem sunt facienda, *sed non praebent theologo firmum argumentum.* » « Si abest specialis Pontificis confirmatio, *omnes in foro externo obedire tenentur,* non obstante quacumque opinionum probabilitate. » Atqui doctissimus Cardinalis tantummodo asserit, quod omnes concedunt, decisiones Congregationum ad doctrinam pertinentes non habere eam firmitatem, quae *in infallibilitate* fundatur; nec per easdem constitui posse *articulos fidei.* Neque Cardinalis dicit, ut sensus exhibetur in citatione, *tantum in foro externo* deberi obedientiam; sed ait: « omnes *saltem* in foro externo obedire tenentur. » Obedientia itaque quam Card. Gotti cum aliis omnibus negat et excludit praestandam huiusmodi decretis, non est alia quam *obedientia fidei divinae.* Quae quidem doctrina non solum non repugnat nostro principio, sed egregie cum eo conciliatur (1).

(1) Ut videas, quam solerter candidatus voculas quasdam ex textibus exsciderit, accipe verba Card. Gotti (de Locis theol. T. I. q. 3. dub. 9. §. 2. n. 12.). « Decreta Congregationum in materia fidei et morum ex se et ut a Congregatione ipsa prodeunt, multi quidem sunt facienda; sed non praebent theologo firmum, *id est infallibile* argumentum. » Probat deinde magni esse facienda et auctoritatis forte tantae, quantae sunt decreta Conciliorum nationalium. « Quare omnes *saltem* in foro externo obedire tenentur, non obstante quacumque opinionum probabilitate. Quod vero non praebeant theologo *argumentum infallibile,* probatur. Nam Cardinalium Congregationes neque ex se nec virtute a summo Pontifice accepta gaudent privilegio infallibilitatis.... Ratio autem est, quia potestas iudicandi et *definiendi in materia fidei et proponendi articulos eius, qui totam Ecclesiam ad credendum obligent,* alligata est dignitati supremi capitis, pastoris et doctoris Ecclesiae.... ergo sicut non potest delegare alterum, ut sit Ecclesiae supremum caput, pastor et doctor, nec Spiritus Sancti adsistentiam in alterum transferre, ita nec potest facultatem formandi *decreta fidei* alteri delegare aut communicare. Hinc Congregatio s. Inquisitionis auctoritate sibi a summo

Verum quidquid dicas de horum theologorum opinionibus, sensus genuinus litterarum ad Archiep. Monachiensem ex ipso textu et contextu demonstratur; quod a nobis iam satis praestitum esse confido.

e) Demonstratio haud absimilis ducitur ex aliis summi Pontificis litteris 15 Iunii 1857 ad Archiepiscopum Coloniensem Card. Geissel de decreto s. Congregationis Indicis, quo libri Antonii Günther fuerant proscripti. Huiusmodi decreta quae ad proscribendam *doctrinam* eduntur, non eo evadunt *definitiones ex cathedra,* quod suprema Pontificis auctoritate confirmantur et publicari iubentur (1), quemadmodum in eis expresse notari solet. Nihilominus Pontifex in litteris commemoratis declarat, ipsum decretum sufficere debuisse, ut omnes catholici non solum persuasum haberent, nemini deinceps fas esse doctrinam iis libris traditam tueri ac propugnare; sed ut etiam intelligerent

Pontifice commissa, potest quidem quos Ecclesia haereticos dixit sive *articulos* sive homines *ultima sententia condemnare* (in quibus decretis *damnationis articulorum* nos dicimus deberi non solum silentium, sed *religiosum mentis obsequium,* non tamen *vi decretorum* assensum fidei divinae); ab ea tamen controversia aliqua fidei *decidi non potest ita, ut transeat in articulum fidei, et qui dissentiant immediate sint haeretici, ex vi praecise iudicii s. Congregationis.* »

Quoad duos alios citatos, libenter concedo adversarium iure pro sua causa appellare fortasse ad D. Knox, certe ad D. Bouix, cuius ego doctrinam in hoc capite sequi non possum. Neque enim haec duo, quae ipse asserit, conciliare valeo, *a*) posse s. Congregationem Inquisitionis « notas theologicas quae iustae videantur, etiam haereseos inurere » alicui *opinioni* seu *doctrinae; b*) neminem tamen « posse iuste adigi ut illi iudicio interne et ex animo adhaereat. » Conciliare haec inquam non valeo, si sermo sit (ut saepe dixi) de adhaesione non fidei divinae praecise ex vi iudicii Congregationis, sed de adhaesione religiosa inferioris ordinis. Neque ego concedam D. Bouixio, s. Congregationem in causa Galilaei « potestatis suae limites excessisse. »

(1) Hac de re consului plures theologos Urbis eosque tam graves, ut sententiam non verear *Romanam* appellare. Sane vero nisi ita esset, iam nullum foret discrimen inter huiusmodi decreta Indicis et inter condemnationes librorum, quae ab ipso Pontifice per litteras Apostolicas quandoque fiunt. Hoc autem discrimen tum per sese satis manifestum est, tum ex Constitutione cuius initium *Apostolicae Sedis* §. 2, deducitur.

« *sinceram haberi non posse doctrinam Güntherianis libris contentam* » (1).

f) His liceat addere pro confirmando nostro principio argumentum desumptum ex doctrina Benedicti XIV. privatum quidem theologum agentis, sed in re, in qua omnibus fatentibus fere sine exceptione maior eius est auctoritas. Principium nostrum, quod iamdiu defendimus, hoc est: ad obligandum *internum assensum religiosum* in re theologica non necessario requiritur infallibilitas auctoritatis proponentis. Iam vero Benedictus XIV. duo haec docet. α) In *beatificatione* servorum Dei iudicium Pontificis *non est infallibile,* sicut infallibile censeri debet eius iudicium ultimum in beatorum canonizatione (de Canonizat. SS. l. I. c. 42.). β) Nihilominus qui assereret, in hac vel illa beatificatione formali Pontificem actu errasse, atque adeo non esse beatum, qui beatus declaratus est, aut non esse ei secundum Pontificiam concessionem cultum exhibendum, is « temeritatis vel gravioris theologicae censurae nota afficiendus esset » (ib. n. 10.). Atqui in his duabus Benedicti propositionibus ipsum nostrum principium continetur. Porro eadem est doctrina plurimorum theologorum, et puto post Benedictum XIV. esse communem; ergo principium nostrum saltem per se spectatum, et praescindendo ab eius applicatione in specialibns casibus iudiciorum ecclesiasticorum ad doctrinam pertinentium non est contra (ut eruditus candidatus dixit) sed iuxta communem sententiam doctorum. Generatim Bellarminus (de R. Pontif. l. IV. c. 2.) testatur: « *Catholici omnes conveniunt inter se,* Pontificem solum vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, *sive errare possit sive non*, esse obedienter audiendum. »

(1) Iam saepe monui, nostram assertionem demonstrationesque de religioso assensu et mentis obsequio praestando referri dumtaxat ad decreta, quibus *doctrina vel praescribitur vel proscribitur.* Si quando ergo liber aliquis inter prohibitos notatus sciretur non ob falsitatem theologicae doctrinae, sed ob periculum charitatis et pacis violandae vel ob doctrinae importunitatem in specialibus adiunctis vel ob alias similes rationes oeconomiae ecclesiasticae; de huiusmodi disciplinaribus provisionibus ecclesiasticae prudentiae in tota nostra praesenti tractatione non agitur.

Nominatim de decretis Congregationum et ipsius Pontificis, licet definitiones ex cathedra non sint, hoc officium catholicorum Franc. Antonius Zaccaria inculcat (1), citando etiam Alexandri VII. litteras 7. Aug. 1660 ad Rectorem Universitatis Lovaniensis, simillimas in hoc capite litteris Pii IX. ad Archiep. Monachiensem, quas superius descripsimus (Zaccaria Storia delle proibizioni de' libri l. II. dissert. II. c. 2. 3.).

g) At si haec ita sunt, nonne argumentum theologicum concidit, quo doctores ad probandam infallibilitatem Pontificis ex cathedra loquentis uti solent? Nonne « tali modo perniciosum Gallicanismi systema caput abscissum iterum extollere posset? » Huius periculi graviter nos commonet dissertatio Batava; quod enim discernimus inter infallibiles definitiones ex cathedra et inter alia documenta sanctae Sedis, quibus debeatur *religiosum mentis obsequium*, licet definitiones ex cathedra censeri nequeant, « tales distinctiones (ait laureandus p. 155. 156.) natae sunt infallibilem Pontificis auctoritatem in concreto inanem reddere, et ansam praebere in particulari aliquo decreto decisionis infallibilitatem negandi... Et quibus indiciis constare potest, Pontificem ut infallibilem Ecclesiae doctorem, non vero ut gubernatorem tantum fallibilem doctrinalem sententiam pronuntiasse, nisi forsitan receptione et sensu Ecclesiae? » (2).

(1) « Alle proibizioni di Roma se autori sono de' libri, si arrendano eglino *con vera docilità e sommissione di spirito, riprovando ciò che ella riprova....* riconoscendone secondo le qualità di esse o per autore o almeno per primo original fonte il sommo Pontefice, *la cui autorità quantunque egli non sempre la spieghi tutta, nè la indirizzi nelle più solenni maniere all' insegnamento della Chiesa universale*, prevaler dee al giudizio di tutti i privati Dottori e Maestri » l. c. cap. 3. n. 4. « Sono io persuaso, che alla Providenza appartenga di non permettere, che Roma anche fuori del caso in cui il Pontefice parli ex cathedra, condanni come errore una dottrina, che tale non sia.... La giustizia della proibizione non si ha da esaminare, ma sempre è da supporre, se non fosse, *il che non sarà mai, evidentemente extra Dei praeceptum;* e su questa supposizione che rimane, se non ubbedire? » ib. Append. §. 2. n. 3. 4.

(2) Habet ibidem p. 156. noster theologus ex historia quoque re torsionem. Negari non potest, Honorium I. duas epistolas ad Sergium scripsisse non mere privatas sed ex munere pastorali, nihil tamen (ut

Haec conviciis simillima videntur, condonanda tamen sunt iuvenili ingenio. Nemo profecto catholicus umquam negavit, aut negare potest necessitatem distinguendi inter definitiones ex cathedra et inter alias declarationes etiam doctrinales sive ipsorum Pontificum sive Pontificiarum Congregationum. Hostes s. Sedis et impugnatores infallibilitatis soli hanc necessariam distinctionem, quae in ipso decreto definitionis Vaticanae continetur, semper conati sunt, et nunc Neoprotestantes *(veteres catholici)* maxime conantur eliminare. Unde consequens esset, infallibilitatem effici ac regi non *assistentia divina*, ut Concilium declaravit, sed velut *habituali inspiratione*. De hac hostium arte pluribus agit Maurus Cappellari (Gregorius XVI) in suo « Triumpho S. Sedis » cap. 24, quamvis ipse in omnibus documentis quae definitiones ex cathedra haberi non debent, Pontificem appellet *doctorem privatum*, non eo sensu

evidens est ex litteris ipsis) definiendo. Unde ex nostra doctrina sequi videtur, illis litteris *religiosum mentis obsequium* fuisse deferendum. « Ergo (dissertator exclamat) Sophronius et catholicae veritatis defensores peccaverunt non praestando firmum assensum!? » Vellem dixisset nobis candidatus, cuinam rei ex nostra sententia assensum praestandum fuisse existimet. In illis epistolis distinguenda est pars dogmatica seu doctrinalis, et pars altera spectans ad oeconomiam et particularem disciplinam in particularibus adiunctis. Quoad doctrinam s. Sophronius et defensores catholicae veritatis pridem consentiebant iis, quae in duabus epistolis docentur; de iis vero quae in huiusmodi litteris Pontifices forte suadeant circa particularem aliquam disciplinam, nobis sermo non est. Docet nimirum Honorius, secundum definitiones s. Leonis et Concilii Chalcedonensis credendas ac profitendas esse duas Christi naturas integras, distinctas cum suis distinctis operationibus in uno operante tam divina quam humana; voluntates vero Christi non esse inter se contrarias, ut subdole Sergius nuntiaverat ab adversariis affirmari. In his a Sergio falso suppositis adiunctis suasit Pontifex, ut modus exponendi doctrinam catholicam retineretur ille, qui est in Leonis epistola ad Flavianum, nec *una voluntas* diceretur, quia hoc nisi unitas dumtaxat consensionis intelligeretur, ad Eutychianismum vergit; nec *duae voluntates* numerarentur hisce verbis, quibus ex relatione Sergii intelligebant illi conficti adversarii modo Nestoriano *voluntates contrarias*. Hanc dicimus partem epistolae oeconomicam et disciplinarem, eamque fundatam in falso supposito, obreptitiam et subreptitiam, cui nec assentiendum erat nec obediendum. Vide tract. de Incarnat. th. XL. in Scholio.

quo e. g. Innocentius IV. aut Benedictus XIV. in suis commentariis privati doctores sunt, sed in oppositione dumtaxat ad supremam intensionem auctoritatis, qua *definit* doctrinam ab universa Ecclesia tenendam, seu qua ex cathedra loquitur; atque adeo in illis documentis ita est doctor privatus i. e. *non definiens ex cathedra,* « ut ei contradicere esset *temeritas intolerabilis* » (ib. n. 6.), cum contra privatis sententiis Pontificum in eorum libris non secus ac aliorum doctorum sine ulla temeritate contradicere omnino fas sit, quam libertatem Benedictus XIV. omnibus plenissimam tribuit (Praefat. ed. 2. de Synodo dioeces.). Quoniam igitur de distinctione agitur, non quae sit inter privatas lucubrationes in quibus sacra auctoritas Pontificis locum non habet, sed inter documenta profecta ex munere quidem supremi magisterii, in quibus tamen Pontifex non proponat ultima *definitiva sententia* doctrinam ab universa Ecclesia tenendam, et inter huiusmodi definitiones quae ad assensum fidei immediate vel mediate divinae obligant Ecclesiam; propterea doctissimus auctor « Triumphi » tam sollicite insistit necessitati certarum notarum, quibus dignoscantur definitiones ex cathedra, ne permiscendo priora illa cum his posterioribus documentis « confusiones et perturbationes inducantur in Ecclesia » (1).

Et sane doctor Neoprotestantium Fridericus Schulte ad haeresim defendendam et oppugnandum dogma infallibili-

(1) « Siccome tutto ciò che risolvesi nel Concilio, sebbene spettante alla fede, *senza animo espresso di definire*, non forma una dogmatica decisione; così senza questa espressa intenzione nei Padri, non potrà dirsi da essi rappresentata in quelle risoluzioni la Chiesa definiente. Chi ha fior di ragione può senza fatica farne al Papa l'applicazione. Ma quando il Papa consultato *risponde e giudica,* avrà conseguentemente l'animo di giudicare. Sì certamente, ma di giudicare da teologo e da privato dottore (h. e. sine definitione ex cathedra), *qualora non assuma la pienezza di sua autorità...* Si è dimostrato, che il Papa può parlare come capo della Chiesa (definiendo) e come privato dottore. Ora non venendo questa distinzione esclusa dalla primazia, *perchè non s'introducano confusioni e disordini nella Chiesa, è necessario che si diano certe note indubitate e manifeste, mercè le quali conoscere si possa quando il Pontefice definisce solennemente, ossia ex cathedra, e quando altrimenti.* L'esistenza di queste note è tanto certa, quanto è certa la distinzione

tatis Pontificis, in id potissimum vires omnes intendit et sophismata construit, ut evincat inanem esse distinctionem *definitionum ex cathedra* ab aliis publicis documentis et declarationibus Pontificum, adeoque omnes declarationes quae a Pontifice vi sui muneris pastoralis quomodocumque editae sunt vel eduntur, post Concilium Vaticanum a catholicis habendas esse definitiones infallibiles (1). Cum nempe veritas catholica in medio consistat inter errores sibi invicem oppositos, ut Patres saepe explicant, haeretici semper consueverunt dogmata catholica detorquere in sensum extremum partis oppositae; hoc enim modo imperitis imponi, et quod catholica Ecclesia minime docet, velut dogma catholicum facile impugnari posse vident.

Hanc itaque distinctionem *definitionum* sive Pontificum ex cathedra loquentium sive Conciliorum oecumenicorum ab aliis documentis s. Sedis cum nemo sine rerum confusione negare queat, quomodo quaeso adversarius audet obiicere periculum Gallicanismi ex eo, quod his posterioribus declarationibus *ipsius mentis obsequium religiosum* deberi

dimostrata, *e quanto pure è certo il disordine che senza di esse necessariamente deriverebbe a danno della Chiesa, disordine essenzialmente contrario al fine per cui fu istituito il primato.* » Cappellari l. c. n. 4. 5.

Haec doctrina de necessitate distinctionis definitionum ex cathedra ac proinde de necessitate et certitudine notarum distinguentium per se clara est, et communis inter theologos catholicos, saltem quando quaeritur quae notae *certo sufficiant,* quamvis aliqua inter eos sit diversitas in modo potius loquendi quam in re ipsa, quando declarant, quae notae *non sufficiant.* In hac re non sequimur modum Mauri Cappellari, ubi ipse notas definitionis assignat (l. c. n. 5.) internas et externas; puto tamen eas recte se habere, dummodo α) *fides* quam auctor. per definitionem ab universa Ecclesia exigi dicit, intelligatur etiam *mediate divina,* et β) iuxta hunc sensum quoque accipiatur, quod ibi dicitur de *anathemate* et damnatione *haereseos* contrariae, vel sufficienti indicio « che qualora il Papa ometta questa formola, ad onta di tale omissione intende e vuol definire da sommo gerarca e da giudice della fede; » dummodo γ) locutio *directa ad Ecclesiam* intelligatur non de externa accidentali forma documenti, sed de re ipsa quam Pontifex satis significet a se definiri ut tenendam ab universa Ecclesia.

(1) Schulte, Die Macht der römischen Päpste...... zur Würdigung ihrer Unfehlbarkeit. Prag 1871. p. 65-88. cf. Die Stellung der Concilien, Päpste and Bisohöfe etc. p. 314.

affirmamus, et quomodo ipse ad hoc periculum arcendum nobis commendat erga easdem declarationes dumtaxat *reverentiale silentium?* Gallicanismus in eo erat, quod definitionibus ex cathedra negarent *assensum fidei divinae* deberi, quoniam infallibilitatis subiectum non agnoscebant nisi solam universalem Ecclesiam vel dispersam vel repraesentatam in Conciliis oecumenicis, quae intelligebant seorsum a suo capite informante, Romano Pontifice. Quod si nonnulli Gallicani *excluso assensu fidei* admittebant *assensum religiosum* debitum definitionibus ex cathedra; eo vehementius documentis aliis quae definitiones non sunt, ac nominatim decretis Congregationum doctrinalibus negabant deberi *mentis obsequium*, non tamen excludebant *silentium reverentiale.* Videat ergo dissertator, quo recidant absurdae criminationes.

Quod denique spectat argumentum theologicum, a doctoribus efficacissime induci solitum, imo comprehensum iam in ipsa revelata doctrina, ad demonstrandam infallibilitatem Pontificis ex cathedra definientis, illud non ita habet, ut adversarius sibi fingit; sed est illud, quo superius p. 116. definitionum infallibilitatem ex testimoniis evangelicis demonstravimus. Suarez cum ceteris theologis argumentum hac ratione proponit. « Veritas catholica est, Pontificem *definientem ex cathedra* esse regulam fidei, quae errare non potest, *quando aliquid authentice proponit universae Ecclesiae tamquam de fide (immediate vel mediate) divina credendum...* Probari in primis potest ex testimoniis proxime citatis (Matth. XVI; Io. XXI.). Nam Christus dedit Petro et successoribus eius potestatem pascendi Ecclesiam maxime in doctrina... et singulari modo per potestatem iurisdictionis interpretandi seu proponendi *veritates credendas, et sub obligatione illas credendi* (fide nempe divina, ut iam dixerat, et ut verbum hoc in theologia per se semper intelligitur): ergo haec potestas habet necessario adiunctam infallibilitatem, et assistentiam Spiritus Sancti ut non erret. Consequentia probatur, *quia hoc necessarium est propter infallibilitatem Ecclesiae in credendo;* nam si Pontifex *docens illo modo,* eam posset decipere, etiam ipsa posset decipi, imo cogeretur ad errorem, quia *credere* teneretur. »

Atqui hoc argumentum facto discrimine inter definitiones ex cathedra, quibus debeatur assensus fidei immediate vel mediate divinae, et inter alias decisiones, quibus praestandus sit assensus religiosus (in sensu saepe explicato), non solum non labefactatur, sed imo ipsam distinctionem definitionum ab aliis etiam authenticis documentis Pontificum supponit, eique innititur. Hanc potestatem exigendi a tota Ecclesia assensum in veritatem *per actum fidei*, qui modus docendi est ac dicitur *definitio ex cathedra*, Neoprotestantium magister Fridericus Schulte intelligere noluit comprehensum in verbis evangelicis, ut ex eis per analysin facile deduci queat; ac propterea dixit, distinctionem *definitionum ex cathedra* ab aliis publicis Pontificum documentis non aliud esse, quam saeculi XVI « figmentum scholasticum » (Schulte l. c.).

Si argumentum theologicum constituitur in hoc principio: omnis actus auctoritatis, qui exigit non solum silentium reverentiale et obedientiam externam sed assensum internum (sine distinctione gradus et qualitatis), necessario infallibilis sit oportet; hoc certe a nobis reiicitur, sed negamus esse argumentum *theologicum* h. e. explicite aut implicite in revelatione contentum, vel quod ex revelatis veritatibus deduci queat, vel saltem in veterum theologorum consensu fundetur. Si istud principium admittatur, quomodo quaeso e. g. edictum Stephani I. « nihil innovetur, nisi quod traditum est, » illa plurima quae tam in actis Conciliorum quam in Constitutionibus Pontificum theologi definitiones stricte dictas esse inficiantur, et quibus tamen « sine intolerabili temeritate » (ut loquitur Maurus Cappellari) contradicere aut contrarium sentire fas non fuisse vel esse iidem theologi consentiunt, quomodo inquam huiusmodi omnia documenta adhuc distinguentur a definitionibus ex cathedra, et non prorsus iuxta Schultenam assertionem cum eis commiscebuntur? Huiusmodi vero « confusiones et perturbationes in Ecclesia » equidem cum eodem beatissimo auctore « Triumphi » maxime cavendas esse puto.

h) Si postremo quaeratur, quando et quomodo peccetur violatione istius *religiosi obsequii interni*, de quo egimus,

hanc disceptationem ad doctores theologiae moralis remittimus. Animadverto tamen, α) ratione *obiecti* et per se spectatis huiusmodi decretis, peccatum non esse sive immediate sive mediate *contra fidem;* β) ratione *subiecti* non peccari sine deliberata pervicacia; γ) generatim, an sit peccatum, an gravius vel levius, pendere ex adiunctis multiplicibus obiectivis et subiectivis, quae nobis singillatim enucleare nec animus est nec facultas. Cf. Suarez de Fide disp. XIX. sect. 6.

Corollarium 4. Auctoritas *universalis providentiae ecclesiasticae et doctrinalis* per se primo residet in solo pastore totius Ecclesiae et in nulla alia persona singulari. Attamen sicut singulis Episcopis dictum est, « pascite qui in vobis est gregem Dei, » ita eis sine dubio in gregibus sibi subditis competit etiam quoad pabula sanae doctrinae auctoritas *providentiae particularis,* in subordinatione et unione cum supremo et universali pastore, Romano Pontifice. Ex necessitate huius *subordinationis et unitatis in doctrina* fit, ut eorum authentia referatur dumtaxat ad praedicandam et tuendam doctrinam vel explicita definitione vel consensu Ecclesiae vel per decisiones *universalis providentiae* iam propositam, non vero ad controversas inter catholicos quaestiones ex sese decidendas. Propter eandem causam cum Episcopi auctoritas etiam quoad proprium suum obiectum suprema non sit, semper praesto est magisterium supremum s. Sedis, ubi contra doctrinam sive unius sive plurium Episcoporum merito suspicio oriretur. Cf. Antifebron. dissert. II. c. 12.

Imo *in foro interno* et in ordine ad directionem vitae spiritualis *auctoritas sacra* h. e. vi muneris sacri a Christo instituti, et non solum auctoritas scientifica competit *suo modo* etiam directoribus animarum, adeo ut fideles in rebus dubiis, quae conscientiam attingunt, possint et aliquando (ubi alia via tuta non patet) teneantur suum *iudicium practicum conformare auctoritati ministrorum Dei* (cf. s. Alphonsum l. I. n. 12. 13.). Nimirum totam Ecclesiam et singulas eius partes Iesus Christus caput disponit ac regit in vita interna et externa, sed non sine suis visibilibus vicariis per omnes ordines a supremis usque ad infimos, ita ut

principium auctoritatis et obedientiae spiritualis diversis gradibus, formis ac modis totum corpus ac omnia membra pervadat.

Universim consilium evangelicum obedientiae non modo voluntatis sed etiam intellectus luculentissime demonstrat, infallibilitatem praecipientis *non esse conditionem necessariam,* ut subiectio et obedientia intellectus *praestari queat* (1). Imo ex doctrina communi Sanctorum, quam multis Suarez (de Religione T. IV. tract. IX. l. IV. c. 15. cf. T. III. l. X. c. 8. n. 2.) et compendio s. Alphonsus (l. IV. n. 47.) describunt, « subditus dubitans an res praecepta sit licita nec ne, *tenetur dubium deponere,* et sic potest et *debet* obedire. » Docent enim ss. Bernardus, Bonaventura, Ignatius, bb. Humbertus Ord. Praedicat., Dionysius Carthusianus ceterique uno consensu: « quidquid vice Dei praecipit homo, *quod non sit tamen certum displicere Deo,* sic accipiendum est, quasi praecipiat Deus » (s. Bonavent. Specul. disciplin. P.I. c. 4.). At haec omnia prorsus falsa essent, nisi subditus teneretur in huiusmodi dubiis intellectum non quidem in opinione speculativa sed *in iudicio practico* de honestate suae actionis subiicere auctoritati, licet ea nec speculative nec practice sit *infallibilis.* Haec ergo Sanctorum doctrina,

(1) Haec sola obiter adnotavi in prima editione. Est porro ex ipsis verbis evidens, hic agi dumtaxat de principio generali, num infallibilitas auctoritatis sit conditio necessaria, ut obedientia intellectus, sane respondens diversa diverso gradui et naturae auctoritatis, *possit locum habere.* Candidatus vero Traiectensis ex consilio evangelico *obedientiae intellectus,* timens suarum opinionum libertati paulo crassius monstra depingit. Postquam p. 144. citavit illa mea verba de consilio evangelico obedientiae intellectus, quae auctoritati etiam non infallibili *praestari queat,* territus conqueritur: « si non solummodo teneor assensum mentis praestare auctoritati infallibili, sed et fallibili et reformabili Providentiae sic dictae.... singuli Episcopi in quorum dioecesibus commoror, hoc sibi iure vindicare possunt; imo cuique confessario licet non sit iudex opinionum, ut aiunt theologi, sed tantum dispositionum, mihi mutare meam sententiam iniungere licebit, quo fieri potest, ut quavis vice, qua mihi loci vel confessarii vel superioris mutatio contingat, forsitan et opinionis cuiusdam mutatio necesse sit. » Relegat ingeniosus doctor mea verba pacatiori iam animo, et videbit nihil sibi periculi esse pertimescendum sive ab Episcopis sive a confessariis.

quam s. Alphonsus appellat *communem et certam,* si vera sit, falsum est *non posse* aut *numquam debere* intellectum sese subiicere superiori auctoritati nisi infallibili.

Corollarium 5. Auctoritas infallibilitatis et supremum magisterium Pontificis definientis ex cathedra omnino nihil umquam pertinuit ad causam Galilaei Galilaei, et ad eiurationem opinionis ipsi iniunctam. Non solum enim nulla vel umbra definitionis Pontificiae ibi intercessit, sed in toto illo decreto Cardinalium s. Officii, et in formula eiurationis ne nomen quidem Pontificis umquam sive directe sive indirecte pronuntiatum reperitur. Legi possunt documenta descripta in Ioannis Bapt. Riccioli Almagesto Novo P. II. l. IX. sect. 4. c. 40. p. 496. sqq. Attamen in illo statu quaestionis et re nondum eliquata, cum systematis astronomici veritas minime adhuc probata nullum praeberet fundamentum loca Scripturae in alio quam in obvio sensu interpretandi, ipsique in physicis ac astronomicis pro ea aetate homines doctissimi ut Tycho Brahe, Alexander Tassonus, Christophorus Scheiner, Antonius Delphinus, Iustus Lipsius (vide Ricciolium l. c.p. 495.) Galilaei opinionem iudicarent contrariam Scripturis, pertinebat omnino ad *auctoritatem providentiae ecclesiasticae* cavere, ne quid detrimenti caperet interpretatio Scripturae per coniecturas et hypotheses plerisque tum temporis visas minime verosimiles (1). Non examen doctri-

(1) Haud diu post causam Galilaei iudicatam Honoratus Fabri S. I. in Basilica Vaticana Poenitentiarius cuidam Copernicani systematis fautori in haec verba rescripsit. « Ex vestris coryphaeis non semel quaesitum est, utrum haberent aliquam pro terrae motu demonstrationem? Numquam ausi sunt id asserere. Nil ergo obstat, quin loca illa in sensu litterali Ecclesia intelligat, et intelligenda esse declaret, *quamdiu nulla demonstratione contrarium evincitur; quae si forte aliquando a vobis excogitetur,* quod vix crediderim, *in hoc casu nullo modo dubitabit Ecclesia declarare, loca illa in sensu figurato et improprio intelligenda esse,* ut illud poetae: terraeque urbesque recedunt. » Rescriptum istud insertum est anno 1665. mense Iunio Actis Societatis regiae Anglicae (Euseb. Amort in Philosophia Pollingiana T. III. P. I. p. 2.). In eadem sententia tempore Galilaei erant Romae alii theologi et astronomi, ut P. Scheiner, P. Riccardi Magister Palatii Apostolici (Nellius in vita Galilaei T. II. p. 449). Ex litteris Marii Guiducci discipuli Galilaei datis 6. et 13. Sept. 1624. Nellius l. c. haec refert. « In questo fratempo ebbe egli

nae institutum est ad eius *definitionem* pro universa Ecclesia (1), de quo nemo cogitabat; sed habitus processus criminalis anno 1633, secundum quem pro illis adiunctis non potuit aliud iudicari, quam quod in finali iudicum sententia continetur. « Ne tuus iste gravis et perniciosus error ac transgressio (2) remaneat omnino impunitus, et tu in posterum cautior evadas et sis in exemplum aliis, ut abstineant ab huiusmodi delictis, decernimus ut per publicum edictum prohibeatur liber Dialogorum Galilaei Galilaei, te autem damnamus ad formalem carcerem huius s. Of-

(Galileo) notizia, che il Gesuita P. Orazio Grassi di lui antagonista (Professor astronomiae in hoc Collegio Romano) aveva detto, *che allor quando si fosse trovata una dimostrazione che provasse il moto della terra, converrebbe interpretare la Scrittura Sacra altrimenti, che non si è fatto, ne' luoghi dove si favella della stabilità della terra e moto dei cieli, et questo ex sententia Cardinalis Bellarmini.* » Haec doctrinae expositio digna ingenio et pietate Bellarmini ac Fabri egregie ostendit tum genuinum sensum tum aequitatem sacri tribunalis tum rationem, qua Galilaeus non solum potuit sed debuit sententiae sincere acquiescere, ut nihil opus sit cum D. Bouix et cum dissertatore Traiectensi arbitrari, « s. Inquisitionem potestatis suae limites excessisse, » atque commentitium illud *e pur si muove* maxime eo modo, quo sine certo auctore rumor percrebuit, non ad laudem sed ad dedecus viri sapientis confictum esse videatur.

(1) Celeberrimus Gassendus in Ecclesia Divionensi Praepositus et in Academia Parisiensi Mathematices Professor, Galilaeo amicissimus, ita scripsit. « In eo sum, ut placitum illud reverear, quo Cardinales aliquot approbasse terrae quietem dicuntur. Etenim licet Copernicani tueantur, loca Scripturae quae terrae statum sive quietem et soli motum tribuunt, explicanda esse de ipsa, ut loquuntur, apparentia deque accommodatione ad captum moremque loquendi vulgarem... nihilominus quod ea loca secus explicentur a viris, quorum, ut constat, tanta est in Ecclesia auctoritas, ea propter ipse ab illis sto, et hac occasione facere intellectum captivum non erubesco. Non quod propterea existimem articulum fidei esse; neque enim, quod sciam quidem, id assertum ab illis est, aut apud universam Ecclesiam promulgatum atque receptum: sed quod illorum iudicium habendum praeiudicium sit, quod non possit apud fideles non maximi esse momenti » De motu impresso a motore translato ep. 2. Opp. T. III. p. 471. ed. Florent. 1727.

(2) Galilaeus violaverat mandatum ei iniunctum anno 1616, cui promiserat se obtemperaturum, « ut in posterum non liceat ipsi dictam falsam opinionem defendere aut docere quovis modo, neque voce neque scriptis » (Vide Riccioli l. c. p. 498.).

ficii ad tempus arbitrio nostro limitandum, et titulo poenitentiae salutaris praecipimus, ut tribus annis futuris recites semel in hebdomada septem psalmos poenitentiales, reservantes nobis potestatem moderandi, mutandi, aut tollendi omnino vel ex parte supradictas poenas et poenitentias » (1). Vide Revue des sciences écclésiastiques 2ᵉ. serie T. III. p. 105. sqq.; 217. sqq.

SCHOLION II.

Postquam diximus de subiecto et obiecto authentici magisterii ad infallibilem custodiam, explicationem, et defensionem depositi adversus ingruentes errores, hic paucis declarabimus significationem *censurarum*, quibus propositiones veritati doctrinae repugnantes sive authentice a potestate ecclesiastica condemnari sive scientifice a doctoribus designari solent. In Concilio Constantiensi sess. VIII. et XV. ac in Bulla confirmationis Martini V. damnati sunt 45 articuli Ioannis Wicleff et 30 Ioannis Hus sub hisce censuris: articuli « notorie haeretici et a ss. Patribus reprobati, alii non catholici, sed erronei, alii scandalosi et blasphemi, quidam piarum aurium offensivi, nonnulli temerarii et seditiosi. » Censurae autem hae non singulae singulis propositionibus appositae sunt, sed adiectae toti elencho (ut aiunt) *in globo,* ita ut nulla esset propositio cui aliqua ex enumeratis notis non conveniret, et nulla posita esset nota, quae ad aliquam ex iis propositionibus non pertineret. Hanc formam summi Pontifices, ubi multae simul propositiones damnandae erant, deinceps plerumque servarunt, ita Leo X. in ipsa Bulla « Exsurge » contra Lutherum, Gregorius XIII. et Pius V. contra Baium, Innocentius XI. contra Michaëlem

(1) De mendaciis, quibus diu post rem gestam et Galilaei obitum fingi coeperunt terricula ac tormenta contra ipsum adhibita, non est hic dicendi locus. Sufficiet legisse ad eorum confutationem vel solam narrationem Vincentii Viviani, qui erat Galilaei discipulus ac familiaris amicus (in Opp. Galilaei ed. Ticini 1744. T. I. p. LXIV). Vide etiam Marino Marini, Galileo e l'Inquisizione. Roma 1850; La verité sur le procès de Galilée (Mélanges scientifiques etc. de M. Biot. Paris 1858. T. III. p. 1. sqq.).

Molinos pseudomysticum, Alexander VIII. contra 31 propositiones Iansenianorum, Innocentius XII. contra 23 propositiones ex libro Fenelonii (quarum tamen nulla damnata ut *haeretica*), Clemens XI. contra 101 propositiones Quesnelli (in Bulla «Unigenitus») etc. In Bulla dogmatica « Auctorem Fidei » ad praecidendas Iansenianorum fraudes Pius VI. doctrinae capitibus Pistoriensium apposuit singulis singulas censuras.

Quoad significationem diversarum notarum in primis considerandum est, quae dicantur propositiones *haereticae, erroneae, temerariae,* quia hae censurae frequentissime occurrunt, et iis determinatis aliae facilius intelliguntur.

a) *Haeretica* est propositio, quae *certo* opponitur (sive contrarie sive contradictorie) veritati, de cuius revelatione sufficienter in Ecclesia proposita *certo* constat. Duo ergo requiruntur et *revelatio* et *sufficiens in Ecclesia propositio,* ut doctrina opposita sit haeretica. Non enim sufficit ut veritas contineatur in obiectiva revelatione, quamdiu satis proposita non est; secus propositio in dubium revocans e. g. auctoritatem supremam aliquot librorum deuterocanonicorum semper etiam iam IV. saeculo, negans immaculatam Beatae Virginis conceptionem iam ante solemnem definitionem haeretica fuisse dici deberet. Qui modus loquendi, et quia odiosus est, consultius vitatur, et reipsa verus non est, quia haeresis includit notionem oppositionis contra professionem, de qua in Ecclesia certo constet. Quamvis si talis propositio contraria veritati revelatae sed nondum satis propositae, diceretur *materialiter non formaliter haeretica,* lis tota fere esset de modo loquendi. Non tamen requiritur ad hanc propositionis censuram, ut ipsi auctori de revelatione constet. Non enim hic agitur de peccato haereseos sed de propositione in se haeretica, ad cuius rationem bona fides auctoris nihil refert. Unde possunt damnari et saepe damnantur propositiones ut haereticae, quae non tum primum incipiunt esse sed iam ante erant tales, quin ideo auctor criminis haereseos necessario reus sit aut esse declaretur. Vice versa is, cui satis constat de revelatione veritatis licet nondum universaliter ita propositae,

ut omnes credere teneantur, potest negando committere peccatum contra fidem, quin propositio negationem enuntians sensu declarato sit in foro externo haeretica et censura *haereseos* afficienda (cf. tract. de Deo Prolegomen. n. III.).

Per se patet et ex superioribus constat, ad eos qui sunt authentici doctores et iudices in doctrina fidei pro universa Ecclesia, ad summum Pontificem et ad oecumenicum Concilium pertinere munus definiendi doctrinam in revelatione contentam, quae tamen hactenus non fuerit satis proposita. In tali definitione sane continetur sufficiens et omnium clarissima propositio fidei pro universa Ecclesia, et hoc ipso continetur vel (plerumque) explicite additur censura haereseos contra doctrinam oppositam, quae hactenus in sensu formali quem diximus, haeretica non fuerat.

De exposita ratione primae illius censurae inter omnes convenit, saltem ad rem ipsam quod spectat; nonnulla vero est sententiarum diversitas, ubi reliquarum censurarum non solum generica sed stricta et specifica notio declaranda est. Generice quaevis propositio falsa est *erronea*, atque adeo in re theologica de qua in censuris sermo est, omnis propositio repugnans veritati theologicae de qua satis constet, ac proinde in supremo gradu etiam haeresis continet *errorem;* et omnis propositio haeretica ac dicto sensu erronea est etiam saltem in se *temeraria.* At usu Pontificum et exinde usu theologorum utraque posterior censura ab haeresi, et propositio *temeraria* ab *erronea* distinguitur ut gradus inferior a gradu superiori. Unde ulterius tam *erronea* quam *temeraria* propositio est damnabilis et sub his notis damnatur, quatenus modo aliquo opponitur veritati theologicae, non tamen ita ut *certo* opponatur veritati, quae *certo* sit vel definiatur esse veritas fidei, sed gradu aliquo inferiori; et censura quidem *temerariae* propositionis est iterum inferior et minus gravis prae nota *erroris.* Iam in determinatione propriae specificae notionis, qua utraque censura ab aliis omnibus distinguatur, simul conferendo theologorum diversas theorias et maxime praxim, ut eas adhibent, et ut potissimum ab ipso summo Pontifice adhibitae sunt in Bulla « Auctorem fidei, » haec quae subiicimus, satis constant.

b) Propositio *erronea* est propositio repugnans doctrinae theologicae, quae vel definitur vel in Ecclesia universaliter docetur et retinetur ut certa et saltem intime nexa cum doctrina fidei, non tamen proponitur tamquam doctrina in se revelata et proinde *de fide*. Ratio itaque propria *erroris* desumitur ex ratione propria veritatis oppositae. Huius autem notae sunt altera *positiva*, videlicet certitudo ex universalitate consensus ut in propositionem theologice certam, et ex intimo saltem nexu cum doctrina fidei; altera *negativa*, quod doctrina non proponitur et praedicatur ut certo revelata ac *de fide*. Nota *positiva* inservit ad hanc censuram *erroris* distinguendam ab aliis inferioribus, ut postea constabit; nota *negativa* hanc distinguit a superiori, h. e. a censura propositionis *haereticae* (1). Ratio porro cur, licet universaliter teneatur ut certa, non tamen censeatur esse simpliciter *de fide*, potest esse duplex: vel quia non satis constet consensum esse non solum ut in propositionem ve-

(1) Diligenter animadvertendum est magnum discrimen inter authenticos indices de doctrina (Concilium seu Pontificem) et inter privatos doctores. Posteriores hi solum scientifice possunt determinare gradum censurae seu de eo opinionem edicere, et in hoc suo iudicio scientifico (nisi censura iam authentice fixa sit) habent pro norma eas notas, de quibus in textu loquimur. Ecclesia vel Pontifex, ut iudex authenticus, in examine quidem praemittendo definitioni (de quo alibi dicemus) habet etiam prae oculis illas notas; sed in ferendo iudicio est sub assistentia Spiritus Sancti, ita ut ab hac assistentia non vero ab examine praemisso, imo neque necessario a veritate fundamentorum, quibus forte movetur, pendeat ultimi iudicii et definitionis veritas ac infallibilitas. Unde authentice definiendo gradum censurae, hoc ipso definit, gradum certitudinis in doctrina opposita *saltem* illum esse, qui respondeat censurae definitae, quamvis e. g. in censura propositionis *erroneae* consensus ille manifestans errorem, de quo diximus in textu, vel nexus cum doctrina revelata hactenus nondum satis fuisset cognitus. Censura enim ipsa fertur ab Ecclesia ad manifestandum hunc nexum et gradum certitudinis. Dixi gradum certitudinis *saltem* definiri eum, qui respondeat censurae. Ubi enim non declaratur censura suprema *haereseos*, aliquando Ecclesiae satis est definire gradum, qui *saltem* sit certus ac tenendus, ut patet ex pluribus propositionibus Pistoriensium, quae damnantur velut « *ad minus erroneae*, » et ex declaratione Concilii Viennensis de infusione gratiae et virtutum in parvulis, si conferatur cum doctrina Conc. Tridentini sess. VI. c. 7.

ram, sed etiam ut in propositionem revelatam et fide credendam, atque ideo antequam de illa definitio Ecclesiae existat, theologi generatim fateantur non posse dici simpliciter *de fide;* vel quia est conclusio theologica deducta ex una quidem propositione revelata, ex altera vero solum aliunde vel theologice vel lumine rationis certa. Igitur censura propositionis *erroneae* comprehendit tum eam quae ita, ut dictum est, opponitur *conclusioni theologicae* certae, cuiusmodi praeter alias potest censeri e. g. XXII. damnata in Bulla « Auctorem fidei; » tum eam, quae opponitur doctrinae ex universali consensione et praedicatione indubitanter tenendae ut verae, quae tamen non simpliciter et certo tamquam *de fide* proponitur, ut esset exempli causa X. quae in eadem Bulla dicitur *ad minus erronea.* Doctrina ita, ut ultimo loco diximus, proposita plerumque est proxima fidei, et propositio ei opposita dicitur *proxima haeresi.* Unde apparet, omnem propositionem *proximam haeresi* esse etiam *erroneam,* non tamen omnem propositionem affectam censura *erroris* esse etiam *proximam haeresi;* latius enim patet censura *propositionis erroneae* quam *proximae haeresi.*

c) Nota *temeritatis,* ut diximus, est inferioris gradus, quam praecedens censura *erroris.* Propositio *in directo suo sensu temeraria,* debet repugnare alicui doctrinae theologicae non solum probabili sed communi ita, ut eam negare fas non sit. Quia est censura inferioris gradus quam *error,* propositio *temeraria* comparata cum *erronea* erit in minus directa oppositione contra veritatem, vel opposita veritati minus stricte nexae cum doctrina fidei. Quia hoc *plus* et *minus* morali aestimatione et theologica prudentia diiudicandum est, nihil mirum quod theologi, nisi forte Ecclesia ipsa definierit gradum, fere fluctuent inter duas has censuras, et propositiones easdem quas alii dicunt erroneas, alii appellent temerarias, atque etiam coniungere soleant utramque ita, ut dicant propositionem *esse erroneam vel saltem temerariam.* Erit itaque propositio *in suo sensu directo temeraria,* quae vel repugnat doctrinae theologicae universaliter et constanter apud pios et doctos receptae tamquam tenendae ex gravibus fundamentis auctoritatis et

analogiae fidei (quo e. g. pertinet XLI. Pistoriensium), vel aliquid affirmat contrarium approbatis in Ecclesia institutis ac consuetudini licet in se non revelatis (ut essent XXVII. XXXI. LIV. ibid.). Praeterea propositio potest esse *temeraria modaliter* eo, quod inique damnat doctrinam probabilem vel probabiliorem; sic *temeraria* declarata est propositio XXVI. Pistoriensium, qua explodunt doctrinam de « limbo puerorum » velut « *fabulam Pelagianam.* »

Quoniam una propositio potest pluribus modis veritati opponi, hinc potest et solet eadem una affici pluribus distinctis censuris. Si quando tamquam *temerariae* simul et *erroneae* sententiae damnantur (ut plures propositiones in citata Constitutione « Auctorem fidei » X. XLVII. LXIV. LXXVII. LXXVIII.), notandum est, quod supra monuimus de significatione magis generica *temeritatis,* qua utique propositio haeretica et erronea potest dici simul *temeraria.* Postremo per se patet, ubi de censuris theologicis agitur, non intelligi temeritatem solum subiectivam quae opponitur prudentiae et consilio, quo sensu temere dicitur, quidquid dicitur tumultuarie sine necessaria consideratione et perspecta ratione.

d) Longe facilius determinatur propria significatio aliarum censurarum, quae cum praedictis connectuntur, et sunt velut intermediae. *Haeresim sapiens* propositio dicitur, quae grave praebet fundamentum iudicandi, eam cohaerere cum principio haeretico, et profectam esse ex sententia haeretica auctoris; *suspecta de haeresi,* quae habet aliquid praeposterum ita, ut rationabilem pariat suspicionem implicitae haereseos. Facile patet, posse simul cum his duabus notis *saporis* et *suspicionis haereseos* coniungi strictiorem determinationem modi, quo sententia opponatur veritati; sic utraque Pistoriensis XXII. et XXVIII. dicitur: *suspecta de haeresi, eamque sapiens, et erronea.* Propositio *male sonans* est, quae licet significatione minus usitata verborum sensum aliquem admittat innocuum, in significatione tamen communi verborum continet aliquid contrarium sanae doctrinae, quin ex contextu et adiunctis temporis, personae et rerum ad sensum innocuum determinetur. Unde quisque videt, propo-

sitionem *male sonantem* facile posse simul esse subiectam aliis censuris (vide Pistoriens. XLIV. LXV.); et intelligitur praeterea, propositionem aliquam, quae aliquando nondum fixa terminorum significatione vel alia significatione verbis adhaerente, apud vetustos Patres erat innocua, nunc sine explicatione prolatam posse esse *male sonantem*, cuiusmodi foret e. g. propositio simpliciter nunc affirmans *in Deo tres substantias,* sicut olim b. Hieronymo « venenum sub melle latere » videbatur (ep. 15. n. 4. ad Damas.), si dicerentur simpliciter « sine suis interpretationibus » *tres divinae hypostases*. Propositio *piarum aurium offensiva* est, « quae repugnat communi fidelium existimationi, in quam ex pietate doctrinae sacrae conformi inducti sunt » (ita Kilber Tract. de Fide n. 228). Notae aliae: propositio *schismatica, in schisma inducens, seditiosa; blasphema, impia; scandalosa, perniciosa; iniuriosa, captiosa* etc. si qua explicatione indigent, legi possunt declaratae penes theologos. Vide Canum l. XII. c. 11; Suarez de Fide disp. XIX. sect. 2; Card. de Lugo de Fide disp. XX. sect. 3; Henr. Kilber (inter Theol. Wirceburgenses) de Fide (ad calcem) et alios.



SECTIO II.

DE CONSERVANDAE TRADITIONIS DOCUMENTIS ET INSTRUMENTIS.

CAPUT I.

DE MONUMENTIS TRADITIONIS UNIVERSIM SPECTATIS.

THESIS XIII.

De monumentis Traditionis quatenus exhibent consensum custodum depositi, et quatenus pro iisdem sunt instrumenta doctrinae.

« **Traditio hucusque secundum divinitus institutum et princeps suum » organon considerata, spectari porro potest, ut monumentis antiquita- » tis ecclesiasticae, potissimum documentis scriptis conservata est; haec » enim monumenta 1°. suppeditant certum argumentum divinae Traditio- » nis, seu potius exhibent Traditionem ipsam, quatenus ex illis consen- » sus custodum depositi in aliquod doctrinae caput tamquam pertinens » ad christianam fidem demonstratur; 2°. in comparatione autem cum » organo semper vivente, monumenta eadem sunt intime cum illo nexum » eique velut connaturale subsidium conservandae Traditionis, et instru- » menta doctrinae.** »

I. Monumenta universim appellamus opera antiquitatis, sive scripta sint sive res aliae, ex quibus in cognitionem ducimur idearum ac doctrinarum, morum, conditionis et totius historiae veterum sive hominum singularium, sive maxime integrae societatis. Monumenta igitur ecclesiastica dicimus hoc loco opera multiplicis speciei et ordinis ex antiquitate adhuc reliqua, ex quibus in cognitionem venimus sententiae, professionis et fidei, quae tum fuerit circa doctrinam et disciplinam christianam vel ex integro vel in singulis capitibus spectatam. Patet vero, primum locum in his monumentis tenere opera scripta; haec enim ceteris clarius, distinctius, explicatius ideas et sententias ac totum doctrinae ambitum referre possunt. Huc pertinent tabulae symbolorum et publicarum professionum fidei, conservatae vel singillatim vel in actis Conciliorum vel in scriptis Patrum; acta et definitiones Conciliorum; singulorum Patrum opera polemica et apologetica, dogmatica, catechetica et

AD TRACTATUM DE. TRADITIONE (Pag.165)

1



3




2



4



7




5



6



8



9



10



11



homiletica, exegetica, historica, ascetica; acta Martyrum et Confessorum; libri liturgici et Sacramentaria; libri poenitentiales, canones disciplinae, legum ecclesiasticarum et etiam civilium collectiones; historia ecclesiastica universim et historia haereseon; ex obliquo scripta etiam haereticorum et hostium christianae religionis.

Monumenta ecclesiastica alia supersunt sculpta, picta, architectonica in cryptis, sacrariis, sarcophagis, cathedris, scyphis, monilibus, supellectilibus diversissimis sacro vel profano usui Christianorum destinatis, in quibus saepissime etiam aliquid scripturae in epigraphis intervenit. Huiusmodi monumenta licet per se minus apta videantur ad distinctam notionem doctrinae ac professionis exhibendam quam libri scripti; aliquando tamen etiam vividiore luce velut percellunt animos, quia non solum litteris eo modo ut libri ideas menti exhibent, sed actus ipsos, vitam religiosam cultumque veterum Christianorum expressa artis repraesentatione oculis subiiciunt (1).

(1) Speciminis causa in tabula adnexa exhibemus aliquot monumenta christiana, quorum primum n. 1. est ex pictura saeculi II. vel III. ineuntis in coemeterio Callisti; alterum n. 2. 3. ex caelaturis in sarcophago Arelatensi saeculi IV; reliqua desumpta sunt ex fragmentis auro pictis vasorum crystallinorum saeculi III. et IV. ut habentur in Opere doctissimi P. Raphaelis Garrucci (Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri cristiani di Roma. Roma 1864.), apud quem amplior explicatio legi potest (tab. I. III. VII. IX. X.).

Figura 1. In tripode seu in altari, de quo edere non possunt qui tabernaculo deserviunt (Heb. XV. 10.), propositus est panis simul cum pisce, vir habitu philosophi graeci adstat manu extensa super dona proposita; pone conspicitur figura muliebris habitu orantis manibus ad coelum extensis. Ex adverso respondet depicta in pariete (sed hic omissa) imago alia, in qua cernitur sacrificium Abrahami praeparatum, ipse vero patriarcha extensis pariter ad coelum manibus. Habes sacrificium eucharisticum, in quo Christus ipse sub speciebus panis offertur, oculis exhibitum fere non minus clare et distincte quam ab Ignatio, Iustino, Irenaeo descriptum est, dummodo librum artis christianae ac eius symbola legere scias. Qui videtur panis, est *piscis* I. X. Θ. Υ. Σ. h. e. iuxta notissimam hieroglyphicam christianam Iesus Christus Dei Filius Salvator, ex litteris initialibus Ιησους Χριστος Θεου Υιος Σωτηρ. Nomine Ecclesiae ex gentibus collectae per ministerium sacerdotum fit sacrificium. (In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia ma-

Iam demonstratio theseos ex perspecta veritate antecedentium sponte consequitur. Distingui possunt in ipsa prima parte duae enuntiationes, una negans: monumenta

gnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus Mal. II. 11. « Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.... et assumam ex eis sacerdotes et levitas dicit Dominus » Is. LXVI. 20. 21.). Ne de sacrificio repraesentato dubites, adest sacrificium typicum Abrahami.

Figura 2. 3. Sacrificium idem eucharisticum eodem fere modo, sed repraesentatione duplici distincta exhibetur in sarcophago Arelatensi. Christus multiplicat quinque panes et duos pisces tamquam symbolum Eucharistiae (Io. VI.): symbolum sacrifici manifestum inde est, quod Dominus adstanti Apostolo ostendit panes et pisces arae impositos, idque ita ut simul innuat sacrificium pro peccato, quod repraesentatur per serpentem in arbore paradisi.

Sequuntur picturae in fragmentis crystallinis.

Figura 4. In parte superiori exhibetur Christus redivivus stans in monte; ex una parte adstat s. Petrus, cui Dominus tradit volumen explicatum in sinum pallii eius. In volumine adhuc leguntur syllabae INUS, quas cl. P. Garrucci supplet *Dominus legem dat,* ex sarcophago Arelatensi, ubi Christus sedens in medio Apostolorum librum legis tenet istis verbis inscriptum. Traditio autem libri legis signum est traditae potestatis regiminis et magisterii in regno Christi. Haec ipsa potestas significatur cruce super humerum Petri, tamquam sceptro regni Iesu Christi: « solus novus rex saeculorum Christus Iesus novae gloriae et potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum Davidis prophetiam (Ps. 95. 10. secundum LXX.) exinde regnaret » Tertull. adv. Iud. c. 11. « Principatus super humerum eius » Is. IX. 6.; « et dabo clavem domus David super humerum eius » ib. XXII.22. Huic nostrae picturae omnino geminum musivum opus exstat in Ecclesia Constantiae (Ciampini De sacris aedificiis a Const. M. constructis p. 131. tab. XXXII.), nisi quod ibi s. Petrus manu gerit virgam, non crucem super humerum; in volumine autem ei porrecto scriptum est *Dominus pacem dat.* P. Garrucci indicat has diversitates serius in aliqua operis instauratione inductas fuisse. Ceterum et *virga* est indicium potestatis, sive intelligatur *virga (sceptrum) virtutis* Ps. 109. 2, sive antitypus virgae Moysis. Quoad inscriptionem vero *pax* est ipsum insigne ac propria nota regni Christi Eph. II. 14. sqq. et locis aliis passim. Porro in nostra pictura ad alterum latus Christus mittit Paulum, ut portet nomen eius coram gentibus et regibus et filiis Israel. Ad marginem palma et in ea phoenix avis symbola sunt resurrectionis; Christus enim suscitatus a morte hic exhibetur. Ex monte promanant septem flumina, nempe profluens a Christo gratiae plenitudo (in qua continentur septem dona Spiritus Sancti Is. XI. 2. 3; septem sacramenta velut canales multiformis

ecclesiastica antiquitatis non praebent certum argumentum Traditionis divinae, nisi possit demonstrari consensus in doctrina, quam praeseferunt; altera affirmans: praebent

gratiae Dei). Sequitur pars inferior insignis huius monumenti. Agnus Christus in monte, ex quo scaturiunt tamquam ex fonte uno quatuor flumina doctrinae evangelicae. Ab utroque latere duae civitates IERUSALE et BECLE pro BETLE, ex quibus accurrunt sex agni sub Spiritu Sancto in linguis igneis ad Christum; fideles nempe ex Iudaeis (Ierusalem) et ex gentibus (in Bethlehem primum Christus manifestatus est Magis, qui erant primitiae gentium). Superne IORDANES est symbolum baptismi. Haec eadem omnia visuntur in opere musivo Ecclesiae ss. Cosmae et Damiani (Ciampini Vetera monumenta T. II. p. 60. tab. XVI.), et (excepto Iordane) in Ecclesia s. Marci (ibid. p. 122. tab. XXXVII.); nisi quod utrobique pro ampliori spatio agni, symbolum fidelium, sunt duodecim. In Basilica Liberiana duae item sunt civitates HIERUSALEM BETHLEEM; quinque agni penes unam, quinque penes alteram (ibid.T.I. p. 200. tab. XLIX.). In Ecclesia s. Sabinae sub effigie s. Petri est figura muliebris librum apertum manu tenens cum subiecta epigraphe ECCLESIA EX CIRCUMCISIONE; ex parte altera sub effigie s. Pauli respondet figura similis ECCLESIA EX GENTIBUS (ibid. p. 188. tab. XLVIII.). Litterae in margine nostri monumenti PIE Z sunt inscriptio saepe repetita in scyphis πιε ζησης (bibas vivas).

Figura 5. Christus virga percutiens petram in deserto. Christus ipse erat petra 1. Cor. X. 4; et Christus ex hac petra profundit aquam gratiae. Typo Moysi substituitur antitypus Christus significatus per illum.

Figura 6. Christus virgam virtutis vel antitypum virgae Moysis manu tenens convertit aquam in vinum. Verum cum Evangelista expresse nominet *hydrias sex* Io. II. 6, nihilominus sicut in hoc ita in aliis pluribus monumentis sunt *septem hydriae*. Nempe quod non tam historiam quam rem significatam, h. e. transubstantiationem eucharisticam oculis exhibere propositum erat (Tract. de Euchar. p. 216.); id numero mystico septenario indicatur.

Figura 7. Petrus dux et legislator populi novae Legis, substituitur Moysi duci et legislatori V. T. Immo locum occupat Christi tamquam eius Vicarius (cf. figuram 5.). De litteris saepe occurrentibus in vestimentis, ut hic vides litteram Ί, consule Ciampini Monumenta vetera T. I. c. 13.

Figura 8. Est desumpta imago ex fragmento vitreo in museo Borgiano Congr. de Propaganda Fide. Cl. P. Mozzoni qui eam acceperat a b. m. P. Marchi, inseruit monumentis saeculi II. Certe est antiquissima; et cum aliis monumentis similibus demonstrat cultum in antiquitate christiana erga Sanctos, nominatim per imagines, et cultum hyperduliae super sanctos ipsos Apostolos erga Virginem Matrem Dei. Beata Virgo habitu orantis pro nobis collocata visitur inter duos sanctos Apostolos Petrum et Paulum.

certum argumentum Traditionis divinae et exhibent Traditionem ipsam, ubi consensus successionis apostolicae demonstrari potest.

Profecto ad priorem negantem enuntiationem quod pertinet, ubi consensus vel antecedens vel synchronus vel consequens directe vel indirecte demonstrari non potest, huiusmodi monumenta solummodo exhibent privatam sententiam et intelligentiam singulorum, vel saltem aliud in iis exhiberi non constat. Privata autem sententia citra consensum spectata non est maioris auctoritatis, quam est vel auctoritas privata singulorum Patrum et doctorum, vel sunt argumenta quibus probatur. Poterit ergo esse sententia vera, poterit esse gravis, poterit esse probabilis; attamen vi huiusmodi privatae intelligentiae et testificationis non demonstratur pertinere ad Traditionem divinam, quia Patres singuli citra consensum successionis apostolicae aliquid docentes non testium Traditionis, sed doctorum privatorum munere funguntur (de quo inferius dicemus); et quia criterium deest assistentiae Spiritus Sancti et per hanc infallibilis intelligentiae, quod quidem criterium quando agitur de custodia Traditionis in Ecclesia et per Ecclesiam universalem, positum esse vidimus in ipso consensu (supra

Figura 9. Daniel occidens draconem (Dan. XIV. 26.) typus idololatriam occidentis Christi, qui tamqnam praefiguratus antitypus pone adstat virgam virtutis manu tenens, ut in plurimis aliis mònumentis.

Figura 10. Tobias exenterat piscem: « cordis eius... fumus extricat omne genus daemoniorum... et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur » Tob. VI. 4. sqq. Piscis symbolum Christi qui expellit daemonem, et illuminat oculos. Utrumque monumentum (9. 10.) pertinet ad ea plurima, quae ostendunt nullo discrimine eundem fuisse usum librorum deuterocanonicorum ac protocanonicorum tamquam Scripturarum sacrarum.

Figura 11. Piscis sub cucurbita significat Christum praefiguratum in historia Ionae prophetae Ion. II. 1; IV. 6; Matth. XII. 40. Ubi enim in vulgata versione legitur *hedera*, in Itala erat *cucurbita* (LXX. κολοκυνθη heb. קִיקָיוֹן). Numerus septenarius in planta symbolica fecunditatis quid significet, constat ex dictis ad figuram 4. Etiam in aliis monumentis, ubi Ionas humana figura repraesentatur dormiens sub planta, servatur numerus septenarius cucurbitarum (Op. cit. P. Garrucci tab. IV.).

th. VIII.) (1). Porro si sententia in monumentis relata non modo esset citra consensum sed etiam contra illum, patet non Traditionis divinae sed veteris erroris testimonium fore.

Non minus constat de veritate propositionis secundae, quae erat affirmans; ubi enim monumenta sententiam antiquitatis exhibent ita, ut ex iis consensus custodum fidei et successionis apostolicae in aliquod fidei dogma demonstretur, eo ipso exhibent doctrinam sub eo charactere, qui est criterium certum Traditionis divinae. Tum quippe illis monumentis velut praesentes sistuntur custodes fidei non ut privati doctores, sed ut consentientes testes Traditionis ex diversis aetatibus diversisque Ecclesiis, et eorum non privatae sententiae referuntur sed unanime testimonium Traditionis. Ergo sicut consentiente testificatione successionis apostolicae viventis, ita monumentis quae consentientem testificationem successionis apostolicae antiquiori aetate obtinentem referunt, divina Traditio demonstratur et exhibetur. Lege August. contr. Iulian. l. I. n. 30-34; l. II. n. 31-37; Op. imperfect. l. II. n. 37.

II. In altera parte theseos comparamus monumenta et documenta antiquitatis ecclesiasticae cum ipso perenniter vivente magisterio.

1°. Documenta illa universim spectata dicimus esse subsidium ad conservandam Traditionem *cum organo principe intime nexum eique velut connaturale*. Sicut apostolatus a Christo est institutus per se non ad scribendos libros, sed ad promulgandum evangelium regni auctoritate praedicationis, ad constituendas Ecclesias, ad fideles conservandos

(1) Si monumentum referret definitivam sententiam etiam unius, cui in docendo promissa est infallibilis assistentia Spiritus Sancti, neganda esset hypothesis non posse demonstrari consensum; haec enim assistentia promissa est omnibus et solis ex Christi mandato docentibus universam Ecclesiam, cuiusmodi persona singularis post Apostolos nulla est nisi Episcopus Ecclesiae universalis h. e. successor Petri; ubi autem universa Ecclesia authentice docetur, iam etiam de « praedicatione ecclesiastica » et de consensu constat, qui consequitur tamquam *effectus* (vide supra p. 114. sqq.).

in fide per ipsum vivens magisterium et ministerium authenticum; nihilo tamen secus aliqui ex Apostolis et discipulis Apostolorum inspirati erant a Spiritu Sancto ad praedicationem etiam scriptis documentis ex parte comprehendendam in subsidium praedicationis et viventis magisterii (th. IV.): ita successio apostolica ex se et directe a Christo instituta est ad doctrinam et disciplinam christianam vivente semper magisterio ac ministerio in perpetua successione conservandam et propagandam; at ex hoc ipso munere divinitus iniuncto velut connaturaliter sequitur pro rerum ac temporum conditione et necessitate plus minusve ampla doctrinae ac disciplinae christianae conscriptio et in monumentis consignatio. Cum enim Spiritus Sanctus non citra ministerium humanum, nec etiam per continuam immediatam revelationem nihil agentibus fidei custodibus afflatam depositum conservet; sed id praestet per assistentiam dirigentem et iuvantem et ab errore praeservantem; ideo opera etiam humana et elementum humanum sub hac Spiritus assistentia requiritur (th. IX.). Ad hanc autem humanam operam sub directione Spiritus Sancti positam pertinet etiam, atque ex ipsa natura societatis hominibus et pro hominibus constitutae secundum sapientiam et providentiam Dei consequitur, ut publicae fidei professiones, solemnia successionis apostolicae in Conciliis iudicia ac definitiones, vindiciae et declarationes doctrinae traditae adversus novitates exortas, catecheses et institutiones populi catholici, expositiones Scripturarum, liturgia, ritus administrationis sacramentorum, ad summam actus quique praecipui vitae ecclesiasticae etiam scriptis consignentur, haecque omnia documentis et monumentis expressa posteris tradantur. Non est quidem haec scriptio et consignatio ipsi muneri successionis apostolicae ex institutione Christi inhaerens, sicut inhaeret essentiale ei magisterium et ministerium personale; nihilominus magisterii non quidem in singulis sed generatim spectati aliqua functio, ex rerum et hominum natura moraliter necessaria adeoque suavi providentiae Dei consona, haec quoque est, ut integritati et perpetuitati do-

ctrinae et disciplinae etiam documentis et monumentis consulatur (1).

Porro ipsi actioni humanae magisterii semper viventis propter eandem rationem quia non revelationibus semper novis sed assistentia Spiritus Sancti regitur, necessaria saepe est inquisitio in fidem et professionem suorum antecessorum et antiquitatis christianae, ubi vel consensus praesens non est satis perspicuus, vel professionis praesentis connexio cum antiquitate adversus oppositos errores vindicanda, vel pro fidelibus ad luculentiorem confirmationem ac declarationem perennitas doctrinae et unitas fidei per omnes aetates demonstranda est. Haec autem ad sensum et consensum antiquitatis appellatio nisi ex monumentis et documentis, quae supersunt, *directe* institui non potest. Constat ergo, monumenta et documenta christianae professionis ac disciplinae tum origine tum morali necessitate ex ipsa natura cuiusvis societatis et nominatim societatis christianae esse cum magisterio perpetuae successionis apostolicae intime nexa, et societati christianae praesidia ad servandam Traditionis integritatem velut connaturalia. Cf. Bellarmin. De verbo Dei l. IV. c. 12.

2°. Licet haec ita sint, attamen si monumenta ecclesiastica *formaliter* spectentur, h. e. non loquendo de auctoribus quatenus eorum plerique Episcopi aut Pontifices, vel seorsim « per aetates temporum et locorum distantias dispensati » vel collecti in Conciliis ipsi constituebant pro sua aetate vivens magisterium; sed considerando monumenta in se quatenus sunt monumenta antiquitatis, ea censeri non possunt *organon princeps Traditionis ;* sed sunt ipsi organo principi subsidium et instrumentum doctrinae quantumvis modo declarato moraliter necessarium et connaturale.

Nam *a*) *ordine originis* successores Apostolorum perpetua serie sese excipientes sub assistentia Spiritus Sancti, et « sub charismate veritatis certo quod cum episcopatus

(1) Confer Euseb. de epistolis Ignatii supra p. 67; de documentis Patrum universim, quos Deus « paucos multis excellentiores per diversas aetates temporum locorumque distantias dispensare voluit, » vide p. 77. sq.; 86.

successione acceperunt » (th. VIII.), sunt ex demonstratis organon servandae Traditionis simpliciter ac immediate a Christo institutum; hoc autem alterum praesidium ad servandam Traditionem habet originem in praecipuis suis elementis ab ipso organo principe, non ex immediata Dei institutione, licet sit ex speciali Dei erga Ecclesiam suam providentia. Uno verbo dici potest: perpetuum semper vivens magisterium apostolicum est *ipsa rei substantia a Deo instituta* ad conservandam Traditionem, conservatio per monumenta est *aliquis modus* consequens ex re a Deo instituta.

b) Ideo *ordine necessitatis* alterum est ex institutione Dei simpliciter necessarium et essentiale, alterum ipsi datum est ad rite fungendum suo munere sub suavi Dei providentia et quodammodo *ad melius esse.*

c) *Ordine doctrinae* unum se habet ad alterum, ut instrumentum doctrinae inanime ad doctorem viventem, qui eo utitur eiusdemque est authenticus interpres. Sicut Scriptura sacra continet verbum Dei scriptum, atque ita constituit partem depositi seu obiectivae revelationis, cuius custodia, explicatio, et praedicatio divinitus concredita est semper viventi successioni apostolicae sub directione Spiritus Sancti, proindeque huius ipsius successionis est authentice declarare verum sensum Scripturae: simili fere modo monumenta omnia ecclesiastica, quatenus exhibent consensum vel definitivum iudicium successorum apostolicorum quovis tempore praeterito, continent verbum Dei ac proinde pertinent ad depositum custodiendum et explicandum a continua et vivente successione apostolica. Si quando ergo vel de existentia consensus ex iis monumentis demonstrandi, vel de vero sensu doctrinae in iis exhibitae dubitatio aut controversia oriatur, ipsa vivens successio apostolica est authentica interpres et iudex sensus et consensus.

Verbum Dei sive in Scriptura sacra sive in monumentis ecclesiasticis contentum sine dubio est regula ac norma credendi universae Ecclesiae; sed verbum Dei *explicandum* est norma velut in actu primo, verbum Dei *explicatum* est norma in actu secundo. Authentica vero explicatio pertinet

ita ad vivum semper magisterium custodum revelationis, ut singuli in intelligendo verbo Dei sive in Scripturis sive in ceteris monumentis contento semper ab auctoritate et praedicatione huius ipsius magisterii pendere et iuxta illius catholicum intellectum verbum Dei intelligere et credere debeant. Hoc ipsum est, quod dici solet: Scriptura et Traditio (obiectiva, comprehensa in monumentis et documentis) est *regula fidei remota;* Ecclesia (vivens Ecclesiae magisterium et praedicatio) est *regula fidei proxima.* Cf. Gregor. de Valentia de Fide disp. I. q. 1. punct. 7. §. 12. (1); Suarez de Fide disp. V. sect. 5; Stapleton. l. XII. c. 15-17.

THESIS XIV.

De demonstratione consensus directa vel indirecta ex documentis antiquitatis.

« Consensus testium de quo diximus, ex monumentis demonstrari » potest dupliciter: 1°. directis testimoniis, quae vel ex diversis aetati» bus et Ecclesiis deprompta communem et universalem professionem » ipso suo consensu immediate exhibeant, vel contineant solemne et au» thenticum de doctrina iudicium ad Ecclesiam universam; 2°. demon» strari potest illatione, quando paucorum etiam testimonia ex indole » testium, causae, et adiunctorum non nisi communem fidem referre in» telliguntur. »

I. In priori parte nostrae propositionis agimus de demonstratione *directa* consensus inter testes Traditionis ex

(1) Gregorius de Valentia hanc statuit thesim: « Nec praeterita aliqua Traditio sine praesenti aliqua auctoritate est iudex fidei. » Eam probat, quod sicut de Scriptura ita de Traditione in monumentis comprehensa potest controversia oriri, quae postulet iudicem et normam, qua fideles omnes certi reddantur, quid sit tenendum, quid respuendum; huiusmodi vero iudex et norma non potest esse nisi vivens semper magisterium. Controversia postulans iudicem excitari potest triplex, videlicet de auctoritate Traditionis alicuius, de vero eius sensu, de eius existentia. Quae habet de controversiis circa verum sensum notatu digna sunt. « Cum Traditio, inquit, scriptis fere doctorum orthodoxorum in Ecclesia conservetur, quaestiones ac dubia moveri possunt de sensu illius, sicut dubitatur saepe de sensu ac mente doctorum (quorum videlicet scripta leguntur). Eiusmodi vero quaestiones, cum erunt ortae post Traditionem (in monumentis comprehensam) quae semel tantum, ut ita dicam, locuta est, neque praeterea amplius loquitur, certe per eandem ipsam Traditionem definiri satis non poterunt » l. c.

monumentis depromenda, atque ita dupliciter de existentia Traditionis constare posse dicimus, conspiratione nimirum testimoniorum vel solemni iudicio.

1°. Si ex monumentis proferantur diserta testimonia omnium aetatum inde ab aevo apostolico vel certe ex eo tempore, quo primum doctrina de qua quaeritur, ab haereticis impugnari coepit, et propterea a doctoribus in unione ac consensione catholica perseverantibus tractari diligentius, et si testimonia haec pertineant ad diversas paeneque omnes provincias; hoc sane idem est ac si universa Ecclesia cum omnibus suis pastoribus et doctoribus, martyribus ac populo fideli in sua connexione cum Apostolis et per Apostolos cum praedicatione Christi ipsius, per saeculorum decursum homogeneo semper progressu coram sisteretur, testans suam fidem fideique intellectum (cf. August. contr. Iulian. l. II. n. 37; vide supra p. 86.). Atqui illustrior demonstratio consensionis custodum fidei nulla reperiri potest. Ergo de valore et evidentia huiusmodi demonstrationis constat.

2°. Solemne atque authenticum iudicium de aliqua doctrina tamquam revelata et apostolica iam per sese demonstrat verum id, quod enuntiat, quando illius est iudicis, qui auctoritate a Christo accepta docet universam Ecclesiam; sive iudex iam sit immediate successio apostolica in unitate et consensione ut in oecumenicis Conciliis, sive sit Pontifex per se, qui est unitatis et consensionis origo ac centrum (1) (cf. supra p. 114. sqq.). Huiusmodi ergo iudicium semper vel in se exhibet et authentice manifestat vel efficit consensum omnium in unitate catholica perseverantium, estque clarissima et solemnis expressio consensionis custodum fidei saltem eius aetatis, qua iudicium latum est, et omnium aetatum subsequentium. Ergo monumenta ex quibus tale iudicium innotescit, eo ipso exhibent consentientem doctrinam ac Traditionem in successions apostolica.

Praecellit hic modus demonstrandi consensionem prae

(1) « Una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione (causa efficiente et continente) fundata » Cyprian. ep. 70. ad Ian.; ep. 73. ad Iubai.

altero quem primo loco commemoravimus, quia facilior est, omnibus accommodatus et ad quodvis dubium de existentia consensionis excludendum aptior. Ideo saepe, ubi consensus testium « per aetates temporum et locorum distantias dispensatorum » est ambiguus vel in dubium vocatus, declaratio eius per authenticum iudicium redditur necessaria. « In ipsa vetustate, ut monet s. Vincentius Lirin. c. 38, unius sive paucissimorum temeritati *primum omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta praeponant* (matris Ecclesiae filii); *tunc deinde,* si id minus est, *sequantur, quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum.* »

II. Persaepe ea est Patrum, controversiae, adiunctorum, et causae totius conditio, ut ex paucorum etiam doctorum insignium testificatione consensus successionis apostolicae et communis doctrina facile intelligatur. Si de Patribus agatur licet paucis, qui in controversia aliqua adversus haereticos pro causa catholica veluti duces eminebant et pro ea, inspectante atque laudante universa Ecclesia, decertabant, ut Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Augustinus pro mysterio SS. Trinitatis contra Arianos et Semiarianos; Cyrillus Alex., Leo M., Agatho, Sophronius pro mysterio incarnati Verbi contra Nestorianos et Monophysitas horumque surculos; Augustinus, Fulgentius pro gratia Dei contra Pelagianos et eorum reliquias etc.; horum inquam Patrum doctrina quoad rem ipsam, quam contra haereticos nomine totius Ecclesiae defendebant (praescindendo etiam ab authenticis iudiciis, quae aliqui eorum tamquam universalis Ecclesiae pastores et doctores tulerunt), sine dubio est expressio communis fidei ac professionis totius Ecclesiae. Non tamen idem dici potest de omnibus quaestionibus, quas Patres occasione defensionis fidei communis ex sua privata sententia forte pertractarunt. « Profundiores difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere » Indic. auctoritatum Sedis Apostolicae in ep. 21. Coelestini Pontificis ad Epp. Galliae.

Generatim si Patres etiam pauciores quorum tum in vita tum post obitum magna erat in Ecclesia Dei auctoritas (cf. Aug. cont. Iul. l. I. n. 11. 29.), doceant aliquid ad fidem catholicam pertinere, vel testentur de doctrina publice recepta et a maioribus tradita, sive verbis disertis sive modo tractandi id prodant; si hoc testimonium ferant iis in adiunctis, ut doctores coaevos vel certe subsequentes non potuerit latere, et receptum sit nemine contradicente: huiusmodi testimonium etiam pauciorum ita comparatum est, ut spectata oeconomia, unitate et communione Ecclesiae (th. IX.) consensus custodum fidei ex eo legitime et certo inferatur. Ita s. Augustinus ex singulorum etiam Patrum asseverante modo loquendi, ex auctoritate, fama, meritis quibus in Ecclesia clarebant, infert, id quod tamquam fidem christianam proponunt, non posse esse nisi ex regula fidei et communi professione depromptum, quia secus neque ipsi ita docuissent, nec ita docentes ab Ecclesia tanta celebritate fuissent recepti. Hac ratione appellat ad Cyprianum: « vides quanta fiducia ex antiqua et indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur » (de Peccator. merit. et remiss. l. III. n. 11.); ad Gregorium Nazianzenum: « est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, neque illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent » (contr. Iul. I. n. 16.); ad Hilarium « tanta in Episcopis catholicis laude praeclarum, tanta notitia famaque conspicuum » (ib. n. 9.); ad Ambrosium, « cuius, inquit, pro fide catholica gratiam, constantiam, labores, pericula sive operibus sive sermonibus et ipse sum expertus, et mecum non dubitat orbis praedicare Romanus » (ib. n. 10.); negat Chrysostomum potuisse in communi dogmate aliud sentire quam universam Ecclesiam, quia secus non tanta gloria emineret: « absit, ut tu (Ioannes) aliud saperes, et in ea (Ecclesia) tam praecipuus emineres » (ib. n. 22.); hac denique ratione inferendo demonstrat orientalium Episcoporum consensum cum occidentalibus in dogmate peccati originalis: « quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est, quia fides ista christiana est » (ib. n. 14.).

CAPUT II.

DE SS. PATRUM ET DOCTORUM AUCTORITATE PRIVATA.

THESIS XV.

De auctoritate ss. Patrum, si singillatim spectentur.

« Singulorum Patrum auctoritas per se spectata non quidem infal-
» libilis est et peremptoria; persuadet tamen non modo pietas sed etiam
» manifesta ratio, ut et singulorum sententiae theologicae non parvi
» fiant, et non nisi cautissime in sensum accipiantur dissonum a com-
» muni aliorum Patrum in dogmate et in rebus theologicis doctrina. »

I. Quod continetur in prima parte enuntiationis, per se evidens est; neque enim hominibus certitudo ac securitas, quod numquam errent, et inde orta auctoritas irrefragabilis adesse potest ex quavis scientiae et sanctitatis praestantia; sed ex solo charismate Spiritus veritatis et indefectibili eius assistentia. Haec autem non singulis sive Episcopis sive sanctis doctoribus promissa est, sed ut pridem demonstravimus, iis solis, qui ex Christi institutione munus acceperunt authentice docendi universam Ecclesiam, et quatenus hoc munere funguntur; Petri inquam successoribus in quibus unitatis et consensionis origo est ac vinculum, et Episcopatui universo, si in unitate ac consensione inter se et cum suo centro spectatur. Duo itaque animadvertemus, primum ut tum in re ipsa tum in dictis et (si ita loqui fas est) in methodologia veterum quorundam doctorum probe distinguamus consensum Patrum, quatenus exhibet consensum ipsius infallibilis Ecclesiae, et auctoritatem deinde singulorum Patrum; secunda animadversio erit de conditionibus, quas ad ipsius consensus auctoritatem nonnulli theologi requirunt.

1°. Praeclare distinguit Augustinus Patres spectatos privatim singulos et spectatos in unitate ac consensione ut testes Traditionis. Citatis aliquot Patrum testimoniis dogma peccati originalis attestantium, quorum cum ceteris et cum universa Ecclesia consensum ex adiunctis et modo loquendi collegit (cf. th. XIV. n. II.), declarat discrimen in-

ter eorum privatam auctoritatem et inter Ecclesiae Traditionem, pro qua illi testantur. «Haec, inquit, *non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tamquam canonica auctoritate nitamur;* sed ut appareat, *ab initio usque ad praesens tempus* quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato *apud Ecclesiae fidem tanta constantia custoditum,* ut ab eis qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tamquam falsum refutari ab aliquo tentaretur» Augustin. de Peccator. merit. et remiss. l. III. n. 14.

Ipse igitur consensus Patrum in doctrinam fidei non ideo veram infallibiliter exhibet sententiam, quod singuli consentientium per se et subiective sint infallibiles; sed quamvis singuli possint errare, ex promissione Christi infallibiliter certum est, consensum omnium numquam posse esse in aliquem errorem contrarium fidei, numquam fuisse et vi promissae divinae providentiae nec esse potuisse, cum huiusmodi communis consensus contra fidem Ecclesiae traditam iam ipsius fidei ac Traditionis Ecclesiae corruptionem vel supponeret vel induceret.

De singulis itaque vel de pluribus etiam Patribus *extra consensum* spectatis dicta sunt et intelligi debent, quae Augustinus aliique aliquando affirmare videntur, non auctoritate sed ratione et probatione Patrum se moveri. Nam ubi adest consensus, non quidem auctoritas singulorum probat, sicut auctoritas singulorum scriptorum inspiratorum sola sufficit; sed in consensu ipso ratio et probatio continetur Traditionis tam historica et philosophica quam theologica (supra th. VIII–X.). Ita igitur intelligenda sunt illa Augustini: «alios praeter Scripturarum libros ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a veritate non abhorreant, persuadere potuerunt» Aug. ep. 82. n. 3. ad Hieronym. cf. contr. Faust. l. XI. c. 5; ep. 93. n. 35. ad Vincent. Eodem sensu in suis ipsius litteris postulat liberos correctores non sane doctrinae, quam tradit in consensu cum successione apostolica, sed privatarum senten-

tiarum. « In omnibus litteris meis, inquit, non solum pium lectorem sed etiam liberum correctorem desidero. . . sicut illi dico, noli meis litteris quasi Scripturis canonicis inservire. . . quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere; ita illi dico, noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere » de Trin. l. III. prooem. cf. de Dono persever. c. 21. n. 55. Hinc etiam intelligitur legitimus sensus verborum Tertulliani (Praescript. c. 3.), « personas probari ex fide, non fidem ex personis. » Sensus scilicet est is ipse, quem expressit Vincentius Lirinensis c. 23: « magna profecto res et ad recolendum necessaria... ut omnes vere catholici noverint se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus (singularibus) Ecclesiae fidem deserere debere. » Pariter intelligitur, quo sensu verum sit, quod ait s. Thomas 1. q. 1. a. 8. ad 2: « utitur (theologia) auctoritatibus doctorum Ecclesiae quasi arguendo ex propriis sed *probabiliter* » tantummodo, non conclusione *necessaria,* sicut arguitur ex auctoritatibus Scripturae sacrae. Postremo intelligitur, quam sit absurda et Augustini ipsius sententiae adversa Iansenianorum propositio (30ma inter damnatas ab Alexandro VIII. 7. Dec. 1690), quae ita habebat: « ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. »

2°. Locus hic, quo declaramus quandonam Patrum auctoritas irrefragabilis non sit, necessario adhuc postulat explicationem duplicis conditionis, sub qua eis auctoritatis ille supremus gradus negari solet.

a) Distinguunt quidam inter Patres, ut sunt *testes Traditionis* et ut sunt *doctores;* sub priori ratione omnes fatentur esse eorum auctoritatem ineluctabilem, sub ratione posteriori aiunt non esse tantam, ut piaculum sit debita cum reverentia ab eorum placitis discedere. Ut haec distinctio vera sit, fieri deberet inter Patres ut testes Traditionis doctoresque authenticos in unitate et consensu spectatos, atque inter eosdem si considerentur ut *doctores privati.* Iidem nempe qui sunt depositi custodes, sunt etiam divinitus in

stituti *doctores*, hocque duplex munus licet forte distingui non tamen potest separari, ut alio loco demonstrabimus. Sub eadem ergo conditione, sub qua Patres Traditionem infallibiliter custodiebant, etiam doctrinam revelatam assistente Spiritu Sancto explicabant et secundum legitimum sensum declarabant infallibiliter; quam conditionem saepe diximus esse consensum inter se et cum unitatis centro. Ubi ergo Patres pro munere doctorum *unanimes, constanter* et *asseveranter* declarant sensum dogmatis qui fuerat obscurus, explicant quod fuerat implicitum, definiunt strictius quod videbatur ambiguum; non minus is ab eis traditus et explicatus sensus revelationis credi debet verus et genuinus, quam dum pro munere custodum, quod iam clarum ac explicatum acceperant a maioribus suis, posteris tradiderunt. Si ergo dicuntur Patres, quatenus *doctores* sunt, « modum tradere quo doctrina Ecclesiae ab ipsis subiective concipiebatur, » et porro in hoc negotio eorum auctoritas negatur esse ineluctabilis, id intelligi non potest de modo concipiendi unanimi atque constante; hic enim unanimis conceptus doctrinae nihil est aliud, quam *intellectus catholicus* formatus et expolitus sub infallibili assistentia et directione Spiritus Sancti (th. XI. n. II.). Verum tamen est, singulos ut *doctores privatos* et citra consensum spectatos in modo concipiendi, in explicatione et illustratione doctrinae revelatae non esse infallibiles, de qua re satis dictum est. Ubi ergo de definienda auctoritate Patrum agitur, multo nobis aptior videtur simplex distinctio inter Patres in consensu et inter eosdem singillatim spectatos.

b) Alteram conditionem, sub qua Patrum auctoritas irrefragabilis esse negatur, adscribam verbis Melchioris Cani, estque ea apud ipsum bipartita. Primo quidem ait, « sanctorum testimonia referri posse ad philosophiae confirmanda dogmata. » De his ita statuit: « sanctorum auctoritas sive paucorum sive plurium, cum ad eas facultates affertur, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat sed tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuaserit. » His deinde addit alias quasdam doctrinas auctorum ecclesiasticorum, « quae, inquit, citra

iacturam pietatis ignorari non ab imperitis modo verum a doctis etiam possunt, quod nec fidei dogmata sunt neque ex illis derivantur. » Huc refert quaestiones quasdam de natura gratiae sanctificantis, de modo operandi sacramentorum, quaestionem utrum Ioannes Evangelista e vita nondum excesserit; immo (pro illa aetate, qua Canus scripsit) etiam doctrinam de immaculata conceptione Beatae Virginis. De huius generis quaestionibus statuit hoc principium: « omnium etiam sanctorum auctoritas in eo genere quaestionum, quas ad fidem diximus minime pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit » Canus de Locis l. VII. c. 2. n. 2. 3; c. 3. n. 1. 9.

Equidem ultro concedo, in quaestionibus mere philosophicis non auctoritatem Patrum per se valere, sed rationes, quibus quod affirmant, probari possit, esse spectandas; dummodo tamen prae oculis habeatur, quod diximus (p. 125. sq.) et adhuc alibi dicemus, quaestiones per se philosophicas propter intimum nexum cum veritatibus revelatis, posse esse et frequenter esse, *secundum quid* vere theologicas. At in quaestionibus ad religionem et ad propriam rationem ac intelligentiam dogmatum pertinentibus, quas Canus secundo loco commemoravit, numquam dicerem nec sine petitione principii dici potest, quod ipse ait: « omnium sanctorum auctoritas in eo genere quaestionum, quas ad fidem minime pertinere diximus, certam fidem non facit. » Si iam in antecessum verum esse constaret, quod assumitur, has quaestiones ad fidem non pertinere, fateor consensum omnium Patrum non effecturum, ut ad fidem pertinerent; sed hoc ipsum est quod quaeritur, utrum ad fidem non pertineant. Si autem Patres unanimes constanter et asseveranter atque ita in iis consentiant, ut vel diserte vel modo tractandi prodant eas haberi tamquam veritates fidei in praedicatione ecclesiastica et in intellectu catholico comprehensas, profecto ipse eorum consensus probat ineluctabili auctoritate, eas quaestiones ad fidem pertinere, et in eo quod ita unanimes docent, certam fidem faciunt. Petitionem principii evidenter ostendit exemplum, quo Canus suam assertionem illustrare voluit. Continuo post illa ver-

ba « omnium sanctorum auctoritas... certam fidem non facit » (l. VII. c. 3. concl. 4. n. 9.), subiicit exemplum doctrinae de immaculata conceptione Beatae Virginis, « quae controversia, ut putabat, non sit ex illarum numero, quae catholicam fidem aut promovere aut immovere possint. » Poterat vir doctus eo tempore nondum eliquata veritate existimare, hanc quaestionem non pertinere ad fidem, quia nullum putaret esse sufficientem consensum Patrum et nullam testificationem Scripturae in alterutram partem; sed profecto non poterat dicere, hanc quaestionem esse ex iis, « in quibus omnium sanctorum auctoritas certam fidem non facit, quia est quaestio ad fidem non pertinens. » Si enim auctoritas omnium sanctorum affirmationem ratam et firmam habeat, ipse consensus id pro quo testantur, demonstrat pertinere ad fidem; sicut revera semper continebatur in obiectiva revelatione catholica, et nunc pertinet ad fidem etiam omnibus ab Ecclesia propositam.

Quoad hoc alterum igitur ita sentimus. Cum quaeritur, quae sit omnium consentientium Patrum auctoritas in re theologica, non simpliciter et primo loco distinctio velut *a priori* repetenda est ex praesumpto discrimine inter res quae ad fidem pertineant, et quae non pertineant; sed multo tutius distinguitur inter modos diversos, quibus doctrina a Patribus proponitur. Si consentiant ita, ut manifesto habeant doctrinam tamquam pertinentem ad communem Ecclesiae fidem, consensus ipse Traditionem divinam demonstrat, ut contra talem unanimem doctrinam sentire omnino nefas, et per se quidem haereticum sit. Si consensus existat in doctrinam vel doctrinae explicationem tamquam religiosam seu theologicam et veram, quin tamen satis appareat, utrum eam proponant tamquam doctrinam fidei, vel si consensus ipse non sit adeo manifestus; contra huiusmodi communem doctrinam repugnare erroris vel temeritatis nota plerumque non carebit. Immo licet non negem, posse plerumque ex ipsa rei indole discerni, utrum quaestio mere philosophica aut theologica sit, hoc tamen ipsum saepe tutius colliges ex ipso modo docendi Patrum. Neque enim res, quae *tantummodo* philosophicae sunt, reperies a ss. Patribus com-

muni aliquo consensu tractatas et assertas tamquam ad religionem pietatemque christianam pertinentes.

II. Pars altera theseos ubi singulorum etiam Patrum auctoritatem venerandam esse dicimus, constat ex eorum saltem plerorumque munere pastorum, ex singulari fidei, unitatis veritatisque studio, ex scientia et eruditione in doctrina et disciplina christiana, ex sanctitate eximia, qua peculiaribus Dei illustrationibus se aptiores reddiderunt et christianam doctrinam non solum verbo et scriptis sed vita ipsa expresserunt, ex vetustate qua ad initia rei christianae propius accedunt et tempore cum ipsis Apostolis propinquius cohaerent, ex veneratione praecipua qua in Ecclesia Dei tum viventes tum post obitum semper habiti sunt tamquam singulari Dei erga suam Ecclesiam providentia electi et charismatibus doctrinae et sanctitatis abundantius instructi ad explicationem, illustrationem et defensionem fidei christianae. Huc transferenda sunt quae diximus th. IX. n. II; th. XIV. n. II.

Omnes istae notae, quae sunt ratio auctoritatis singulorum in rebus ad doctrinam christianam pertinentibus, comprehenduntur nomine *Patris Ecclesiae*. Quatuor enim postulantur, ut scriptor ecclesiasticus proprio sensu in numero Patrum Ecclesiae computetur. *a*) Requiritur, ut eius scripta magni sint momenti ad tuendam et illustrandam doctrinam ac Traditionem apostolicam, quod aliquando non tam amplitudine et eruditione quam simplici orthodoxa doctrina et vetustate obtineri potest, ut e. g. accidit in scriptis nonnullorum Patrum apostolicorum et apologetarum. *b*) Praeter doctrinam postulatur non modo ad finem usque communio cum Ecclesia catholica, sed etiam vitae sanctimonia; in hac enim includitur peculiaris cum Deo omnis sapientiae fonte coniunctio, inde profundior et limatior fidei et disciplinae christianae intelligentia, ardens Ecclesiae atque unitatis et sinceritatis doctrinae amor. Licet vero haec sanctitas singulos non reddat infallibiles, tribuit eis tamen etiam seorsim spectatis auctoritatem in docendo, quanta aliis etiam antiquissimis scriptoribus ecclesiasticis per se spectatis non competit, qui ut testes hi-

storici quatenus cum aliis consentiant, egregie adhiberi possunt, minus autem ut doctores sua propria auctoritate valent; cuiusmodi sunt Tatianus, Tertullianus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Rufinus aliique. *c*) Characteres isti doctrinae ac sanctitatis connectantur oportet cum *antiquitate*. Veteres Episcopi et doctores appellabant hoc nomine ***Patrum*** omnes suos antecessores fidei integritate, doctrina et sanctitate insignes, per quos ipsi fidem et doctrinam christianam acceperant. Ex pluribus autem iam saeculis usus invaluit quoad hanc appellationem distinguendi duplicem aetatem Ecclesiae. Prior aetas Christo et Apostolis propinquior computatur per illud tempus, quo doctrinae et disciplinae christianae explicatio, illustratio et adversus ingruentes haereses defensio in plerisque praecipuis capitibus absoluta est. Sancti theologi maximam partem Episcopi, quorum opera, studiis, ac scriptis id effectum, et Ecclesiae doctrina in omnem posteritatem illustrata est, atque adeo quorum documentis illustratam et defensam doctrinam subsequentes aetates acceperunt; qui igitur ex ipsa propinquiore connexione cum Apostolis, ex doctrina et sanctitate apud sequentes Episcopos et doctores tamquam Patres apud filios peculiari in auctoritate et veneratione erant, ita ut posteriores ab eis tamquam filii a patribus novas defensiones et declarationes forte necessarias derivarent, aut certe confirmationem doctrinae repeterent: isti inquam sancti theologi et Episcopi vetusti appellantur ***Patres Ecclesiae,*** et illud tempus dicitur ***aetas Patrum***. At licet catholica revelatio obiectiva post Apostolos non amplius incrementum accipiat, explicatio tamen, illustratio et defensio numquam simpliciter et absolute terminata dici potest; inde fit, ut ***aetas Patrum*** et proinde series Patrum non ab omnibus uno modo et eodem termino finita assumatur. Usu satis communi s. Bernardus (defunctus 1153) postremus inter Patres censeri solet. *d*) His accedit Ecclesiae approbatio, quae ubi adsunt tria antecedentia, numquam deest et in illis iam includitur; neque enim solemne decretum est necessarium, sed sufficit practicus, si ita loqui fas est, consensus (1).

(1) Paulo alia est ratio *Doctoris Ecclesiae* quam *Patris Ecclesiae*.

III. Ubi de conciliandis inter se Patribus agitur, tripliciter potest sese offerre difficultas. Vel enim obiicitur, universalem consensum affirmantem unius aetatis opponi universali consensui neganti alterius aetatis; vel aliqui ex Patribus videntur contrarii communi ceterorum doctrinae; vel cum uno tempore consensus non appareat sed diversi videantur diversa sentire, tempore subsequenti omnes conveniunt in unam ratam et firmam sententiam.

1°. Oppositio inter *consensum* unius et alterius aetatis in rebus fidei numquam potest esse vera, sed apparens tantum. Constat id ex principiis demonstratis th. VIII-X; quia videlicet cum consensu rato et firmo in proponenda et explicanda doctrina fidei semper est coniunctum ex promissione Christi charisma veritatis; veritas autem manet una et eadem in aeternum. Ostendi igitur semper poterit, vel oppositionem esse non in re ipsa sed in modo loquendi; vel suppositum consensum aetatis antecedentis non esse realem, et non esse ratam ac firmam sententiam communem multoque minus professionem fidei, sed opinionem privatam plus minusve late patentem inter aliquot Patres. Si quando vero ex solis praesidiis historicis et hermeneuticis alterutrum demonstrari liquido non posset, ex principio tamen theologico aliunde certissimo indubitatum maneret, non realem sed apparentem esse contradictionem. Principium theologicum revocatur ad illud, quod Leontius opposuit haereticis monophysitis Patrum inter se dissensum fingentibus: « quia

Praerogativa *Doctoris Ecclesiae* non includit *antiquitatem;* sed supponit excellentiam et amplitudinem doctrinae magis quam appellatio *Patris Ecclesiae.* Ex hac diversitate patet, quomodo sancti nonnulli qui nequaquam computantur inter Patres, vel vicissim qui sine controversia semper inter Patres numerabantur, aliquando solemni decreto a s. Sede declarentur *Doctores Ecclesiae.* Tales declarati sunt s. Thomas a s. Pio V; s. Bonaventura a Xysto V; s. Petrus Damiani a Leone XII; s. Bernardus a Pio VIII; s. Hilarius Pictaviensis (rogante Concilio Burdigalensi), et s. Alphonsus Ligorius a Pio IX. Notum est praeterea, distingui solere secundum numerum Evangelistarum quatuor *magnos Doctores Ecclesiae* inter ceteros eminentes, qui sunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M. in Ecclesia occidentali; Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus in Ecclesia orientali.

Patres (in consensu spectati) charisma doctrinae acceperunt, nec ipsi erant qui loquebantur (suis studiis humanis unice relicti); sed Spiritus Sanctus loquebatur per ipsos » (Gallandi T. XII. p. 669. 682.). Vide supra p. 74. sq.

Ariani aut Arianorum fautores saeculo IV. contendebant, consubstantialitatem vel certe vocem *consubstantialitatis* Filii cum Patre definitam in Concilio Nicaeno antea damnatam fuisse a Concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatenum, atque adeo repugnare consensui praecedenti. Contra eos s. Athanasius imprimis statuit ipsum principium theologicum. « Non decet illos cum his committere, *omnes enim Patres sunt;* neque sanctum esset definire hos probe, illos male loquutos; *omnes quippe in Christo obdormierunt...* Neutros fas est culpare, *omnes quippe res Christi curabant, omnes studia sua convertebant adversus haereticos*» Athanas. de Synodis n. 43. 45. Generatim monet n. 13. 14, si semel Patres consentientes erroris accusentur, omnem docendi auctoritatem atque ita totam fidei oeconomiam subversum iri. Tum vero, quantum non data facultate inspiciendi litteras Patrum Antiochenorum ipsi videbatur (1), explicat

(1) De damnatione vocis ὁμοουσιος a PP. Antiochenis decreta contra Paulum Samosatenum primum mentio occurrit in litteris, quas Semiariani ex Concilio Ancyrano 358. scripserunt ad Episcopos Sirmii congregatos. Ex his litteris narrationem accepit Hilarius (de Synodis n. 81. 86.); Athanasius quoque eandem narrationem accepit ab adversariis, nec ipse viderat acta Antiochena, ut testatur n. 43. et 47; Basilius qui ep. 52. n. 2. T. III. p. 145. obiter eiusdem rei mentionem facit, poterat accepisse ex iisdem documentis vel ab hisce Patribus. Est igitur satis probabile, quod contendit Maranus Div. D. N. I. C. l. IV. c. 29. n. 2. et Simon de Magistris in prolegomenis ad Opp. Dionysii Alexand. n. 18. sqq., totam historiam damnationis του ὁμοουσιου contra Paulum Samosatenum esse fabulam a Semiarianis confictam; quamvis non modo Frohschammer, sed etiam illustrissimus Hefelé (Hist. Conc. T. I. p. 115.) huic doctorum virorum sententiae repugnet.

In explicatione sensus, quo supposita historiae veritate vox damnata sit, tres illi Patres non omnino consentiunt. Iuxta Athanasium ista fuerit argumentatio Samosateni: si Christus est verus Filius Dei, est Patri consubstantialis; consubstantialia autem dicuntur, quae ortum habent ex una substantia per partitionem eiusdem; hoc cum in Deo sit absurdum, Christus non potest esse verus Dei Filius. Patres ergo Antiocheni

n. 45, qua ratione Patres utriusque Concilii pro diverso scopo diversa non tamen contradictoria docuisse dicendi sint. Ita pariter confutati sunt a doctoribus catholicis ii omnes tum veteres tum recentiores, qui aliam doctrinam de SS. Trinitate apud Patres universim spectatos ante Concilium Nicaenum et aliam apud Patres subsequentes viguisse contendebant. Ex ipso videlicet principio theologico certum est, contradictionem non posse esse nisi apparentem. Praesidiis deinde hermeneuticis et historicis rite adhibitis hoc ipsum demonstratur, modum scilicet loquendi et argumentandi fuisse diversum, rem autem doctrinamque ipsam eandem, licet non ab omnibus eadem claritate et distinctione expositam. Cf. tract. de Trin. th. X. XI.

2°. Hypothesis de qua hucusque diximus, realis oppositionis inter consensum unius et alterius aetatis per ipsum charisma promissum indeficientis veritatis in magisterio authentico excluditur, nec umquam potest esse nisi oppositio apparens; sed possunt esse reales duae aliae hypotheses, ut nullus revera sit Patrum consensus circa aliquod caput doctrinae, vel pauci reperiantur contrarii communi consensui ceterorum. Verum in his prudenter et caute procedendum est, ne temere dissensus confingantur, ubi in re ipsa fortasse plenus est consensus.

a) Si Patres diversi videantur diversa sentire, nihil aliud in interpretando est reliquum, quam ut sensus singulorum ex textu et contextu ac reliquis adiunctis determinetur, et si vere diversa est diversorum Patrum sententia, concludatur, ex Patrum dissentientium auctoritate non posse constare de veritate huiusmodi doctrinae. Verum inde

intelligendi essent hoc sensu negasse Filium Patri consubstantialem. Eodem fere modo condemnationem illam explicat Basilius, nisi quod omissa argumentatione Samosateni simpliciter Patribus Concilii tribuit opinionem, qua censuerint hunc sensum divisionis substantiae subesse vocabulo *consubstantialis*. Episcopi Ancyrani contra apud Hilarium l. c. n. 81. asserunt, haereticum ipsum usurpasse hanc vocem, ut unam tantum personam Patris et Filii, seu ut « Patrem et Filium solitarium » significaret, et in hoc sensu Sabelliano vocem fuisse damnatam a Concilio; idque ipse Hilarius n. 86. sine contentione admittit. Cf. tract. de Trin. Scholion 1. ad thesim XI.

nondum esset consequens, de doctrinae veritate aliunde constare non posse. Fieri enim potest, ut post dissensum inter doctores deinceps subsecutus sit eliquata quaestione plenus in Ecclesia Dei consensus; de quo explicationis profectu inferius dicemus.

b) Si pauci aliqui Patres videantur contradicere constanti et sua iam aetate communi doctrinae, tum sane characteres commemorati hac thesi n. II. quibus singuli ss. Patres erant insignes, et principia quibus in christianae doctrinae explicatione semper nitebantur, ac maxime auctoritas in qua ab universa Ecclesia semper habiti sunt (th.IX. et th. XIV.), omnino postulant, ut Patrum dicta ambigua, etiamsi significationes verborum minus propriae et insolentiores supponi deberent, in sensu explicentur consono communi aliorum doctrinae. Indoles enim, tota ratio sentiendi, et principia auctoris aliunde certo cognita haberi debent ut norma praecipua interpretationis saltem sensu *negativo,* ut scilicet verbis non tribuatur sensus illi cognitae auctoris indoli repugnans. Nihil autem cognitis ss. Patrum principiis et indoli magis potest esse repugnans, quam doctrina a communi consensu aliena.

Hanc ipsam regulam tradit non solum Facundus Hermianensis, licet ipse in eius applicatione ad Theodorum Mopsuestenum erraverit (vid.Petavium Prolegom.c. 2. n. 8.); sed diu ante ipsum s. Ambrosius. « Verbum si offenderit, inquit (ep. 48. n. 4. ad Sabin. 3[a].), virtutem professionis interrogato... etiam sermonem dubium mens non dubia obumbrat et defendit a lapsu. » Exemplum ex innumeris unum potest esse explicatio verborum Hilarii data ab Augustino. « Quidam cum vellet brevissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria; *aeternitas,* inquit, *in Patre ,* species in Imagine, usus in Munere. Et quia *non mediocris auctoritatis* in tractatione Scripturarum et assertione fidei vir exstitit; Hilarius enim hoc in libris suis posuit: horum verborum... *abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo, non eum secutum arbitror in aeternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem* (principium) *de quo sit* » Aug. Trin. VI. c. 10. n. 11. Ita locutiones quasdam difficiles

Dionysii Alexandrini de Filio Dei in sanum sensum explicatas vide apud Athanasium l. de sentent. Dionysii, et l. de Synodis n. 47; locutiones similes Gregorii Thaumaturgi declaratas apud Basilium ep. 210. al. 64. n. 5; Chrysostomi modum loquendi de innocentia infantium baptizandorum explicatum, et simul fraudem Iuliani Pelagiani detectam apud Augustinum contr. Iul. l. I. n. 22. Multae aliae quorundam Patrum locutiones conciliandae veniunt, de quibus in paene omnibus theologiae tractatibus agitur, ut cum dicunt: Verbum insitum in Patre factum esse prolatitium in mundi creatione vel in incarnatione; Patrem solum esse natura invisibilem; Filium Patri ministrare; Spiritum Sanctum non ex Filio procedere, procedere tamen per Filium et esse Filii Spiritum; unam esse naturam trium personarum, sicut una est plurium hominum natura; personas in Deo discerni mentis tantum consideratione (ἐπινοίᾳ). (De his singulis actum est in tract. de Trin.). Ita pariter aiunt, consideratione tantum discerni duas naturas in Christo; unam esse naturam Verbi incarnatam; in Christo virtutem corporis vim poenae sine sensu poenae excepisse; naturam carnis in Christo esse absorptam a divinitate, post resurrectionem transiisse in divinitatem (tract. de Incarnat.). Porro: in operibus bonis nos incipere, gratiam subsequi; necesse esse ut secundum id operemur, quod magis delectat; gratiâ agi hominem invincibiliter et insuperabiliter (vel inseparabiliter). Ulterius: verbum accedens ad elementum mundare non quia dicitur, sed quia creditur; soli Deo necesse esse confiteri peccata; infantibus necessariam esse communionem Eucharistiae, ut ingrediantur vitam aeternam; in Eucharistia manere naturam panis; eam esse signum corporis Christi; Episcopos magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores. Tum: peccatores non esse de Ecclesia; quando Christus promisit aedificationem Ecclesiae in petra, promisisse aedificationem in se ipso. Huiusmodi propositiones omnes prolatae ab haereticis damnatae vel damnandae sunt, apud Patres tamen in sanum et catholicum sensum explicantur ex contextibus, et ex eorum doctrina alibi clariori.

Hinc patet, quam absurdi sint Ianseniani, cum Baii et Quesnelli propositiones ab errore immunes esse defendunt eo, quod earum quaedam paene verbis s. Augustini conceptae sint. Patet etiam, quantopere deceptus sit historicus ille, qui hoc tempore (1) ex simili prorsus ratione ausus est defendere, s. Augustinum esse « parentem Iansenismi. » Par cum Ianseniana est causa omnium fere haereticorum, Arianorum, Monophysitarum, Pelagianorum, Socinianorum, qui in suis erroribus tuendis ad obscuriora quaedam dicta ss. Patrum appellare solebant.

Quamvis haec ita sint, non est tamen negandum, potuisse fieri et revera factum esse, ut in aliquo doctrinae capite ss. Patres nonnulli a veritate aberraverint. Ratio vero et conditio, sub qua intra fines Ecclesiae diversitas sententiarum locum habere potest, et sub qua ergo etiam aliquando dissensus aliquis ss. Patrum invalere potuit, *generatim* est obscuritas quaestionis ex defectu solemnis iudicii antecedentis. *Speciatim* sententiarum diversitas oriri consuevit ex modo quo caput doctrinae adhuc implicite in alio, nondum clare et explicite in se erat propositum; vel ex modo, quo dogma magis in praxi et consuetudine, quam in distincta et « instanti praedicatione » continebatur. Ex altera parte huiusmodi dissensus ipse indicium est et argumentum quaestionis eo tempore nondum eliquatae et obscuritatis adhuc obtinentis.

Verum huiusmodi obscuritas nullo umquam tempore fuit in iis fundamentalibus doctrinis revelatis, quae omnibus explicite semper cognoscendae et credendae erant, atque ideo in publica professione et symbolo fidei continebantur; nec potest admitti in quibusvis aliis revelatis doctrinis post solemnem et publicam definitionem. Ergo etiam singulorum ss. Patrum a doctrinis ipsorum iam aetate ita eliquatis dissensus admitti nequit, nec potest componi cum principiis quibus regebantur, et cum auctoritate qua semper eminebant in Ecclesia.

c) In iis denique capitibus, in quibus realis ostendi potest singulorum aliquot Patrum dissensus a subsecuto

(1) In ephemer. the Rambler mense Decembri 1858.

deinceps universali consensu, semper etiam demonstrari potest, istas dissentientes opiniones non esse derivatas ex Traditione. Speciatim fontes fere esse solent: α) praeiudicata interpretatio alicuius loci Scripturae (ut in opinione angelis corpora tribuentium; et aliorum, si qui visionem beatificam usque ad resurrectionem differri putabant; vel qui duplicem resurrectionem, et inter utramque regnum chiliasmi opinando statuebant); β) conclusiones perperam deductae ex fidei analogia (ut in sententia rebaptizantium saec. III, et in opinione eorum qui Pastorem Hermae, ep. Barnabae etc. accensebant Scripturae divinae saec. II. III.); γ) facta particularia non rite explicata, vel argumenta interna perperam adhibita (quod utrumque accidit in haesitationibus saeculi III. IV. circa auctoritatem canonicam aliquot librorum Scripturae).

THESIS XVI.

Opinio de regno Christi millenario penes Patres ante saeculum quartum comparatur cum consensu opposito Patrum subsequentium.

« Quamvis plures Patres usque ad saeculi quarti initia secuti fuerint » sententiam de regno Christi in terra per mille annos ante universalem » corporum resurrectionem futuro; ea tamen erat privata singulorum opi- » nio, numquam autem communis consensio velut in doctrinam fidei. Id » constat 1°. ex consensu contrario subsequente; 2°. ex certis principiis, » quibus regitur Traditio apostolica; 3°. ex ipsa origine et tota historia » illius opinionis. »

Aliquando accidere potuit, ut privatam opinionem unius plures Patres adsciverint; ex quo deinde fit ut, si praesertim id contigerit tempore antiquissimo, quod monumentorum inopia nobis est obscurius, viguisse videatur et a nonnullis iactetur unanimis sententia Patrum priorum, adversus quam tamen consensus contrarius subsequentium aetatum invaluerit. At hic subsequens consensus contrarius etiam solus per se spectatus satis est, ut ex principio theologico, et etiam philosophice ex principiis quibus Patres semper nitebantur (th. VIII. IX.), certo constet, antece-

dentem consensum illum non potuisse esse universalem in ratam firmamque sententiam, sed meram fuisse singulorum doctorum opinionem. Ceterum munus erit theologorum hoc ipsum etiam historice demonstrare.

Ad demonstrandum maximum discrimen inter privatam opinionem licet latius diffusam et inter consensum vere catholicum in promptu quidem essent plura exempla, sed nullum ad rem praesentem aptius quam opinio chiliastarum, quos Augustinus (Civ. Dei XX. 7.) *milliarios* appellat, docentium ante resurrectionem universalem resuscitandos esse iustos, qui restaurata urbe Hierosolymorum mille annis cum Christo regnaturi sint in terra. Diligens inquisitio in historiam huius opinionis, de qua nostro etiam tempore inter viros bonos et doctos non raro mentio incidit, non debet censeri digressio a praesenti nostro scopo; modus enim quo illa doctrina vetustissimis temporibus orta est, viguit, et interiit, proprietatem ac notas Traditionis genuinae prae traditionibus spuriis egregie illustrabit.

I. Possunt coacervari nomina eorum, qui II. et III. saeculo sententiam de regno illo mille annorum interiecto inter resurrectionem primam iustorum et inter resurrectionem secundam universalem amplexi fuerant, Papias (apud Euseb. H. E. III. 39. et apud Iren. V. 33.), Iustinus (Dial. cum Tryph. n. 80.), Irenaeus (l. V. c. 31-36.), Tertullianus (cont. Marcion. l. III. c. 24.), Methodius (Conviv. Virg. IX. n. 5.), Nepos Episcopus Aegyptius (apud Euseb. l. VII. c. 24.), Victorinus Petavionensis (teste Hieronymo de viris illust. c. 18. et in Ez. XXXVI.), Commodianus (contra gentil. instruct. c. 43. 44. 80.), Lactantius (Instit. l. VII. c. 24. 26.), Quintus Iulius Hilarion (de durat. mundi Bibl. Max. T. VI. p. 376.), Sulpitius Severus (1).

(1) Sulpitius in dialogo cum Gallo et Posthumiano, quem adhuc habemus, chiliasmo favisse dicitur a s. Hieronymo in Ezech. XXXVI. T. V. p. 422; at in eo dialogo nunc saltem nihil huiusmodi comparet. Unde Hieronymus de Prato editor Opp. Severi (T. I. dissert. 5. ed. Veronae 1741.) censet, Doctorem maximum aut ex aliena dumtaxat relatione dialogum novisse aut memoria lapsum esse. Forte ansam suspicionis praebuit, quod Sulpitius scribit, ab Antichristo regnum et templum Hierosolymis

Post Lactantium ineunte saeculo IV. nullus amplius auctor gravis et catholicus usque ad recentissimam aetatem huius sententiae mentionem fecit, quin simul eandem improbaverit et reiecerit. Improbant et reiiciunt eam Eusebius ll. cc.; Basilius ep. 265. al. 293. ad Eulog.; Gregor. Nazianz. l. II. carm. 31. al. 133. v. 175. sq. T. II. p. 876; Epiphanius haeres. 77. n. 26. T. I. p. 1031; Theodoretus haeretic. fabul. l. III. c. 6; Nicephorus H. E. l. VI. c. 21; Hieronymus de viris illust. in Papia; in Is. XX. 23; XXV. 1. sq.; XXX. 26; XXXV. in fine; et in Praefat. in l. XVIII. in Isaiam (cf. in Ier. XX. 10.); in Ezech. XXXVI; ep.120. q.2. ad Hedib. et alibi; Augustinus Civ. Dei l. XX. c. 7; Philastrius haeres. 59; Gennadius de Eccles. dogm. c. 25. (in append. Opp. August. T. VIII.). Huc pertinent, qui in suis commentariis in Apoc. XX. resurrectionem primam et mille annos ibi memoratos plane contra explicationem chiliastarum interpretati sunt consensu unanimi, Andreas Caesareensis Bibl. Max. T. V; Aretas ib. T. IX; Primasius ib. T. X; Ambrosius Autpertus ib. T. XIII; Beda Opp. T. V; Berengaudus in Append. Opp. s. Ambrosii; vulgatus Anselmus (qui non Cantuariensis sed probabiliter Laudunensis est).

Iam quamvis aliqui ex Patribus directe damnent regnum millenarium, ut Cerinthus et saeculo IV. Apollinarius haeretici illud asserebant, includitur tamen improbatio totius huius opinationis, etiam sub formis minus absurdis quam finxerant Cerinthiani. Hoc vel inde evidens est, quod Patres non solum modum sed rem ipsam improbant, et plerique diserte cum chiliasmo haereticorum coniungunt illum assertum a quibusdam priscis catholicis velut accidentaliter non quoad rem ipsam diversum. Ita fere semper Hieronymus. « Neque enim iuxta Iudaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant (1), gemmatam et auream de coelo expectamus Ieru-

excitatum iri. Hoc ipsum docet etiam Hippolytus in suo genuino commentario de Christo et Antichristo n. 6. 57; nec video rationem, cur a recentioribus quibusdam dicatur in hoc commentario chiliasmum tradi, cum is potius n. 44. 64. 65. satis manifeste excludatur.

(1) מִשְׁנָה recte vertitur δευτέρωσις (etiam in Novellis Iustiniani); memorat nempe Hieronymus *fabulas mischnicas* seu *talmudicas*. Mischna

salem, nec rursus passuri circumcisionis iniuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbathi otio dormiemus. Quod (non quidem secundum eandem formam Iudaicarum cerimoniarum sed quoad rei substantiam sub alia forma) et multi nostrorum et praecipue Tertulliani liber de *spe fidelium* (deperditus, sed superest 3us cont. Marcionem), et Lactantii institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Petabionensis Episcopi crebrae expositiones, et nuper Severus noster in dialogo, cui nomen *Gallo* imposuit; et ut Graecos nominem et primum extremumque coniungam, Irenaeus et Apollinarius » Hieron. in Ez. XXXVI. (T. V. p. 422.). Augustinus aperte alludit ad modum exponendi Papiae ac Irenaei; Philastrius universim inter haereticos ponit *chilionetitas* (millenarios), Gennadius diserte post haereticos nominat et reiicit opinionem Papiae, Irenaei, Tertulliani, Lactantii, Nepotis; Eusebius, Theodoretus, Nicephorus reprobant, et duo ultimi inter haereses recensent opinionem Nepotis, quae ut est exposita a Dionysio Alexandrino (apud Euseb. VII. 24.), nihil differre videtur ab illa Irenaei (1).

Porro quae fuerit communis sententia tempore subsequenti, discimus ex unanimi doctrina theologorum. Scholastici constanter, sine contradictione, certa affirmatione et plerique verbis gravissimis opinionem chiliasmi reiiciunt. S. Thomas « dicendum, inquit, quod occasione illorum verborum (Apoc. XX. 4.), ut Augustinus narrat l. XX. de Civ. Dei (c. 7.), quidam *haeretici* posuerunt primam resurrectionem futuram esse mortuorum, *ut cum Christo mille annis in terra regnarent* (en substantiam opinionis, quam dicit haereticorum fuisse); unde vocati sunt chiliastae, quasi millenarii, et Augustinus ibidem ostendit verba illa aliter esse intelligenda, scilicet de resurrectione spirituali » s. Th.

non serius saeculo III ineunte conscripta est ex vetustioribus Iudaicis sive traditionibus sive commentis.

(1) Ita intelligitur Hieronymus, qui Praefat. in l. XVIII. comment. Isaiae ait, Dionysium Alexandrinum scripsisse contra chiliasmum Irenaei, cum tamen certum sit ex Eusebio (VII. 24.), Dionysium adversus Nepotem scripsisse.

4. dist. 43. q. 1. a. 3. sol. 1. ad 4. S. Bonaventura: « de resurrectione *secundum fidem catholicam* tenendum est, quod omnia corpora hominum resurgent in generali iudicio, non existente in eis distantia (moraliter longa, multo minus mille annorum) quantum ad ordinem temporis, sed potius quantum ad ordinem dignitatis » Bonav. Centiloq. P. IV. sect.2. cf.in 4. dist. 43. a. 1. q. 3; Breviloq. P. VII. c. 5. Dominicus Sotus ita habet: « illis verbis Ioannis (Apoc. XX.) Papias eius discipulus (1) seductus duas *commentus est* corporum resurrectiones; *quo errore* Lactantius atque alii fuerunt *subinde commaculati*... sed *haec fabula non diu in Ecclesia perstitit* » Sot. 4. dist. 43. q. 2. a. 1. ad 3. Bellarminus relata opinione Lactantii de duplici resurrectione priori iustorum posteriori reproborum et de regno millenario, subdit: « haec opinio fuit etiam multorum veterum ut Papiae, Iustini, Irenaei, Tertulliani, Apollinaris... sed iam *dudum explosa est tamquam error exploratus* » Bellarm. de Rom. Pontif. l. III. c. 17. Suarez de Incarn. T. II. disp. 50. tota sectione 8ª data opera illam sententiam refellit. Post commemoratam doctrinam millenariorum Papiae, Irenaei, Iustini et ceterorum, cuius fundamentum constituebant ipsi in Apoc. XX. de duplici resurrectione, ita loquitur Suarez. « Dicendum est tamen, resurrectionem iustorum non esse futuram usque ad diem iudicii, et illa die omnes homines resurrecturos; quare non intercedet magna mora inter resurrectionem iustorum et iniquorum. Haec assertio est *certa*, et *quatenus repugnat citato errori* (millenario), *existimo esse de fide.* » Concludimus verbis Cornelii a Lapide in Apoc. XX. 2. « Hic itaque, inquit, est *error* millenariorum; haeresim dicere non audeo, quia apertas Scripturas aut Conciliorum decreta, quibus haec sententia quasi haeretica damnetur, non habeo. Unde et s. Augustinus l. c. (Civ. XX. 7.) eam damnare non est ausus. Satis tamen illa erroris convincitur, et ab Ecclesia damnari posset ut haeretica, uti noster P. Salas et alii eam damnant... Denique *posteriores Patres et Ecclesiae*

(1) Utrum Papias audierit ipsum Ioannem, dubitari potest; vide Euseb. l. III. 39, ubi Papias ipsemet a discipulis Apostolorum non ab Apostolis se eruditum esse testari videtur.

sensus hanc sententiam reprobavit, unde illa iam evanuisse videtur. »

Igitur de universali, constante et rata consensione Patrum et doctorum inde saltem a V° saeculo usque ad hanc nostram aetatem in reiicienda illa opinione nullum potest esse dubium; quamvis non ita se habeat negatio, ut opinio improbata, antequam Ecclesiae definitio accedat, possit dici haeretica. Ex hoc autem ipso iuxta principia saepe iam a nobis demonstrata et declarata evidens est, illam Patrum aliquorum II. et III. saeculi commentationem non esse sententiam traditam ab Apostolis, nec praeseferre posse universalem consensum, aut « intellectum catholicum » locorum Scripturae, quibus nitebantur; sed esse privatam singularium doctorum intelligentiam ac interpretationem doctrinae seu scriptae seu traditae, in qua interpretatione privata ac consensu destituta utique falli poterant et fallebantur, ut subsequens universalis sensus ac consensus oppositus demonstrat.

II. Sane si consideretur status quaestionis, et sententia illa saeculo II. ac III. latius diffusa comparetur cum consensu contrario saeculis subsequentibus invalescente, principia ipsa quibus Traditio et custodia depositi regitur, demonstrant illam sententiam non contineri in deposito revelationis, nec ex Traditione apostolica fuisse derivatam. Quae nostra assertio latiori diffusione illius doctrinae primis saeculis, auctoritate Patrum qui illam defenderunt, claritate ipsa verborum Scripturae, si in sensu immediato intelligantur, non solum non infirmatur, sed immo hae ipsae rationes comparatae cum consensu subsequente contrario clariorem lucem affundunt demonstrationi.

Enimvero supponamus paulisper, quod affirmant chiliastae, doctrinam de regno illo millenario esse a Deo revelatam et ab Apostolis traditam Ecclesiae, illamque genuinum continere intellectum sensus Scripturae, atque inde quid consequens sit, videamus. Verbum Dei scriptum obvio, primum sese offerente, immediato h. e. non tropico sensu acceptum hanc sententiam clarissime exhibet. « Et vidi angelum... et apprehendit draconem... qui est diabolus et

Satanas, et ligavit eum per annos mille... et vidi sedes... et animas decollatorum propter testimonium Iesu... et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni; haec est resurrectio prima, » et reliqua quae sequuntur Apoc. XX. 1-15. Adventus hic gloriosus Christi et hoc eius regnum in terra cum sanctis resuscitatis per mille annos aut saltem per longum tempus ante universalem resurrectionem et ultimum iudicium ita habet, ut oracula plura psalmorum, prophetarum, Evangeliorum, epistolarum apostolicarum sensu obvio et immediato accepta hoc ipsum regnum describere videantur; eo autem non admisso interpretatio reddatur difficilior, sensusque translatus in locis quam plurimis substituendus sit (dabo enim hoc millenariis). Porro in hac hypothesi Scriptura locis tam multis sensu obvio intelligenda ab Apostolis Ecclesiae tradita, hicque idem sensus ab Apostolis et a primis fidelibus compendio expressus esset in ipso symbolo apostolico illis verbis: «venturus est iudicare *vivos* et mortuos;» ita enim asseverant millenarii redivivi. Certe Traditionem hanc (in hypothesi) apostolicam, et hunc sensum Scripturarum clarissime tenebant et exprimebant doctores catholici II. et III. saeculi; quorum numerus satis amplus est, ut etiam multos ex fidelibus iuxta eorundem Patrum doctrinam sensisse existimemus. At vero inde ab eo tempore, quo doctrinae et dogmatum christianorum intelligentia maxime explicata et exculta est, inde a saeculo IV° ineunte et saeculo V°, quibus fere omnes maximi doctores Ecclesiae floruerunt, supposita haec Traditio apostolica et vera obvii sensus Scripturarum revelataeque doctrinae ipsiusque symboli intelligentia (1) ma-

(1) Pseudonymus Ben Ezra (Emmanuel Lacunza) ad finem vergente superiori saeculo ad resuscitandum chiliasmum scripsit quatuor voluminibus opus prolixum de secundo adventu Christi in gloria, quod vidi manu scriptum, et audivi a nonnullis impense laudari. Ibi T. I. cap. VII. §. 3. ita loquitur: « Posso mettervi sotto gli occhi, quanto sopra questo particolare (super articulum symboli) hanno detto i primi teologi, e quanto hanno preso da essi quelli, che hanno messe assieme leggi di Dottrina Cristiana (Catecheses). Certo che essi sentivano il peso della grande difficoltà..... in una cosa troppo insieme concordi. Voglio dire,

gis magisque non solum obscurata esset et oblivioni tradita, sed impugnata et reiecta ab omnibus doctoribus, in quorum operibus adhuc reliquis aliqua huius rei mentio occurrit. Conspirassent doctores unanimes ad Scripturam non uno tantum alterove loco sed in pluribus veteris et novi Testamenti libris, quoties de novissimis diebus agitur, a claro et obvio sensu detorquendam in difficiliores, translatas et (in hypothesi) falsas explicationes; in universa Ecclesia, dum sive in catechesibus et institutionibus populi sive in scholis secundus adventus Iesu Christi, resurrectio mortuorum, ultimum iudicium explicatur, veritas ab Apostolis tradita constanter et ubique inde a IV° saltem saeculo occultaretur, et docerentur ea, quae cum illa veritate componi non possunt. Atqui haec omnia quomodo cum oeconomia Traditionis et cum promissa assistentia Spiritus Sancti catholicum intellectum praeservantis ab errore et inducentis in omnem veritatem consistere possint, nemo intelligat. Possunt esse sine dubio et sunt veritates, quae implicite et obscurius traditae in praedicatione Apostolorum, vel magis practica consuetudine quam theoretica doctrina primitus comprehensae, aliquando vocatae fuerint intra ipsos fines Ecclesiae in controversiam; hac autem exorta paulatim explicatae et lucidius declaratae sunt, donec in universalem transierunt consensum totius Ecclesiae; de qua revelatae doctrinae explicatione alio loco dicemus. At factum numquam est nec ex oeconomia Traditionis fieri potest, ut ordine inverso fidei articulus primum explicite, claro et obvio sensu comprehensus in praedicatione ecclesiastica et in intellectu catholico, deinceps orta forte controversia, involvatur in obscuritatem, transeat in dissensum, ac tandem praevaleat contra illum consensus oppositus et negans, quae negatio absque contradictione dominetur in universa Dei Ecclesia per multa saecula, per annos mille et

che *tutti affatto convengono* nel negare a quell'articolo di fede il senso ovvio, genuino, e letterale sul punto del giudizio dei vivi, fanno ad esso una aperta violenza per dar luogo al loro sistema; e se mi è permesso parlare così, non vogliono ammettere l'articolo di fede, se non cede al sistema. »

quingentos. Ergo ex ipso primo principio interpretationis catholicae demonstratur, claritatem illam Scripturarum a chiliastis iactatam non nisi *apparentem* esse, re autem vera illis locis ex ipsa sua apparente claritate plurimum subesse obscuritatis; nec minus demonstratur id, de quo nos in praesenti agimus, veterem nempe illam ante quartum saeculum doctrinam non fuisse *consensum catholicum.*

III. Nobis vero non sufficit quaesivisse, *an fuerit;* sed demonstrandum est, *quomodo non fuerit* consensus catholicus. Necesse ergo nobis est inquirere modum et originem vetustae istius doctrinae millenariae, ut historice etiam constet, non Traditionem apostolicam sed alium esse eius fontem.

1°. Ex ipso modo defensionis et impugnationis apparet, illam sententiam numquam fuisse *universalem.* Iustinus et Irenaeus ll. cc. simul defendunt duo capita doctrinae, *resurrectionem mortuorum* et *regnum Christi in terra per mille annos,* sed modo longe diverso. Haereticos qui negant resurrectionem, ait Iustinus, non esse Christianos sed atheos et impios; contra vero doctrinam de regno millenario non inter certa dogmata sed inter liberas opiniones recenset. « Tibi et antea confessus sum, me quidem et multos alios ita sentire, sicut etiam (vos Iudaei) omnino nostis hoc futurum esse (1); *multos vero etiam Christianorum qui purae et piae sententiae sunt, hoc non agnoscere,* tibi significavi. » Ita etiam intelligi debet argumentatio Irenaei l. V. c. 31. n. 1; c. 33. n. 4; c. 35. n. 1. Eius nempe sententia huc revocatur, ut negantes regnum millenarium habeat quidem in numero catholicorum, verumtamen eos arma ministrare censeat haereticis ad negandam ipsam mortuorum resurrectio-

(1) Ὡς καὶ παντως ἐπιστασθε τουτο γενησομενον. Maranus et Thirlbius ἐπιστασθε voluissent mutatum in ἐπιστασθαι, « ut omnino hoc ita futurum esse *nos (Christiani) sciamus.* » Sed lectio ἐπιστασθε rectissime habet; a Iudaeis enim opinio de illo regno glorioso Messiae in urbe Ierusalem transiit ad Christianos, ad sectas Iudaicis ritibus et doctrinis addictas, cuiusmodi erant Cerinthiani, Nazaraei, Ebionaei. Horum ex sententiis Papias facile induci poterat ad dicta quaedam Apostolorum praepostere intelligenda; a Papia deinde alii catholici praesertim in Asia minori eandem interpretationem acceperunt.

nem. Porro saeculo III. chiliasmus in Alexandrina Ecclesia adeo non probabatur, ut qui illam opinionem a Nepote Episcopo adoptaverant, in schisma delapsi, nec nisi eâ reiectâ persuasu s. Dionysii, iterum reconciliati fuerint. Summam opinionis a Nepote propositae et a se impugnatae Dionysius refert his verbis: « librum quendam proferunt (schismatici illi) Nepotis... quasi in eo certissime demonstratum sit, *regnum Christi in terris futurum.* » Hanc deinde ipsam sententiam significat falsam esse et refutandam. In specialibus etiam characteribus huius regni, ut a Dionysio referuntur, nihil est quod Nepotis opinionem ab ea Papiae aut Irenaei diversam fuisse ostendat. Non ergo Nepos regnum depinxit refertum impuris voluptatibus vel cerimoniis Iudaicis, sicut factum est ab haereticis ; neque enim si ita esset, tantis laudibus efferret Dionysius huius viri « fidem et studium Scripturarum, » « magnaque reverentia se eum prosequi » diceret. Ipsa itaque sententia qualis fuit Papiae, Irenaei, Iustini, in Ecclesiis Aegypti saeculo iam III. non videbatur tolerabilis; tantum abest, ut fuerit in Ecclesia communis. Imo propterea quod millenarii et nominatim Nepotiani tam confidenter ad Apocalypsin appellabant, ipse hic sacer codex apud nonnullos catholicos perperam quidem, ut suo loco dicemus, in suspicionem venit libri suppostitii, sed argumento manifesto, quantopere fideles plurimi ab opinione chiliastarum abhorrerent. Ante Dionysium contra millenarios pugnavit Origenes l. II. de Princip. c. 11; Praefat. in Cantic. et alibi. In Ecclesia Romana opinionem umquam fuisse admissam, nullum apparet vestigium. Ostendi vero potest contrarium ex iis, quae ineunte saeculo III°. Romae disputavit Caius presbyter adversus Cerinthum; licet enim Cerinthus impuris commentis opinionem reddiderit detestabiliorem , Caius tamen non solum haec adiuncta damnat, sed etiam rem ipsam regni illius non agnoscit. « Cerinthus, inquit, portenta quaedam inducit, affirmans *post resurrectionem regnum Christi in terris futurum,* et iterum carnem Hierosolymis cupiditatibus servituram » etc. apud Eusebium H. E. III. 28.

2°. Si auctores et originem opinionis consideremus di-

ligentius, numquam videtur opinio latissime diffusa aut magnae aestimationis fuisse. Fontem unde ad catholicos manavit, narrat Eusebius l. III. c. 39. « Papias alia nonnulla, quasi ex traditione non scripta ad ipsum pervenissent, in medium profert, peregrinas (ξενας) scilicet quasdam parabolas Salvatoris ac doctrinas eius, et alia nonnulla fabulis propiora (μυθικωτερα). Inter quae et mille annorum spatium fore dicit post resurrectionem ex mortuis, regno Christi corporaliter in hac terra substituro. Haec quidem existimo ipsum apostolicis narrationibus praepostere intellectis supposuisse, cum quae in symbolis (1) mystice ab eis dicta erant, non perspexisset. Apparet enim admodum mediocris ingenio, sicut ex eius libris coniicere licet. Verum et perquam multis ecclesiasticorum (scriptorum) post ipsum auctor fuit eiusdem opinionis, antiquitate viri sese munientibus, ut puta, Irenaeo et si quis alius eadem sentire visus est. » Ex hac itaque Eusebii explicatione Papias non ipsam doctrinam de regno millenario *a presbyteris* seu Apostolorum discipulis accepit; sed audiverat ab eis et vero legerat in Scripturis nonnulla intelligenda symbolice, ex quibus ipse sensu proprio et immediato intellectis suam de regno Christi effinxit opinionem, quam deinde velut *a presbyteris* traditam sua auctoritate Irenaeo aliisque persuasit. Millenarii redivivi hanc Eusebii enarrationem explodunt velut calumniam. At vero si doctrina ipsa esset apostolica, quomodo Patres insignes saeculi IV. et deinceps, quomodo sequentes omnes theologi eam vel contempserunt vel oblivione et sensu ac consensu contrario obliterarunt? Ceterum quisquis Papiae expositionem legerit apud Irenaeum V. 33. facile intelliget, Eusebium nihil dixisse, quod non sit verissimum. Presbyteri et cum illis seu ex illis Papias haec referunt ib. n. 3. tamquam dicta ab ipso Domino. « Venient dies, in quibus vineae nascentur singulae decem millia palmitum habentes, et in uno palmite dena millia brachiorum, et in uno vero palmite dena millia flagellorum, et in unoquoque flagello dena millia botruum (sic), et in unoquoque botro dena millia acinorum, et unumquodque

(1) Ἐν ὑποδείγμασι cf. Heb. VIII. 5; IX. 23.

acinum expressum dabit viginti quinque metretas vini; et cum eorum apprehenderit aliquis sanctorum botrum, alius clamabit botrus: ego melior sum, me sume et per me Dominum benedic. » Similia dicuntur de spicis et granis tritici (1). Iam quis non videt, haec esse symbolica? Papias tamen ea accepit et tradidit tamquam sensu immediato et proprio intelligenda, sicut et illa, quae in prophetis dicuntur de leonibus aliisque feris cicurandis et herba ac palea vescentibus.

Satis igitur constat, opinionem quatenus a catholicis est adoptata, originem habuisse in Asia minori; Hierapoli enim in Phrygia Papias erat Episcopus. Hinc videmus huius opinionis Patres, quorum auctoritas ceteroquin gravis est, fere omnes cohaerere cum Asia minori; Iustinus dialogum cum Tryphone, in quo chiliasmum adstruit, habuit Ephesi (Euseb. IV. 18.), Irenaeus ortus et eruditus erat in eadem provincia, Methodius primum fuerat Episcopus Olympi in Lycia. Ceterorum qui supersunt, auctoritas in hac quaestione prorsus nulla est. Tertullianus libros adversus Marcionem scripsit iam delapsus ad sectam Montani (2), qui utique pertinet ad chiliastas. Hinc ille diserte appellat pro regno millenario ad testimonium *novae prophetiae,* quo nomine Montani, Priscillae et Maximillae deliria designare solet (cf. contr. Prax. c. 1. 30; de ieiun. c. 1; de resurrect. carn. c. 11.). « Confitemur, inquit, in terra nobis regnum

(1) Unde et materiali sensu acceperunt *centupla* a Domino promissa. « Quae sunt in hoc saeculo centupla et prandia exhibita pauperibus, et coenae quae redduntur? Haec sunt in regni temporibus h. e. in septima die... in qua non facient omne terrenum opus, sed adiacentem habebunt paratam mensam a Deo, pascentem eos epulis omnibus » Iren. l. c. n. 2. Ad haec alludens Augustinus Civ. XX. 7. ait, a millenariis promitti cibum ac potum tantum, « ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum etiam ipsius incredulitatis (i. e. infidelium) excedant. » Dicent millenarii recentes, se spiritales solum delicias admittere. Respondeo: erit tum *spectata solum interna ratione* « opinio utcumque tolerabilis, » sed desinant appellare ad Papiam et vetustos PP. nec porro Eusebium in hoc negotio calumniae accusent.

(2) Ad Montanistas defecit anno 10°. vel 11°. Septimii Severi (203. vel 204), libros contra Marcionem coepit scribere anno 15°. eiusdem principis, ut constat ex l. I. c. 15.

repromissum... post resurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hierusalem coelo delata... Hanc et Ezechiel novit, et Ioannes vidit, et qui apud fidem nostram est, *novae prophetiae sermo testatur* » (1) l. III. c. 24. De Nepote a Dionysio Alexandrino confutato post ea, quae superius dixi, nihil necesse est addere. « Opuscula Lactantii, Posthumiani et Galli (i. e. Sulpitii Severi dialogus cum Posthumiano et Gallo), Commodiani, Victorini Petabionensis, » sicut et « libellus qui appellatur Nepotis » in decreto Gelasii Pontificis in Concilio Romano 70. Episcoporum edito omnia relata sunt inter apocrypha, h. e. quae non suscipiuntur in auctoritatem sicut scripta ss. Patrum (Mansi Collect. Concil. T. VIII. p. 151. 170. (2). Remanet adhuc Q. Iulius Hilarion scriptor ignobilis et a nullo antiquorum nominatus (3).

(1) Fallitur certe Natalis Alexander, qui (dissert. 27. in saec. I. art. 2.) nomine *novae prophetiae* putat designari Apocalypsin; evidenter enim ab Apocalypsi, quam *Ioannes vidit,* Tertullianus distinguit *novam prophetiam.* Multo magis falsus est Lacunza, dum T. I. c. 5. ar. 2. §. 4. verba Natalis Alexandri inserit in textum, ac si essent Tertulliani, atque ita legit: « novae prophetiae seu Apocalypsis sermo testatur. »

(2) Probabilissimum est, rationem cur ad apocrypha reiicerentur horum auctorum scripta, praecipuam et in nonnullis unicam fuisse chiliasmum ab iis defensum. Ita mihi persuadet maxime illud, quod in decreto plurimum tribuitur s. Hieronymo, et quoad reiiciendos scriptores fere eius sententia adoptatur. De Rufino c. 9. dicitur: « illa sentimus quae praefatum beatum Hieronymum sentire cognoscimus, et non solum de Rufino, sed etiam *de universis quos vir saepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit* » ib. p. 149. Iam vero sunt illi ipsi scriptores, quos s. Hieronymus saepissime simul omnes enumerat et *zelo Dei reprehendit* unice ob *mille annorum fabulam*, ut eam appellare solet. Vix ergo dubitari potest, hanc fuisse rationem, cur istis opusculis millenariis non inter Patrum scripta sed inter apocrypha locus datus sit. Quod si verum est, facile intelligis, quo loco saeculo V°. ea opinio fuerit in Ecclesia Romana.

(3) Falsum est, quod aliqui asserunt, Tichonium Donatistam teste Gennadio (in Catalogo c. 18.) docuisse regnum millenarium; immo Gennadius testatur contrarium, dummodo rite intelligatur. « Mille quoque annorum regni suspicionem tulit (saepe pro *abstulit*); neque duas in carne resurrectiones futuras unam iustorum et aliam iniustorum, sed unam et semel omnium » (Opp. s. Hieronymi ed. Vallarsi T. II. p. 961.).

Haec demonstrant, nullum omnino esse latinum scriptorem seu Patrem Ecclesiae in auctoritatem receptum, qui eam opinionem defenderit; Patres graecos esse quidem tres quatuorve millenii assertores, sed eos fere Asianos vel certe cum Asianis cohaerentes, ut totam hanc opinationem potissimum ex unius Papiae viri sanctissimi falsa intelligentia originem traxisse appareat. Quod quidem non solum Eusebius sed etiam Hieronymus confirmat. « Hic (Papias) dicitur mille annorum Iudaicam edidisse δευτερωσιν, quem secuti sunt Irenaeus, et Apollinarius et ceteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum » Hieron. de viris illust. c. 18. Non solum ergo ea sententia numquam fuit in communi consensu et « intellectu catholico; » sed imo si comparetur cum multitudine aliter sentientium et docentium, dici debet fuisse paucorum; quamvis per se spectata et maxime prae sua falsitate dici possit habuisse sectatores multos. Hoc sensu s. Hieronymus conqueritur de *multis veterum,* de *multis ecclesiasticorum virorum,* de *multis nostrorum,* qui ita senserunt, et de *plurima multitudine nostrorum,* qui « in hac dumtaxat parte sequebantur Apollinarium, » quando iste haereticus eandem opinionem saeculo IV. resuscitavit.

Veneratio autem erga illos nonnullos ss. Patres ac martyres, non approbatio doctrinae censeri debet, quod Hieronymus uno in loco (in Ierem. XX. 10.) ait: « damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum et martyres ista dixerunt; et unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta reserventur iudicio.» Aliis enim in locis multis id ipsum, quod illi viri ecclesiastici dixerant, passim appellat « Iudaicum errorem, dogma Iudaicum, Iudaicam fabulam, somnia, doctrinam iudaizantium.» Ceterum ea opinio propter sensum et consensum contrarium omnium theologorum usque ad recentissimam hanc aetatem sine dubio nunc longe in deteriori conditione est, quam fuerat saeculo IV°. et V°. tempore Hieronymi et Augustini.

Haec tamen omnia forte prolixius a nobis disputata non ita velim intelligi, ac si mihi fas esse putarem censuram aliquam inurere opinioni millenariorum recentium (id enim

nostrum non est); sed eo spectant omnia, ut quae sit in hac re Patrum consensio vel dissensio, atque inde status historicus et theologicus quaestionis cognoscatur, ne iactata veterum Patrum auctoritate nobis illudi sinamus. Concludo verbis modestissimis Alphonsi Muzzarelli (Dissert. selectarum dissert. 3ª. de Regno millenario p. 324.): « respondeo, me temperatam millenariorum sententiam non ut haereticam traducere, sed tamen contendo, quod in praesenti tempore sit ad minimum improbabilis, quia ex una parte est destituta omni gravi auctoritate, ex altera vero habet auctoritates contra se gravissimas et ineluctabiles. »

Forte opponet aliquis, de auctoritate praecipua ad quam millenarii appellant, et quae, si eorum sententiam continet, sola sufficit, de testimoniis inquam Scripturae hic nihil esse dictum, adeoque remanere totam difficultatem insolutam. Respondeo: *a*) scopus nobis propositus et res de qua directe agimus, neque postulat neque permittit exegesin locorum Scripturae, quibus illi abutuntur. Verumtamen *b*) qui demonstrat intellectum catholicum circa aliquod revelatae doctrinae caput, eo ipso demonstravit, saltem *negative* sensum Scripturae non posse esse eum, qui huic intellectui catholico contradicat. Unde *c*) possemus fateri, nos nescire quid aliquibus prophetiis Scripturarum nondum impletis et nominatim Apoc. XX. singillatim et in ultima determinatione significetur, et simul affirmare, scire nos quid illae prophetiae secundum « ecclesiasticae intelligentiae auctoritatem » non significent. Ceterum secundum eandem intelligentiam catholicam, quae est canon princeps interpretationis Scripturarum, satis etiam *positive* novimus, ad rei summam quod spectat, quis sensus illis prophetiis et nominatim Apoc. XX. subsit genuinus. Lege August. Civ. Dei XX. 7. sqq. et reliquos interpretes supra citatos. Itaque *d*) millenariis asserentibus se pro sua sententia habere sacram Scripturam, respondemus distinguendo: habetis litteram Scripturae explicandae, transmittimus; habetis sensum Scripturae explicatae secundum regulam principem catholicae interpretationis, negamus. Cf. Suarez de Incarn. T. II. disp. 50. sect. 8; Le Nourry Apparat. ad Bibl. Max. PP. T. I. l. II. dissert. 1. c. 2; Muzzarelli l. c.

THESIS XVII.

De modo quo scholarum consensus exhibere possit Traditionem divinam.

« A monumentis quae *immediate* exhibent authenticum iudicium vel » consentientem doctrinam successionis apostolicae distingui debent » documenta privatae auctoritatis, quae *mediate* deducere possunt in co- » gnitionem doctrinae traditae in Ecclesia. Unde affirmandum est, una- » nimem et constantem theologorum scholae sententiam de aliqua do- » ctrina tamquam ad fidem pertinente exhibere *mediate* ipsam testifica- » tionem successionis apostolicae, atque ita legitimum esse testimonium » divinae Traditionis. Neque huic assertioni quidquam officiunt senten- » tiae quaedam theologicae, quae aliquando inter theologos communes » postmodum obsolevisse feruntur. »

I. Monumenta doctrinae possunt esse profecta ab ipsis custodibus depositi, quatenus sive in Conciliis sive extra Concilia munere testium Traditionis et authenticorum doctorum funguntur, ita ut in iisdem monumentis exhibeatur vel solemne iudicium vel alio modo sufficiens consensus ad doctrinam fidei authentice proponendam universae Ecclesiae. Manifestum est, in huiusmodi monumentis immediate sisti testimonium successionis apostolicae (sive in unitate corporis custodum depositi cum suo capite, sive in capite ad continendam unitatem fidei in corpore) sub ea ratione et conditione, sub qua « charisma veritatis certum » promissum est a Christo (th. VIII. IX. XIII. XIV.). Est ergo in iis testificatio divino-humana, nimirum Spiritus Sancti assistentis et ab errore praeservantis testificatio per pastores et doctores divinitus constitutos.

At quicumque sit consensus in documentis eorum, qui non pertinent ad testes praeordinatos a Deo (Act. X. 41.), in illis per se et secundum propriam auctoritatem spectatis non continetur testimonium eo, quo dictum est, modo authenticum. Exhibent tamen testimonium sufficiens de ipsa Ecclesiae doctrina, ut si necessariae adsint conditiones, ex eis in cognitionem veniamus sententiae authenticorum custodum et Ecclesiae totius; atque ita testimonia quae per se et immediate auctoritatem humanam vel historicam non

excedunt, *mediate* sistunt nobis auctoritatem humano-divinam. Hoc fere modo Augustinus contr. Iulian. l. I. n. 34; l. II. n. 33. 36. distinguit testimonium Hieronymi presbyteri a testimoniis Episcoporum, illudque urget, quod Hieronymus eruditissimus optime nosset Ecclesiarum orientis et occidentis fidem. Post enumeratas unanimes Episcoporum sententias, subdit: « nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum putes... qui omnes vel paene omnes qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de doctrina ecclesiastica scripserunt, legit, nec aliam de hac re tenuit prompsitque sententiam » (1).

Ex his principiis iam patet, quae sit et quae non sit consentientium scholarum et theologorum catholicorum auctoritas.

1°. Scholae catholicae inde a XII. saeculo usque ad medium saeculum XVIII. universim spectatae et multo etiam magis scholae theologicae de quibus agimus, sub tutela erant et sub sollicita providentia Ecclesiae. Consulto loquor de scholis antiquioribus, quia in illis relationes, de quibus dicturus sum, quoad *ius et factum* sunt evidentiores; in recentioribus autem quamvis *ius* fundamentale mutari non possit, *factum* tamen non semper et ubique pari evidentia claruit propter iuris violationem, qua potestas civilis scholas etiam theologicas ab auctoritate Ecclesiae et intimo cum ea nexu avellere studuit. Quidquid igitur sit de harum recentissimarum scholarum consensu, indole ecclesiastica, et consanguinitate cum intellectu catholico ipsius Ecclesiae; Academiae certe vetustiores omnes nonnisi auctoritate Sedis Apostolicae erant et censebantur legitimae. Pontificis diplomate erectae ac munitae, sub continua ipsius Sedis Apostolicae vigilantia constitutae, ius suum omne, sua privilegia, suam in docendo auctoritatem derivabant ab Ecclesia. Porro secundum hanc cum Eccle-

(1) S. Hieronymus ipse in eadem causa Pelagiana de se testatur ad Ctesiphont. ep. 133. n. 12. (ed. Vallars. T. I. p. 1034.): « multi anni sunt, quod ab adolescentia usque ad hanc aetatem diversa scripsi opuscula, semperque habui studio audientibus loqui, quod publice in Ecclesia didiceram. »

sia intimam connexionem et relationem scholae theologicae et doctorum integra collegia scopum praefixum habebant sinceram expositionem, explicationem, et defensionem ipsius doctrinae et disciplinae ecclesiasticae. Si qui vero ex doctoribus ad sententias periculosas declinare viderentur, continuo tum ab ipsis Academiis auctoritate velut subdelegata per propositionum proscriptionem et scientificas censuras, tum auctoritate propria Episcoporum, et ipsius tandem Pontificis supremo magisterio coercebantur. Vicissim ex scholis ita constitutis velut ex *almis matribus* prodibant maximam saltem partem ipsi Episcopi et praecipui quique in universo Clero, quibus certe institutio in scholis percepta elementum erat humanum ad intelligentiam doctrinae et disciplinae, qua instituebant et regebant populum christianum. Insuper Episcopi iidem tum singuli ipsique Pontifices tum Concilia in doctrina declaranda et definienda Academias ac scholarum doctores in consilium adhibebant ita, ut communis scholarum doctrina tamquam praeparatio quaedam esset authenticae definitionis Pontificum et Conciliorum (1).

Iam hisce positis, spectatis scilicet principiis quibus scholae catholicae reguntur et earundem relatione ac connexione cum summis pastoribus et cum Ecclesia universa, spectato scopo totoque ingenio scientifico et morali doctorum si universim et in complexu considerentur, spectata auctoritate qua *communis* eorum doctrina apud Episcopos, Pontifices, in Conciliis et in Ecclesia universa habetur, evidenter apparet, caput doctrinae in quod scholae omnes tamquam

(1) Confer e. g. Concilium Viennense in Clement. de Summa Trin. « Patres Conc. Viennensis opinionem illam, inquiunt, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et *doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem*, fore a catholicis eligendam. Si ergo in re quae olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controversa fuerat, opinio concors iuniorum tanti apud Patres in Concilio fuit, quanto magis nos res omni tempore ab schola praescriptas tenere ac revereri debemus » Melch. Canus de Locis l. VIII. c. 4. concl. 2. (De re ipsa infusionis donorum, de qua Concilium hic loquitur, vide Conc. Trid. sess. VI. c. 7. can. 11. cf. tract. de Incarn. p. 405.).

in doctrinam fidei conveniant rata et constanti sententia, esse doctrinam comprehensam in « intellectu catholico » et in « conscientia communis fidei » ipsius successionis apostolicae et Ecclesiae totius. Hoc ipsum est, quod docuit summus Pontifex Pius IX. in litteris ad Archiepiscopum Monachiensem (21. Dec. 1863.). « Etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt; sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, *ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur.* » Quamvis ergo scholae et scholarum theologi non sint organon a Christo institutum ad conservandam doctrinam revelatam sub assistentia Spiritus veritatis, ex unanimi tamen et constanti eorum sententia in rebus fidei, quando non solum docent aliquid ut verum sed ut credendum fide catholica, in cognitionem ducimur intelligentiae catholicae et doctrinae, quam ipsa successio apostolica ut custos et interpres authentica revelationis conservat et tradit (1).

2°. Distinxi unanimem scholae sententiam de re aliqua *ut fidei*, et sententiam de re *ut vera;* ex priori ducimur in certam cognitionem doctrinae totius Ecclesiae, ut dictum est; in posteriori eam auctoritatem esse concedimus, ex qua propter eam, de qua diximus, connexionem scholae cum Ecclesia docente pondus accedat gravissimum, nec fas sit ab huiusmodi communi ac constanti doctrina discedere.

(1) Verba Christi « qui vos audit me audit, » et altera Pauli (Eph. IV. 11.): « ipse dedit... pastores et doctores, » non possunt ergo immediate transferri ad doctores scholasticos et ad horum auctoritatem demonstrandam, ut a Cano factum esse video (l. VIII. c. 4. concl. 3. argum. 3.), quamvis adhiberi possint ad demonstrationem mediatam; posita enim auctoritate docendi, quam successioni apostolicae a Christo collatam esse illis verbis demonstratur, potest ex eadem auctoritate et ex connexione ac relatione scholae cum pastoribus et doctoribus a Christo institutis ipsius scholae auctoritas deduci.

Schola universa spectari nimirum debet eo fere modo, quo superius th. XII. demonstravimus considerandam esse plebem christianam seu *Ecclesiam discentem;* est enim, ad doctrinam quod attinet, schola universa theologica (quamdiu manet vere theologica et in debita subordinatione ad Ecclesiam docentem) insignis quaedam *pars Ecclesiae discentis.* Hinc ulterius distingui debet elementum supernaturale seu charisma veritatis et elementum humanum. Charisma veritatis ac infallibilitas non est promissa scholae immediate in se; sed per successores Apostolorum « qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt, » integritas doctrinae fidei in schola universim spectata conservatur. Quatenus ergo unanimis consentit in aliquam doctrinam ut *fide credendam,* sicut populus christianus ita schola theologica universa non errat ex causa supernaturali, quia Spiritus Sanctus per ministerium et magisterium successionis apostolicae, cui per *obedientiam fidei* cohaeret et subiicitur, fidei integritatem in ea conservat (1).

At quando doctores scholae inquisitione, studio humano, et scientia humana proponunt suas de doctrina revelata sententias, suasque deductiones ex fontibus revelationis ut veras unanimi consensu, non tamen ut fide catholica creditas ab Ecclesia et credendas; auctoritas ex principiis superius positis gravis quidem agnoscenda est, cui nemo sine nota saltem temeritatis audeat contradicere; imo est hic scholarum consensus praeparatio quaedam et elementum humanum, cuius ipsum magisterium infallibile semper rationem habet, et quo sub directione Spiritus Sancti uti et iuvari solet ad declarationes et definitiones authenticas. Non tamen possumus dicere, scholam ipsam in sua inquisitione et suo studio humano esse immediate sub infallibili assistentia Spiritus Sancti, qua fiat, ut sub hypothesi con-

(1) Hoc sensu non autem de infallibili assistentia Spiritus Sancti immediata verum esse concedimus, quod ait Canus l. c. concl. 2.: « cum inter ipsos theologos scholasticos magna fere ubique dissensione certetur, ita ut in hac parte iure forsitan reprehendantur, certe non idem omnes assererent, *nisi eodem divino Spiritu permoverentur.* »

sensus errare non possit; haec enim assistentia modo i superioribus declarato immediate solis successoribus Apostolorum in unitate et consensione spectatis, atque unitatis origini successori Petri a Christo promissa est. Hinc passim doctores gravissimi sententias theologicas etiam unice ex principiis revelatis deductas affirmant certas propter consensum omnium scholasticorum, negant tamen easdem esse de fide; proindeque contra unanimem huiusmodi sententiam pugnare aiunt fore saltem temerarium, non tamen haereticum. Sic e. g. Vasquez in 3. q. 6. disp. 41. docet, « in Christo esse gratiam habitualem et charitatem (videlicet habitus infusos) idque indubitanter asserendum esse *iuxta scholasticorum communem sententiam,* et absque temeritatis nota id negari non posse. » Simul tamen contendit adversus Suarezium, hanc doctrinam licet absque ulla controversia communem inter scholasticos, non pertinere ad fidem ita, ut eius negatio posset dici error in fide. Vasquezio assentiuntur de Lugo, Maeratius aliique. Ipsemet Suarez de communi in omnibus scholis doctrina asserente animae Christi ab initio suae existentiae visionem beatificam, eodem fere modo loquitur. « Quaeres, qua certitudine haec doctrina tenenda sit. Aliqui existimant, simpliciter esse de fide. Sed non videtur, quia Scripturae testimonia non sunt adeo expressa, quin aliis modis explicari possint, et nulla etiam exstat de hac re Ecclesiae definitio, neque etiam Traditio est satis aperta; *nam licet theologi in hac veritate asserenda consentiant, non tamen illam affirmant ut dogma fidei,* et fere eodem modo loquuntur ss. Patres; et ideo alii solum dicunt, esse opinionem ita veram, ut contrarium opinari temerarium sit. Et haec est censura mitissima omnium, quae dari potest; existimo enim contrariam sententiam etiam erroneam » (1) Suarez in 3. q. 9. disp. 25. sect. 1. cf. Canum l. XII. c. 7. praecept. 8. Eodem fere modo sentiendum est et ipsi scholastici sentiunt quoad doctrinam communem et theologice certam de proces-

(1) De veritate theologica harum sententiarum vide tract. de Verbo incarnato th. XLI.

sione Verbi ac Spiritus Sancti *per formalem rationem intellectus* et *amoris*, de qua multis egimus in tractatu de Trin. th. XXVI.

3°. Ubi vero constans et consentiens doctrina non obtinet sed theologi graves in diversa abeunt, multoque magis ubi non rata sententia sed opinantium modo rem proponunt, ibi auctoritas non quidem continuo nulla est; verum dissensus ipse ostendit, auctoritate rem confici non posse, sed rationibus standum esse, ut illud amplectamur, quod fidei analogiae, doctrinae scilicet Scripturae, explicationibus Patrum, praedicationi ecclesiasticae, sensui et consensui Ecclesiae magis videatur consonum (de sententiis enim loquimur vere theologicis non de meris placitis philosophiae). Quae quidem inquisitio ad tractationem vere theologicam non solum in huiusmodi rebus ambiguis sed ubique necessaria est, ut non solum constet, an doctrina de qua quaeritur, pertineat ad depositum revelationis, sed etiam *quomodo in eo contineatur et ad illud pertineat.* Hoc autem examine rite instituto perspicuum fiet, doctrinam principum scholae Lombardi, Halensis, s. Bonaventurae et maxime s. Thomae in sententiis quidem constantibus ac communibus nonnisi compendium esse ac summam doctrinae Patrum (1), et praedicationis ecclesiasticae; tum vero in iis etiam capitibus, quae magis ambigua sunt et in opinione posita, congruentiam et nexum magis minusve arctum cum eadem praedicatione ecclesiastica non deesse. Simul deinde patebit, inter magnos illos scholae magistros a partium studio vacuos diversitatem quidem, raro tamen in rebus maioris momenti pugnam esse et proprie dictum dissensum. Propter hanc intimam connexionem cum doctrina Patrum et cum intellectu catholico universim, auctoritas principum scholae et prae ceteris s. Thomae per se sola non quidem irrefragabilis est, veneranda tamen et inter

(1) Patres quos scholastici vetusti velut duces sequuntur et quorum imaginem exprimunt, sunt potissimum quidem Augustinus, Dionysius, Gregorius, Boethius, Damascenus; verum hos ipsos interpretantur vel quandoque etiam eorum sensum temperant aut corrigunt secundum normam praedicationis ecclesiasticae.

privatos doctores praecipua. Fructus praeterea numquam poenitendus illius, quod diximus, examinis is etiam erit, ut melius assequamur genuinum sensum magistrorum scholae, et distinctius intelligamus non solum quid doceant, sed etiam rationes, quare ita doceant et ita docendum sit. Neque tamen ideo fas est in huiusmodi rebus, ubi viri graves et docti diversa opinantur, placitis unius viae, ut loquuntur, et iis quae tibi vera vel probabiliora videntur, ita insistere, ac si auctoritate totius scholae immo etiam totius Ecclesiae illa vera probarentur, vel quia unum aliquem ex magnis scholasticis nominasti, iam omnis a tua opinione dissensus esset intolerabilis. « Theologorum scholasticorum, inquit Melchior Canus, etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas comprobarit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet, sed si paucos viros modo graves secum habeat (gravibus scilicet rationibus nixos), poterit sane adversum plurimos stare; non enim numero haec iudicantur sed pondere... Quo loco sane arguendi sunt scholastici nonnulli, qui ex opinionum quas in schola acceperunt, praeiudiciis viros alios catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur... Alia sunt scholae placita, de quibus mox dicturi sumus (in quibus scilicet constans et unanimis est consensus, ut a nobis paulo ante est declaratum), alia sunt praecepta sectae, de quibus modo loquimur. Quae ab illis dissident, ea notam habent; quae ab his, non habent. Non enim si quid aut Scotisticis aut Thomisticis pronuntiatis contrarium est, error illico est » Canus l. VIII. c. 4. conclus. 1.

Omnium quae hactenus disputavimus, haec summa est. *a*) Ex scholasticorum theologorum scriptis certo constare potest de doctrinae alicuius revelatione et divina Traditione, quando unanimi et constanti sententia in iis reperitur doctrina proposita tamquam pertinens ad catholicam fidem, quia ex consentiente testimonio certo constat de intellectu catholico ipsius successionis apostolicae et Ecclesiae totius.

b) Ubi propositio et deductio alicuius theologicae doctrinae in iisdem theologorum scriptis rata et unanimi sententia proponitur ut vera ac legitima, ab ea sine nota saltem temeritatis vel etiam erroris dissentire fas non est, quia talis consentiens auctoritas et per se est gravissima, et ab Ecclesia ipsa communis theologorum doctrina tum in Conciliis tum universim extra Concilia magni fit, et tamquam aliquod elementum praeparationis ad solemnes definitiones consideratur. Haec autem accipienda ita sunt, ut valeant de ipsa doctrinae veritate, non autem de modo eam explicandi et probandi; de doctrinis vere theologicis ad res fidei et morum pertinentibus, non autem de placitis mere philosophicis (1); de sententiis ratis ac firmis cohaerentibus cum doctrina Scripturae vel ss. Patrum, non autem de theorematibus opinantium modo propositis; de consensu non unius aetatis multo minus unius aut alterius scholae, sed de consensu constanti et communi gravium theologorum, qui temporis progressu non desierit. Non certe repugnat, ut aliqua sententia aliquamdiu inter theologos communis, postea ar-

(1) Constat, multas veritates per se philosophicas et metaphysicas esse tamen in strictissima relatione cum veritatibus fidei, ut hae sine illis rite intelligi et explicari non possint. Quod cum accidit, veritates illae metaphysicae non quidem universim spectatae sed in sua formali relatione ad veritates fidei, quibuscum complicitae sunt, vere theologicae censeri debent. Huiusmodi sunt notiones naturae et hypostaseos in relatione ad mysterium unius naturae in tribus hypostasibus SS. Trinitatis et duarum naturarum in una hypostasi Christo (v. tract. de Incarnat. th. XXVI. sqq.; tract. de Trin. th. XXIII.); doctrina de accidentibus corporum in ordine ad eorum conservationem sine substantia ut subiecto inhaesionis in SS. Eucharistia; de essentialibus corporum relationibus ad spatium in ordine ad idem mysterium Eucharistiae saltem *negative*, quaenam essentiales non sint (vid. tract. de Euch. th. XI. XVI.); de habitibus et qualitatibus accedentibus et inhaerentibus in ordine ad doctrinam de gratia et de charactere sacramentali (v. tract. de Sacram. in genere th. XIII.); de forma substantiali in ordine ad unitatem realem humanae naturae (cf. tract. de Incarn. th. XII. n. II.); veritates denique aliae plures quae ex sese communes sunt (quoad obiectum materiale) philosophiae et theologiae, quia et per se rationales sunt et simul in revelatione comprehenduntur (cf. tract. de Deo Prolegom. theorem. II.).

gumentis et documentis melius perspectis communis esse desinat, vel etiam obsolescat. Talis autem mutatio ipsa argumentum est, consensionem illam antecedentem non fuisse ratam et firmam sententiam, quae securis et immutabilibus niteretur fundamentis; sed opinionem tantum pro praecedenti statu quaestionis probabilem. « Quae opinio, ait Card. de Lugo, hoc saeculo in scholis frequentissima est et fere ab omnibus defenditur, saeculo proximo re melius examinata et novis fundamentis apparentibus, a paucis retinebitur. Non ergo repugnat, aliquamdiu maiorem scholasticorum partem *opinionem aliquam ut probabiliorem* amplecti, quae reipsa falsa sit » Lugo de Fide disp. 20. sect. 3. n. 128. c) Quando sententiarum et opinionum inter graves theologos diversitas est, ex eorum auctoritate certitudo comparari non potest; sed tum maiori auctoritate perpensa tum multo magis rationibus ex theologiae fontibus deductis statuendum, quid verum aut vero sit similius.

Postremo, si id necesse est, moneo in tota hac declaratione nostra unice sermonem esse *de auctoritate scholae per se spectata.* Nam si rationes spectentur, quibus doctrinam confirment, facile patet, has etiam a paucis propositas posse esse tales, ut doctrinam vel ad fidei revelatae depositum pertinere, vel saltem theologice certam esse demonstrent.

II. Superest, ut satisfiat difficultati, quae contra declaratam auctoritatem theologorum scholae moveri potest et vero a quibusdam recentioribus etiam solet. Scholasticos communi consensu docuisse, aiunt, plures sententias quae iam a theologis aut falsae aut minus probabiles habentur. Ita e. g. ex eorum sententiis minores Ordines credere oporteret esse sacramenta, quae tamen doctrina nunc consensu fere aeque communi reiicitur ut falsa. Pariter unanimes docuerunt, materiam in sacramento Ordinis esse traditionem instrumentorum, quod nunc post Morini, Martenii aliorumque inquisitiones in vetera monumenta a non paucis, imo a maiori forte parte theologorum sine temeritate negatur. Simili consensione feruntur docuisse, peccatorem iam contritione iustificatum ad sacramentum poenitentiae acce-

dere debere, nec potestatem clavium ad absolvendum a culpa extendi; sed Deum immediate citra ministerium sacerdotis remittere culpam poenitenti, sacerdotem absolvere solum a poena; de cuius quidem doctrinae falsitate saltem post Concilium Tridentinum constat.

Non est nobis propositum singulorum scholasticorum genuinam sententiam de hisce doctrinae capitibus examinare; solum nunc negamus, consensum circa illa, quicumque fuerit, eos characteres praeseferre, sub quibus auctoritatem scholasticorum valere diximus ad plenam demonstrationem doctrinae fidei vel certitudinis theologicae. Nam *a*) in nullum ex commemoratis capitibus umquam exstitit scholarum consensus tamquam in doctrinam fide catholica creditam et credendam, nec etiam ut in doctrinam penes catholicos doctores certam et sine controversia tenendam; sed consensus, si quis exstitit, erat communis quaedam opinio. Hoc ne de aliis dicam, vel inde manifestum est, quod *b*) consensus non erat universalis; sed doctores magnae auctoritatis motis et paullo eliquatis hisce quaestionibus in diversas abibant sententias, quin ideo vel communi fidei vel certae doctrinae in re tanti ponderis repugnare censerentur, et in crimen umquam vocarentur violatae fidei vel gravis erroris. *c*) Si consensum aliquamdiu fuisse demonstrari posset, certe is non erat constans, quod ipsum argumentum esse diximus, praecedentem, si quis fuit, consensum non firmae et ratae sententiae sed opinionis fuisse. Sane iam tempore s. Thomae, quo post prima initia ingenium, doctrina, gloria scholae sua incrementa accepit, quoad priora duo capita quae commemoravimus, erat sententiarum diversitas; quoad ultimum saltem communior esse coepit doctrina, quae posteriori aetate in scholis lucidius explicata in Concilio ipso Tridentino confirmationem nacta est.

1°. Ad Ordines minores quod spectat, non a Christo institutos esse sed procedente tempore « Ecclesiam sibi eos constituisse, » iam ante aetatem s. Thomae docebant Hugo a S. Victore, Lombardus, Gratianus; ex qua institutione ecclesiastica sequitur, non esse veri nominis sacramenta. Post tempora s. Thomae diu ante Morini inquisitiones diserte

affirmarunt et probandum susceperunt, minores Ordines non esse sacramenta, Durandus, Caietanus, Navarrus, Dominicus Sotus, qui posterior ominatur s. Thomam, si in summa ad hunc locum pervenisset, sententiam traditam in 4. dist. 24. mutaturum fuisse, et rationem sacramenti hisce Ordinibus negaturum. Quae quidem coniectura non aliud ostendit, nisi quod tempore Soti (unius ex theologis Concilii Tridentini) constabat, penes vetustos scholasticos totam hanc rem non in certa sententia, sed in opinione positam fuisse et ultro citroque disceptatam (1). De his doctoribus vide Vasquez in 3. P. disp. 237. c. 2. Inde a saeculo XVI. frequentissima et communior fieri coepit inter doctores sententia haec negans. De diversis opinionibus, utrum episcopatus sit Ordo et sacramentum, vide Vasquez ib. disp. 240.

2°. Venio ad id, quod dicitur de materia sacramenti Ordinis. Est in hoc capite fere eadem ratio ac in praecedenti; diversi opinabantur diversa. Longe communior certe sententia erat et multorum adhuc nunc est illa, quae in praxi et usu semper est tenenda, traditionem scilicet instrumentorum esse in Ecclesia latina partem necessariam materiae sacramenti. S. Bonaventura tamen defendit in Ordinibus sacris essentialem materiam esse solam manuum impositionem: « sicut omne instrumentum sive armatura in virtute manus est, sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia (instrumenta), possunt signari; unde.... in impositione manuum in Ecclesia primitiva ceteri Ordines implicabantur » 4. dist. 24. P. 2. a. 1. q. 4. S. Thomas vero censuit, « per manus impositionem dari plenitudinem gratiae, per quam ad magna officia sint idonei... in ipsa da-

(1) S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. sol. 2. tres adfert *opiniones* de Ordinibus, qui characterem imprimant. « Circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod in solo Ordine sacerdotii character imprimitur. Sed hoc *non videtur* verum (post Tridentinum iam non esset tutum id asserere).... alii dixerunt, quod in sacris Ordinibus imprimitur character non autem in minoribus.... Cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur..... et haec est *tertia opinio, quae communior est.* »

tione calicis sub forma verborum determinata characterem sacerdotalem imprimi » 4. dist. 24. q. 2. a. 3. Alii alio modo rem explicabant, ut manifestum sit omnes quidem censuisse, practice totum ritum esse accurate servandum, in theoretica vero determinatione essentialis materiae ac formae non fuisse universalem consensum in unam sententiam sive ut fide credendam sive ut theologice absque controversia certam (Vasquez l. c. disp. 239.).

3°. Quoad postremum de potestate clavium ad absolvendam culpam, possent qui negasse videntur hanc potestatem, ita explicari, ut non ministerialem ac instrumentalem sed potestatem tamquam causae principis negaverint in ministris, et hoc sensu dixerint, solum Deum non vero sacerdotem remittere culpam. Ita certe s. Thomas explicavit Magistrum Lombardum. Doctrina Magistri 4. dist. 18. haec erat. « Varia a doctoribus traduntur super his, et in hac tanta varietate quid tenendum? Hoc sane dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata et retinet; et tamen Ecclesiae contulit potestatem ligandi et solvendi. Sed aliter ipse solvit et ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, quia et animam mundat ab interiori macula, et a debito aeternae mortis solvit. Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi et ligandi, id est ostendendi homines ligatos vel solutos. » S. Thomas in hunc locum 4. dist. 18. q. 1. a. 3. sol. 1. ad 1. ita commentatur. « Sicut Magister dicit in littera, sacerdotibus commissa est potestas remittendi peccata, non ut propria virtute remittant, quia hoc Dei est; sed ut operationem Dei remittentis ostendant tamquam ministri. Sed hoc contingit tribus modis. Uno modo ut ostendant eam non praesentem, sed promittant futuram.... sic sacramenta veteris legis operationem Dei significabant.... Alio modo ut significent praesentem, et nihil operentur ad eam; et sic *quidam dicunt*, quod sacramenta novae legis significant collationem gratiae... Tertio modo ut significent divinam operationem in remissionem culpae praesentem, et ad ipsam aliquid dispositive et instrumentaliter operentur; et sic secundum aliam opinionem, *quae sustinetur commu-*

nius, sacramenta N. L. emundationem ostendunt divinitus factam, et hoc modo etiam sacerdos N. T. ostendit absolutos a culpa. » (Haec doctrina non quidem de operatione *dispositiva,* sed de vera efficacia instrumentali sacramentorum, quam pro suo tempore s. Thomas dicit communiorem, iam a Trid. Concilio sess. VII. can. 6-8; sess. XIV. c. 9. definita est. Cf. tract. de Sacram. th. X. XI.). Disertius et asseverantius de hac ipsius culpae remissione per absolutionem sacerdotis ut per causam instrumentalem agit s. Thomas 3. q. 84. a. 3. ad 3. et in Opusc. V. ed. de Rubeis al. XXII. de Forma absolutionis. Richardus a S. Victore coaevus Lombardo in Tract. de potestate ligandi et solvendi c. 12. ita loquitur. «Exstat *quorundam* de potestate ligandi atque solvendi *sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius quam refellenda.* Putant enim et praedicant, sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos... Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat; dicunt, eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat.»

Porro quisquis sensus fuerit Magistri et aliquot scholasticorum illius temporis, ex ipso modo quo loquitur Lombardus, et ex verbis disertis s. Thomae aliorumque constat, illam doctrinam nec fuisse umquam communem nec fuisse firmae sententiae sed merae opinionis, et tempore iam s. Thomae obsolevisse, ita ut eliquata quaestione veritas opposita in universali consensione ac professione iam sit totius Ecclesiae. Scholasticorum a saeculo XII. ad XVII. hac de re doctrinam ipsis eorum verbis descriptam habes in dissertatione Caroli Du Plessis d'Argentrée: « De contritione et virtute clavium variae scholasticorum sententiae » Parisiis 1712. Confer Morinum de Poenit. l. VIII. et de Contritione et Attritione P. I., quibus locis etiam hic auctor de scholasticorum sententia agit.

SECTIO III.

DE RELATIONE INTER DIVINAM TRADITIONEM ET SCRIPTURAM.

THESIS XVIII.

Praedicatio ecclesiastica est suprema norma interpretationis ss. Scripturarum.

« *Catholicus intellectus* 1° spectatus in authentico iudicio ad uni-
» versam Ecclesiam, vel in consentiente doctrina successionis apostoli-
cae manifestatus, sub assistentia Spiritus Sancti est interpres infal-
» libilis Scripturarum sacrarum; unde 2° huiusmodi authentica interpre-
» tatio quatenus versatur circa singulares Scripturarum textus, simplici-
» ter haberi debet *intelligendi regula;* 3° universim spectata *praedicatio*
» *ecclesiastica* est canon interpretationis significatione *negante*, quod
» sensus ei contradicens numquam potest esse verus, et significatione
» *aiente,* quod ad verum sensum reperiendum vel confirmandum plerum-
» que manuducit et non mediocriter iuvat. »

I. Veritas huius theseos consequitur ex iis omnibus, quae in Sectione I. demonstravimus de totius doctrinae revelatae conservatione et explicatione per magisterium authenticum sub assistentia Spiritus Sancti. Quando docemur, totam « disciplinam qua fiunt Christiani, » in perpetua successione custodum fidei conservari et propagari; « in Ecclesiam tamquam in depositorium dives collata esse omnia quae sunt veritatis, ut quicumque velit hauriat ex ea potum vitae; » « in Ecclesia tamquam in vase bono esse eximium depositum fidei a Spiritu Dei semper iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas, » huius proinde vitae fidei semper iuvenescentis principium esse Spiritum Sanctum: profecto non intelligitur conservatio tantummodo verborum, formularum, et theorematum quae materialiter spectentur; sed intelligitur conservatio et propagatio sincerae intelligentiae veritatum revelatarum, cuius expressio in verbis, formulis, ac theorematibus continetur. Ideo praestantissimas esse vidimus appellationes illas Patribus solemnes: *catholicus intellectus, sensus ecclesiasticus, conscientia communis fidei;* his enim insita propria ratio Traditionis in complexu, h. e. cum suo organo spectatae praeclare exprimitur. Iam vero

ad depositum ab Ecclesia custodiendum pertinent etiam et in primis Scripturae, in quibus « disciplina christiana et ea quae sunt veritatis, » verbis et sententiis auctore Spiritu Sancto ex parte consignata sunt. Ergo a Spiritu Dei conservatur perpetuo in Ecclesia non solum verbum materiale Scripturae sed veritatum, quae verbis Scripturae continentur, *catholicus intellectus* hoc modo et ad hunc scopum, ut ipsum magisterium authenticum in iudicando de vero sensu Scripturae et in eius expositione non erret. Ergo Ecclesia hoc intellectu catholico instructa infallibilis est Scripturarum interpres, quae quidem infallibilitas ultimo revocatur ad assistentiam et directionem Spiritus Sancti.

Ulteriori demonstratione haec non indigent. Quae enim th. VIII. demonstravimus de conservatione totius revelatae doctrinae, et universim intellectus catholici per charisma et per operationem Spiritus Sancti, pari modo demonstrant conservationem intellectus catholici, dum ad doctrinam Scripturis consignatam refertur. Nominatim vero conservationem et traditionem verae intelligentiae Scripturarum in successione apostolica perpetuam esse, ex communibus vetustissimorum PP. principiis ostendimus th. X. n. II. Quin immo ubi PP. sermonem habent *de intellectu catholico, de sensu ecclesiastico, de ecclesiastica intelligentia,* potissimum considerant Ecclesiae intellectum in relatione ad interpretationem Scripturarum (vide th. XI. n. II.).

Sicut enim universa doctrina quae viget in communione et consensione totius Ecclesiae, a magisterio authentico continetur et conservatur, nihilque ratum est quod sit disiunctum et dissentiens, quod fiat privatim ἰδίᾳ, ut loquitur Ignatius (ad Magnes. n.7.); ita Scriptura non est privatae interpretationis (ἰδίας ἐπιλύσεως), sed Spiritus veritatis qui eius est auctor, ut arguit s. Petrus (2. Pet. I. 20.21.), est etiam eius interpres (1) per idem ipsum ordinarium publi-

(1) « Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae *propria interpretatione non fit* (ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται); *non enim voluntate humana allata est* aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines. » Cur Scriptura non sit privatae interpretationis, Apostolus hanc rationem reddit, quia est Scriptura divinitus inspirata.

cum magisterium, quod a Christo institutum universim est organon Spiritus Sancti ad conservationem ét explicationem doctrinae. « His, inquit Origenes de Princip. IV. n. 9, qui credunt sacros libros non hominum esse scripta, sed ex inspiratione Spiritus Sancti voluntate Patris universorum per Iesum Christum eos scriptos esse et ad nos pervenisse, ostendemus vias quae videantur, intelligentiae, ut *inhaereant regulae coelestis Ecclesiae* Iesu Christi secundum successionem apostolicam » (1). Eorum ergo, apud quos « manet Spiritus veritatis in aeternum, » et qui per charisma Spiritus Traditionem Apostolorum custodiunt, est etiam munus authentice declarandi verum sensum Scripturae a Spiritu Sancto inspiratae et continentis doctrinam ac praedicationem Apostolorum. Vide Concilium Tridentinum Sess. IV. cf. Melch. Canum l. XII. c. 7. praeceptione 1.

II. Ex dictis itaque constat, *praedicationem ecclesiasticam* sive per consensum in magisterio authentico sive per definitivum iudicium propositam, sicut generatim est ac dicitur *regula fidei,* ita esse etiam speciatim *regulam intelligendi* Scripturas, et canonem supremum interpretationis.

1°. Si definitio ac solemne iudicium versatur circa determinatum Scripturae locum, et propositum habet huius sensum authentice declarare, constat profecto hunc esse sensum verum et genuinum, quem Spiritus Sanctus scriptionem inspirando expressum voluit (2). Ergo huiusmodi definitio seu iudicium supremus est canon interpretationis, ita ut ceterae omnes regulae interpretandi ductae ex grammatica, philologia, archaeologia, contextu proximo et remoto, scopo auctoris, collatione aliorum locorum etc. ei subordinentur, h. e. eo solum dirigendae et hoc fine adhi-

(1) Postrema verba ita reddit Rufinus: « conabimur demonstrare illam regulam et disciplinam, quam a Iesu Christo traditam sibi Apostoli per successionem posteris quoque suis sanctam Ecclesiam docentibus tradiderunt. » Verba graeca vide supra p. 100.

(2) Sensus multorum textuum Scripturae hoc modo declaratus est e. g. Matth. XXVIII. 19; Io. X. 30; Io. I. 1. 14; XV. 26; XVI. 13. sq.; Luc. XXII. 19. 20; Io. XX. 23; Iac. V. 14; Io. III. 5. (Trid. Sess. VII. can. 2.) etc.

bendae sint, ut sensus quem verum esse iam certo constat, etiam scientifice demonstretur verus esse, atque adeo cur et quomodo verus sit ostendatur. Quis enim quâeso cuiusvis interpretationis est scopus, nisi ut ad verum sensum intelligendum perveniatur? Cum ergo verus sensus quis sit, iam aliunde constat, praesidia interpretationis rite adhiberi non possunt, nisi ad illum ipsum sensum intelligendum ut verum. Quod si ex regulis mere humanae et scientificae interpretationis ad sensum perveniretur illi quomodocumque contrarium vel etiam alium ab eo diversum, eo ipso constaret (in hypothesi quod unus tantum est loci sensus) de interpretationis fallacia, atque adeo praesidia adhibita vel non esse idonea et sufficientia, vel non esse rite adhibita. Si quando igitur disciplina humanae interpretationis scopum suum non assequeretur, non ideo sensus ecclesiastica definitione determinatus minus certus redderetur; sed humanae scientiae proderetur defectus, et scientia ipsa ac bene consulta ratio postularet, ut fateremur aliquid ad veram intelligentiam assequendam necessarium nos latere.

2°. Patet porro, non solum solemni definitione Conciliorum vel Pontificis, sed etiam ex aliunde perspecta consensione in determinatum sensum alicuius loci posse constare de catholico intellectu, ad cuius normam « interpretationis linea » dirigenda sit. Sicut enim a Romano Pontifice vel a Concilio authentice definiri potest, quis sit verus loci alicuius sensus, ita etiam intellectus Ecclesiae sese manifestat in unanimi Patrum consensione, ubi in interpretationem loci alicuius dogmatici vel ad legem morum pertinentis certa et definita sententia conspirant, quamvis priori illo iudicio sensus ecclesiasticus apertius et facilius innotescat quam hoc posteriori modo. Consensum Ecclesiae tum praesentem tum antecedentium aetatum synodus Tridentina statuit ut supremum canonem interpretationis suo decreto sessionis IV. « Ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens *contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ec-*

clesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam *contra unanimem consensum Patrum* ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.» Ex dictis vero constat, hoc decreto non aliud definitum esse, quam quod iam in oeconomia tradendae fidei a Christo ipso instituta continetur, et illa supposita ex ipsis rerum naturis sequitur. « Nihil novi statuit Concilium, inquit Pallavicinus loquens de hoc decreto, nec novam voluit imponere obligationem, sed docere voluit et confirmare obligationem iam existentem, quam fides nostra ex sua natura inducit » Hist. Conc. Trid. l. VII. c. 18. n. 3. 6.

3°. Non minus evidens est, praedicationem ecclesiasticam sive solemni iudicio sive unanimi consensu manifestatam, quando ad determinatum sensum singulorum textuum refertur, non modo esse canonem interpretationis *sensu negante,* h. e. ut nefas sit sensum tribuere Scripturis contradictorium *doctrinae enuntiatae* per intellectum catholicum; sed esse etiam regulam intelligendi *sensu affirmante,* h. e. ut eum ipsum sensum textus Scripturae verum credere oporteat, qui ei subesse consensu Ecclesiae vel iudicio solemni definitus est. Huiusmodi enim definitione non modo declaratur, doctrinam enuntiatam esse veram et esse revelatam, et non solum docetur, quis sensus Scripturae non subsit; sed etiam docetur quis sensus subsit, doctrinam nempe enuntiatam contineri in ipso determinato Scripturae loco. Ecclesia autem non minus per charisma veritatis est infallibilis in explicando sensu Scripturae, in qua depositum fidei consignatum est, quam generatim in custodia et explicatione depositi. Unde non modo interpretatio contradictoria vel contraria sensui definito ab Ecclesia, sed etiam explicatio ita diversa, ut ille ab Ecclesia definitus sensus in hoc determinato textu contineri negetur, convincitur esse « *contra* eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia. »

Decretum Tridentinum forma negante: « ut nemo contra eum sensum... aut unanimem consensum... Scripturam sacram interpretari audeat,» duo continet; ut videlicet *a*) nemo audeat interpretari Scripturam sensu repugnante doctrinae

universali, etiamsi sensus loci Scripturae in quaestionem vocati non esset positive ab Ecclesia definitus, de quo mox dicturi sumus. Ita decretum habet sensum *negativum.* At *b*) directe et explicite statuit, ut nemo audeat Scripturam interpretari contra sensum definitum ab Ecclesia. Ita sensus decreti aequipollet affirmanti, ut nemo nisi iuxta sensum Ecclesiae Scripturam interpretetur, quia, ut diximus, interpretatio quae non est *iuxta sensum definitum,* eo ipso est contra *eundem.* Unde in professione Fidei a Pio IV. praescripta adhibetur forma affirmans. « Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione ss. Scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum PP. accipiam et interpretabor.»

Postremo hunc sensum genuinum decreti Tridentini solemniter declaravit sacrum oecumenicum Concilium Vaticanum Constit. de Fide cathol. c. 2. « Nos idem decretum (Tridentini Concilii) renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, *is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit,* quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; *atque ideo nemini licere* contra hunc sensum vel etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari. »

Proscripta igitur est recentiorum quorundam criticorum sententia, qui fas esse aiebant huiusmodi Scripturae loca sensu etiam diverso interpretari, et negare eum sensum his ipsis locis subesse, quem in eis Ecclesia intellexit vel etiam solemni iudicio declaravit, dummodo nulla inferatur doctrina ceteroquin catholicae fidei adversa, hocque solo sensu negante decretum Tridentinum esse accipiendum. Nec minus excluditur eorum opinio, qui in eodem decreto tantum cautionem quandam disciplinarem non vero declarationem et doctrinam dogmaticam ac irreformabilem agnoscebant. Vide Illmum Ranolder Hermeneut. ed. 2. P. III. §. 56. 61.

III. Ecclesiastica praedicatio universim spectata, quin ad determinandum sensum loci singularis Scripturarum per

se et explicite referatur, est tamen canon interpretationis in primis *sensu negante,* ut nulla interpretatio possit esse vera, quae cuicumque Scripturarum textui ex ipsa sacri scriptoris mente enuntiato sensum tribuat repugnantem proximae regulae fidei, quia veritas non potest repugnare veritati. Praeterea iuvat eadem ecclesiastica praedicatio etiam *positive* ad sensum difficilium locorum tutius et plenius intelligendum. Profecto enim doctrinam et intelligentiam apostolicam de aliquo fidei capite iam aliunde perspectam habere plurimum iuvat interpretationem tum universim in omnibus locis ad illud caput pertinentibus, tum maxime in iis textibus, qui facile quidem intelliguntur ad illud caput doctrinae posse referri, haud tamen ita sunt expliciti, ut sensus sine ulla ambiguitate ex iis solum per se spectatis determinari queat. In huiusmodi quippe locis sacri scriptores ipsi in suis lectoribus pleniorem doctrinae cognitionem ad verum sensum assequendum praesupponunt (vide supra p. 60.). Conferatur e. g. praesuppositus intellectus catholicus de sacramento matrimonii cum Ephes. V. 32. in contextu totius loci v. 23-32; de charactere sacramentali cum 2. Cor. I. 22; Eph. I. 13. (vide tract. de Sacram. in genere th. XII. n.II.); de potestate relicta Ecclesiae concedendi indulgentias cum Matth. XVI. 19; de Filio Dei genito a Patre et subsistente in duabus naturis cum Io. X. 36; XIV. 28; de perfectione scientiae Christi cum Luc. II. 53; de perfectione sanctitatis in immaculata Virgine cum Luc. I. 28. etc. Secundum haec Augustinus de valore baptismi ab haereticis collati fatetur (de Baptism. l. II. c. 4.): « nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae auctoritate firmati; » hac autem firmatus tum interpretationes textuum Scripturae a s. Cypriano aliisque catholicis et deinde a Donatistis contra valorem huiusmodi baptismi prolatas refellit, tum ipse ex variis Scripturae locis probare instituit veritatem auctoritate et Traditione Ecclesiae iam demonstratam (1).

(1) Haec est ratio, cur Patres certas quasdam veritates aliquando sola Traditione cognitas haberi affirment, aliquando vero easdem etiam ex Scriptura vindicare studeant; non vero huius apparentis contradi-

Facile quisque videt, totam rationem praedicationis ecclesiasticae tamquam normae interpretandi Scripturas tum *positiva* tum *negativa* significatione heic declaratam nihil esse aliud quam eam, quae dici solet *lex interpretandi secundum analogiam fidei.* Eius vero applicationem passim videre est apud ss. Patres. Sic Augustinus quoad ipsam ambiguam lectionem vel interpunctionem monet interpretem, ut « consulat *regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit* » de Doctrin. christ. l. III. c. 2. Distinctissime canonem negativum alibi tradit. « Didici, inquit, non haerere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostrae salutis affectant, ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris id est catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum (1).... Et cum divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur et *sanitate catholicae fidei muniuntur,* id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus; si autem hoc latet, id certe quod circumstantia Scripturae non impedit et *cum sana fide concordat;* si autem et Scripturae circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum *quod fides sana praescribit.* Aliud est enim, quid potissimum scriptor senserit, non dignoscere; aliud autem *a regula pietatis errare* » Genes. ad litt. I. c. 21. n. 41. cf. in Io. tract. 18. n. 1. Vides hic *regulam fidei* commendari ut canonem necessarium et universalem tum scientiae cuiusvis tum interpretationis

ctionis solutio in defectu constantium principiorum quaerenda est, quo Patres laboraverint, ut imperite et calumniose asserunt recentiores quidam Protestantes.

(1) His Augustini verbis expressam habes relationem inter scientiam et fidem, ut fides tamquam norma sensu saltem *negativo* dirigat scientias omnes, et theologia, quemadmodum scholastici loquuntur, imperet omnibus aliis scientiis. Hac de re alio loco dicemus.

Scripturarum, si canon intelligitur *sensu solum negante;* non tamen tradi universim ut canonem sensu positivo et tamquam fontem, ex quo vel omnes veritates scientiae humanae vel omnium locorum Scripturae interpretationes derivari possint. Discrimen inter regulam fidei, ut est canon interpretationis positivus et ut est canon solum negativus, expressit idem Augustinus praeclare l. III. de Peccatorum merit. et remiss. c. 4. n. 9., ubi agens de Rom. V. 12. sqq. tantummodo illorum verborum, quibus Adam dicitur « forma futuri, » sensum ait manere ambiguum. « Nam et nos aliud inde aliquando diximus et aliud fortasse dicemus, *quod tamen huic intellectui* (peccati originalis) *non sit adversum* (habes canonem negativum). Cetera vero quae ibi dicuntur, si diligenter advertantur atque tractentur........ etiamsi subobscurum pariant rerum ipsarum necessitate sermonem, *non tamen poterunt alium sensum habere, nisi per quem factum est, ut antiquitus universa Ecclesia retineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consecutos* » (habes in praedicatione ecclesiastica canonem positivum interpretationis). Vide Stapleton l. XI. c. 3.

Corollarium 1. Traditio quatenus est catholicus intellectus doctrinae Scripturarum perpetuo conservandus in successione apostolica, quam aliqui theologi Traditionem *inhaesivam* et *exegeticam* appellant ad distinctionem a Traditione (ut vocant) *constitutiva,* non minus esset necessaria, etiamsi daretur hypothesis Protestantium, totam revelationem obiective contineri in libris divinis. Hanc autem Traditionem Protestantes ex suis principiis adeo non admittunt, quemadmodum nonnulli catholici theologi decepti quorundam Protestantium concessionibus putarunt, ut controversia de illa sit longe praecipua, atque hac legitime terminata reliquae omnes facilem habeant solutionem, ante hanc vero finitam disputationes cum haereticis multum laboris et parum utilitatis habere Patribus visae sint. Cf. Tertull. Praescript. 17-19. et reliquos citatos th. VIII. et th. X. n. II.

Corollarium 2. Postulatum Protestantium, ut interpres ad Scripturas accedat mente minime praeoccupata ullo dog-

mate, sequitur quidem ex eorum principiis; est autem, quatenus excludit etiam fidei doctrinam sub authentico Ecclesiae magisterio praeconceptam, evidenter repugnans oeconomiae tradendae fidei, quam Christus instituit (1). Longe alia est Patrum doctrina, qui sicut ex una parte docent, verba Scripturae divinae reddi verba humana licet retineantur materialiter eadem, si quis *suum* sensum praeconceptum inferat Scripturis et non sensum Scripturarum faciat suum; ita ex parte altera postulant, ut legens Scripturas perspectum habeat intellectum catholicum, et instructus sit regula credendi ab Ecclesia sibi tradita, ad quam sensus Scripturarum exigendus est. Vide Recognition. Clementin. l. X. n. 42; Athanas. contr. Arian. or. III. n. 28; Hilar. de Trin. l. I. n. 18; ad Constant. l. II. n. 9; Hieronym. in Gal. I. 11. (T. VII. p. 386.); Augustin. contr. Faust. l. XXXII. c. 19; ad Consent. ep. 120. n. 13. coll. n. 17; Lirinens. c. 36-38. (cf. supra p. 94-96.).

Corollarium 3. Quod Protestantes adversus catholicos frequenter ingeminare solent, in Ecclesia catholica sacrae hermeneuticae et exegesi nullum posse esse locum vel certe nullum profectum, calumnia est absurda prorsus et ridicula.

(1) Eiusdem speciei et absurditatis est principium Georgii Hermes, quod etiam Frohschammer et ex parte Güntherus adoptarunt. Statuunt illi, fas esse imo et necessarium, ut etiam catholicus philosophus suscepta iam et credita fide, accedat ad examen revelationis ac fidei, non ut quaerat solum scientificam demonstrationem eius, quod iam habet tamquam veritatem certissimam, adeo ut ad nullam aliam conclusionem in inquisitione perveniri possit, omnisque conclusio contraria *a priori* habeatur fallax et erronea; sed examen esse instituendum, aiunt, nulla supposità certitudine ipsius rei inquirendae et adhuc ignorando, ad quam conclusionem inquisitio deductura sit. Hoc autem nihil est aliud, quam instituere examen revelationis et fidei cum *dubio positivo* de veritate fidei catholicae hactenus susceptae et creditae. Quod quidem dubium Hermes non modo concedit sed impense commendat (Praefat. ad Introduct. philosophic. p. X. sqq.); alii post Hermesianae doctrinae damnationem negant quidem, se progredi *a dubio positivo,* re tamen vera licet non progrediantur (ut Hermes) a dubio de omni veritate, nihilominus dubium positivum de veritate revelationis et fidei catholicae in ipso principio et in ipsa methodo includitur. Vide definitiones s. Concilii Vaticani Constit. de Fid. cath. cap. 3. can. 6.

Ex eo enim quod per praedicationem ecclesiasticam et verbum Dei traditum cognitae sunt veritates, quibus repugnans sensus non potest esse verus et proinde non potest subesse verbo Dei scripto, quod ergo constat de aliquo sensu, qui certo non ėst expressus in Scripturis; et quod praeterea per eandem certo constat, quis sensus in nonnullis locis « ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus » sit expressus: ex hac inquam praesupposita certa cognitione ac fide non solum non impeditur scientia interpretationis, sed etiam iuvatur et promovetur. Nihil enim cuicumque inquisitioni scientificae potest esse exoptatius, quam ut iam aliunde perspectum habeatur, quid verum non sit, adeoque qui errores sint vitandi; vel etiam quid verum sit, et quo proinde inquisitiones dirigere oporteat, et quid sit argumentis demonstrandum. Tota adversariorum cavillatio originem ducit ex duplici errore.

Error primus est dogmaticus, quod praedicationem ecclesiasticam et Ecclesiae iudicium habent tamquam opinionem, quae ex ipsis Scripturis examinanda sit a singulis et iudicanda. Certe si humana tantum opinio producatur de sensu Scripturarum, eaque ex una parte dicatur ex Scripturis ipsis examinanda et iudicanda, utrum vera sit, et ex parte altera proponatur ut norma, secundum quam unusquisque Scripturas interpretari iubeatur et iureiurando adstringatur: haec est absurda contradictio et intolerabilis tyrannis, quae solis Protestantibus per duo fere saecula placuit et sic dictis orthodoxis inter ipsos adhuc placet, dum in suos libros symbolicos iurant (supra p. 55. 56.); ab Ecclesia catholica autem explosa semper est et damnata. At si eâdem infallibili certitudine, qua constat Scripturas continere verbum Dei, simul constet, quis sensus eis non subsit vel etiam quis eis subsit; non modo tyrannis non est et intolerabile iugum, sed ex rei natura consequens obligatio simulque felicissima manuductio ad amplectendum verum et respuendum falsum, ad illud argumentis demonstrandum et ad hoc refellendum. Hanc autem infallibilitatem Ecclesiae nos demonstramus. Ceterum dum infallibilitatem negant, disputatio ad aliud iam devolvitur; nec porro repetant in

hypothesi quae nobis est thesis certissima, infallibilitatis Ecclesiae et, ut ipsi loquuntur, in systemate catholico impediri scientiae hermeneuticae profectum et fructum.

Alter error adversariorum, quo nititur cavillatio, est scientificus, quod non advertunt, aliud esse ex auctoritate infallibili certo novisse, quis sensus non subsit vel etiam quis subsit, et aliud intellexisse rationes ac modum ex textu atque contextu, cur et quomodo talis sensus sit verus ac genuinus. Hoc alterum proprius est fructus interpretationis scientificae, atque adeo in exegesi non minus quam in universa theologia locum habet « fides quaerens intellectum. »

Corollarium 4. Per se patet, Ecclesiam non dici iudicem de vero sensu sive Scripturarum sive Traditionum, quasi ipsa eis insitam auctoritatem tribueret. Verbum Dei sive in Scripturis consignatum sive Traditionibus constans, quae etiam per documenta et monumenta conservatae sint, habet auctoritatem ex sese, quia est verbum infinitae veritatis; estque ideo universae Ecclesiae norma credendi. Ecclesia vero sub assistentia Spiritus Sancti solum discernit verbum Dei ab eo quod tale non est, et genuinum eius sensum authentice interpretatur. Non ergo constituimus Ecclesiam supra verbum Dei, ut Protestantes calumniantur; sed dicimus Ecclesiam dirigi verbo Dei in credendo, sicque esse sub verbo Dei; et eandem genuinum verbi sensum infallibiliter intelligere et singulis proponere credendum, sicque esse supra privatam fallibilem intelligentiam singulorum.

THESIS XIX.

Sufficientia Scripturarum a ss. Patribus praedicatur non excludendo sed supponendo Traditionem ac ministerium ad custodiam depositi.

« In comparatione Scripturae cum Traditione haec in primis tenenda sunt: 1°. inter ea quae clare in Scripturis continentur, eminet ipsa demonstratio successionis apostolicae divinitus institutae ad infallibilem custodiam et explicationem traditae doctrinae; 2°. licet concedatur, ea omnia quae ab omnibus fidelibus explicite credenda sunt, contineri explicite in Scripturis, non tamen continentur ita, ut controversiae de iis exortae ex solis Scripturis independenter ab authentico magisterio ad captum omnium finiri queant; neque ergo ad fidei unitatem in catholicitate servandam Scripturae solae sufficiunt; 3°. licet demonstrari semper possit, haereticorum innovationes esse *praeter* Scripturas, et demonstrari plerumque possit, innovationes easdem esse *contra* Scripturas, utrumque tamen non fit independenter a Traditione et citra respectum ad normam catholici intellectus. Unde 4°. non absolute sed triplici hac restrictione supposità praedicari potest et a ss. Patribus praedicatur Scripturarum plenitudo ac sufficientia. »

I. Quod fundamenti instar ponimus, clare contineri in Scripturis revelationem ministerii divinitus instituti ad conservandam et explicandam integram doctrinam fidei, demonstratum est th. IV. V. VII. Et sane qui hoc dogma in Scripturis non vident, iis potius nulla quam omnia dogmata clare in Scripturis contineri affirmandum esset.

Hoc igitur primum sensu potest praedicari, et a Patribus aliquando praedicatur *sufficientia* Scripturae ad omnia dogmata demonstranda. Scriptura enim in hypothesi, quod eius divina auctoritas iam admissa est, plenissime exhibet et demonstrat authenticum magisterium Ecclesiae tamquam principium dirigens (seu principium *formale*), quo perveniatur in cognitionem omnium veritatum fidei, et controversiae omnes decidantur. Aliis verbis idem dici potest: Scriptura clare continet hoc principium, successionem apostolicam esse divinitus institutam custodem et magistram totius revelatae doctrinae; hoc autem principium continet implicite omnes veritates revelatas non quidem *analytice* (tamquam principium *materiale,* ex cuius analysi evolvantur

omnes veritates), sed *directive* (tamquam principium *formale,* quo dirigamur ad cognitionem omnium veritatum). Vide supra p. 5. 6. Ergo hoc sensu Scriptura dici potest continere implicite omnia dogmata revelata.

Huc pertinet Patrum doctrina exposita th. VIII. n. I. 4°; th. X. n. II. Unde eodem hoc sensu Patres etiam eas veritates, quas sola Traditione nobis conservatas esse fatentur, Scripturarum auctoritate niti dicunt. « Quamvis huius rei, ait Augustinus de valore baptismi ab haereticis collati, certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, *earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universae iam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas* » Aug. contra Crescon. l. I. c. 33. n. 39; de Unit. Ecclesiae c. 22. n. 63.

II. Quod in altera parte theseos saltem hypothetice concedimus, concedunt theologi cum Bellarmino De verbo Dei l. IV. c. 11. ad obiect. 1^{am} et 14^{am}; cum fratribus de Wallenburg Controv. general. Tract. VI. de Testimoniis c. 4. n. 14. 15. Ex eadem ratione Patres symbolum apostolicum appellant compendium Scripturarum, atque ideo monent catechumenos, primum ipsam fidem in symbolo comprehensam « in latitudine cordis inscribendam esse, » et postea « opportuno tempore *singulorum etiam adsertionem ex Scripturis* excipiendam » Cyrill. Hierosol. catech. V. n. 12; August. serm. de symbolo ad catechum. c. 1; Cassian. de Incarnat. l. VI. c. 3. Quod vero in hac parte affirmamus, illud est, neque in his articulis qui explicite ab omnibus credendi sunt, intelligentiam Scripturae esse independentem ab authentico magisterio, ut singuli ex Scripturis doctrinam fidei sibi componant, et controversiae exortae citra auctoritatem magisterii et iudicis authentici ex solis Scripturis ad captum omnium terminari possint.

1°. Symbolum non eo sensu est vel a Patribus dicitur *compendium Scripturae*, quod singuli privata sua intelligentia illud ex Scripturis sibi componant aut componere possint; sed imo ordine inverso secundum oeconomiam ordinariam a Christo institutam symbolum ac fundamenta

christianae doctrinae ab Apostolis praedicata et ut depositum commissa suis successoribus singuli suscipiunt ab Ecclesia anthentice docente, atque in tradita hac fide universali constituitur regula et norma ad intelligendas Scripturas, eo quo demonstratum est modo th. X. n. II; th. XVIII. coll. th. XI.

2°. Hoc ipsum manifestum est ex iis quibus demonstravimus, Scripturas ex nativa sua indole non esse ita comparatas atque ideo non eo fine datas, ut singuli ex eis independenter a magisterio authentico fidem sibi construant, sed esse datas ut sint in Ecclesia et sub authentico magisterio successionis apostolicae instrumentum doctrinae th. VII. n. II.

3°. Idem demonstratur luculentissime ex historia haereseon. Haereses enim omnes etiam contra articulos omnibus explicite credendos non aliunde aut ortae aut defensae sunt, nisi quod, ut ait Augustinus, « Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur » Aug. in Io. tract. 18. n. 1. Orta autem controversia de vero sensu Scripturae componi non potest nisi auctoritate infallibilis magisterii, cui obedientia fidei praestanda sit, vel scientifica demonstratione. Huic alteri percipiendae et aestimandae impar est maxima pars hominum, qui credere tenentur cf. th. VI. n. I; ergo securitas intelligentiae singulorum necessario pendet ab auctoritate magisterii infallibilis. Cf. Tertullianum Praescript. c. 15. sqq. et Patres reliquos, quos citavimus th. X. n. II. et th. XVIII. Coroll. 1.

III. Partis tertiae assertio *prima* per se evidens est, posse nempe semper demonstrari haereticorum innovationes esse *praeter Scripturas;* hoc enim idem est ac dicere, errores contra fidem non contineri in verbo fidei.

Assertio *secunda,* posse plerumque demonstrari haereticorum errores esse *contra Scripturas*, revocatur ad hanc aliam, pleraque fidei dogmata ab haereticis impugnata, et generatim loquendo plerasque veritates revelatas obiective contineri in ipsis Scripturis. Cuius quidem assertionis demonstrationem indirectam exhibent omnia ss. Patrum opera

et theologorum omnium disputationes; rarae enim sunt fidei veritates, quas non reperias apud ipsos demonstratas ex Scripturis, rarissimae cum haereticis controversiae, in quibus iidem PP. et theologi ad Scripturas non appellent.

At vero, quae est *tertia* assertio, in interpretandis Scripturis singuli prae oculis habeant necesse est tamquam principem normam ac regulam intelligendi praedicationem ecclesiasticam ac doctrinam per viventem semper successionem apostolicam conservatam et ab authentico magisterio declaratam. Nam etiam veritates, quae obiective continentur in Scriptura et ex ea a Patribus ac theologis demonstrari solent, in primis *non omnes clare* in ea continentur ita, ut citra testimonium Traditionis demonstrari possent; deinde quae etiam clare continentur, non continentur *pro omnibus* qui credere tenentur, ita ut ex Scriptura sola citra auctoritatem magisterii eas intelligere possent (praecisione interim facta a modo, quo Scripturae ipsius auctoritas cognoscatur); postremo non continentur *pro statu controversiae* ita, ut ortae de vero sensu controversiae ad captum omnium, et ad fidei unitatem in catholicitate servandam citra iudicium authentici magisterii terminari possint (cf. n. II.).

Etiamsi ergo pleraeque veritates revelatae clarius vel obscurius in Scriptura contineantur, immo etiamsi omnia dogmata credenda continerentur in Scripturis, ea tamen est Scripturae explicandae relatio ad praedicationem ecclesiasticam et ad authentici magisterii explicationem, ut *a*) praedicatio ecclesiastica et authentica definitio quatenus refertur ad sensum singularium textuum determinandum, sit norma intelligendi *simpliciter;* ut *b*) praedicatio ecclesiastica et fidei regula, prout per custodes depositi conservatur et explicatur, universim spectata habeatur norma in intelligendis Scripturis saltem *sensu negativo;* ut *c*) etiam universim spectata praedicatio sit in multis demonstrationibus ex Scriptura petendis norma dirigens et *positive* iuvans securam et pleniorem veri sensus intelligentiam (th. XVIII.).

Unde etiam in veritatibus Scripturâ comprehensis ultimum iudicium de vero sensu et definitio, quae dogmata

et quo sensu in Scriptura contineantur, et exortae forte dubitationis de vero sensu authentica terminatio omnium captui accommodata revocatur ad auctoritatem magisterii. *Proxima norma credendi* proinde constituitur in hoc ipso iudicio et in consentiente praedicatione ecclesiastica, quae partim Scripturas ipsas exhibet secundum verum sensum explicatas, partim normam suppeditat directricem verae explicationis (1).

IV. Iam triplici hoc sensu, ss. Patres non raro praedicant Scripturarum sufficientiam, quod scilicet *a*) dogmata omnibus explicite cognoscenda, vel speciales veritates quaedam ab haereticis in controversiam vocatae obiective contineantur in Scripturis; quod *b*) supposito magisterio Ecclesiae et catholico intellectu ex Scripturis et secundum Scripturas cognosci possint; quod denique *c*) ipsa auctoritas docentis Ecclesiae in Scripturis designatur tamquam norma universalis ad fidei susceptionem et cognitionem.

1°. Illustrabimus haec principia aliquot exemplis desumptis ex Patrum locis, ubi plenitudinem et sufficientiam Scripturae maxime praedicare videntur.

Clarissimum exemplum exhibet s. Vincentius Lirinensis Commonitor. c. 1. et 2. Dicitur ibi « *Scripturarum canon perfectus sibique ad omnia satis superque sufficiens.* » At *a*) non agitur absolute de omnibus capitibus revelatae doctrinae, sed agitur de doctrinis tum in controversiam vocatis ab haereticis, quos nominatim recenset. Immo directe ibi agit Vincentius de necessitate Traditionis, illam autem Scripturae sufficientiam ponit in obliquo per modum obiectionis (2); unde non erat necesse distinctius eam decla-

(1) Ex his patet absurditas obiectionis Protestantium, qui catholicos theologos contradictionis accusare solent, quia ex una parte theoretice defendunt necessitatem Traditionis, ex parte altera practice ita habent controversias et demonstrationes theologicas, ut omnes fere suas theses in primis ex Scriptura probare instituant. Aliud enim est veritates ex praedicatione ecclesiastica susceptas et intellectu catholico tamquam norma supposito probare ex Scripturis, et aliud his omnibus reiectis suam privatam intelligentiam constituere normam ac iudicem unicam veri sensus universae Scripturae.

(2) « Hic forsitan requirat aliquis, cum sit perfectus Scripturarum

rare, sed simpliciter potuit in capitibus ab haereticis impugnatis Scripturae sufficientiam admittere, dummodo tamquam norma interpretandi praesupponatur *Traditio.* Hinc *b*) diserte declarat, etiam adversus haereticos illos fidem muniendam esse dupliciter « primo scilicet divinae legis (Scripturae) auctoritate, tum deinde *Ecclesiae catholicae Traditione.* » *c*) Causam cur etiam in his, quae verbo scripto continentur, necessaria sit Traditio, exponit notissimâ illâ sententiâ: « quia Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt... idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. » Immo *d*) nemo dubitat, Scripturam esse et dici posse absolute sufficientem, si « divinum canonem secundum universalis Ecclesiae Traditionem et iuxta catholici dogmatis regulas interpretemur, » ut monet Vincentius in recapitulatione c. 38. Est igitur hic a Vincentio exhibitus ordo plane oppositus methodo Protestantium. Non agitur de sufficientia Scripturae, ut ex ea unusquisque totum complexum credendorum sibi construat; sed fides integra et catholicum dogma suscipitur a magisterio universalis Ecclesiae. Scriptura autem secundum Traditionem et iuxta catholicum dogma explicata sufficiens est velut divinum instrumentum doctrinae ad hoc ipsum dogma confirmandum et defendendum; vel enim Scriptura divina iuxta catholicum intellectum explicata exhibet ipsum dogma in se, vel certe demonstrat infallibile magisterium Ecclesiae, a quo dogma sit suscipiendum (cf. n. I.).

Exemplum alterum sumi potest ex s. Augustino de Doct. christ. l. II. c. 9. n. 14. « *In iis quae aperte in Scripturis posita sunt,* inquit, *inveniuntur illa omnia, quae continent fidem moresque vivendi;* spem scilicet atque charitatem de quibus libro superiore tractavimus. » Iam vero *a*) nomine *fidei* non complectitur Augustinus, quidquid in verbo revelato continetur; sed intelligit veritates in symbolo apostolico

canon sibique ad omnia satis superque sufficiens, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? » Vincent. l. c.

et publica ac explicita omnium professione comprehensas; moresque vivendi non omnia morum praecepta, sed spem aeternorum bonorum ac dilectionem Dei et proximi universim intelligit, ut ex libro I, ad quem appellat, manifestum est. *b*) Ad haec ipsa ex Scripturis intelligenda Augustinus Traditionem institutionemque christianam a magisterio Ecclesiae acceptam supponit. Instruit enim hoc libro Christianum, quomodo pervenire possit ad « gradum scientiae, » quae fidem supponit. Ad comparandam hanc scientiam, monet s. Doctor, oportere primum libros canonicos ex Traditione Ecclesiae cognoscere et suscipere; deinde aliquam generalem eorum quae libri continent, notitiam esse acquirendam. Tum distinguendo inter ea quae aperte posita sunt, et inter obscuriora, « illa quae in eis (Scripturis) aperte posita sunt, inquit, vel praecepta vivendi vel regulae credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt; » postremo etiam « quae obscura sunt, aperienda et discutienda. » Quando igitur Augustinus dicit, « omnia quae continent fidem moresque vivendi, aperte esse posita in Scripturis; » his verbis nec omnia revelata in Scripturis contineri significat, multoque minus necessitatem excludit Traditionis et authentici magisterii. Ceterum quid senserit Augustinus de Traditione, aliunde ex fere omnibus eius libris et nominatim ex disputationibus de valore baptismi ab haereticis collati satis constat. Clarissime enuntiat tum principium *formale* Traditionis, custodiri nimirum Traditionem apostolicam per magisterium et ministerium Ecclesiae, tum principium *materiale,* doctrinam traditam latius patere quam Scripturas, de quo posteriori in sequenti thesi distinctius dicemus. « Consuetudinem (non rebaptizandi ab haereticis baptizatos) credo ex apostolica Traditione venientem, *sicut multa, quae non inveniuntur in litteris eorum* neque in Conciliis posterorum, et tamen *quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur* » Aug. de Baptism. l. II. c. 7. n. 2.

Exemplum aliud non admodum dissimile est penes Chrysostomum hom. 3. in 2. Thess. n. 4. (T. XI. p. 318.). « Quid opus est homilia? *Omnia sunt clara et recta, quae sunt in*

divinis Scripturis; manifesta sunt, quaecumque sunt necessaria. » At scopus Chrysostomi est hortari auditores, ut non solum ad sermonem oratoris conveniant in ecclesia; sed etiam lectionem prophetarum, epistolarum, et Evangelii, quae fit a lectore et diacono, diligenter audiant. Itaque *a*) supponit auditores in fide institutos secundum ordinariam Ecclesiae oeconomiam; non autem in mentem ei venit illa a Deformatoribus saeculi XVI. conficta claritas Scripturarum, ut ex eis independenter a magisterio Ecclesiae unusquisque symbolum ac fidem sibi componat. *b*) « *Omnia illa necessaria et in Scripturis manifesta* » apud Chrysostomum non sunt omnia revelata, immo neque ea quae omnibus sunt explicite credenda; non enim de his necessariis loquitur. Sed illis verbis significat omnes conditiones necessarias, ut fideles ad piam aedificationem ex auditione lectionis fructum capere possint; quia, ut ait, saltem historias possunt intelligere, vel saltem intelligere aliqua, « *ut de iis quae sunt obscura, interrogent.* » Ergo *c*) claritas Scripturae a Chrysostomo non opponitur necessitati Traditionis et auctoritatis Ecclesiae in docendo, sed excusationi auditorum, qui socordiam audiendi divinam lectionem cohonestare volebant praetextu obscuritatis Scripturae. Si quaeris apud Chrysostomum comparationem Scripturae cum Traditionibus, eam habes in sequenti hom. 4. in 2. Thess. n. 2. (p. 532.). « Perspicuum est, inquit, quod non omnia (Apostoli) per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis (ἀγραφως); aeque vero haec et illa sunt fide digna; ergo et *Traditionem Ecclesiae* censeamus fide dignam: *Traditio est, nihil ultra quaeras.* »

2°. Sicut ubique, ita et hic ad genuinum sensum ss. Patrum assequendum prae oculis habendi sunt sermonum contextus.

a) Quando magnificis laudibus efferunt Scripturarum supremam et divinam auctoritatem, excellentiam et copiam doctrinae, in his nihil est, quod non omnes catholici sentiant et amplectantur, vel quod institutionem magisterii ad authenticam declarationem veri sensus Scripturarum, aut divinas Traditiones etiam eas quae explicite Scripturis non continentur, in dubium adducat.

b) Quando Patres plenitudinem et sufficientiam Scripturarum praedicant locutionibus *affirmantibus*, non excludunt sed supponunt tum magisterium successionis apostolicae in Scripturis demonstratum ut principium dirigens ad cognoscendam totam revelationem (n. I.), tum Traditionem obiectivam et praedicationem ecclesiasticam tamquam regulam interpretandi verum sensum Scripturae. Agunt igitur de plenitudine obiectiva Scripturae *explicandae*. Hanc deinde ipsam obiectivam plenitudinem numquam censuerunt absolutam et quoad omnes et singulas veritates; sed relativam vel quoad praecipuas veritates ab haereticis impugnatas (ut Lirinensis l. c., et Cyrillus Hieros. cat. IV. n. 17.), vel quoad singularia et specialia quaedam capita. Ita Athanasius orat. cont. gent. n. 1. ait, *ad fidem in Christum indicandam* « sufficientes esse sacras Scripturas; » plurimos autem, subdit, existere libros magistrorum nostrorum, « quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem aliquo modo intelliget et cognitionem quam desiderat, assequi poterit. » Ita Tertullianus contr. Hermogen. c. 22. de historia *creationis coeli et terrae* Gen. I. 1. « adoro, inquit, Scripturae plenitudinem, qua mihi et factorem manifestat et facta » (1).

c) Quando Patres praedicant sufficientiam Scripturae locutionibus *excludentibus*, ut dicere videantur, nihil esse divinum, nihil (ad religionem pertinens) verum, nihil credendum, quod scriptum non est; exclusio non refertur ad Traditionem, sed ad fontes spurios et ad argumentationes haereticorum, ex quibus doctrinas *contrarias* Scripturis vel *diversas* a tota, qua late patet, revelatione deducebant. Videlicet haeretici provocabant vel ad philosophiam et deductiones rationis, ut Sabelliani, Ariani maxime factionis Eunomianae, Nestoriani et alii plerique; vel ad facta quaedam humana particularia, ut Donatistae; vel ad libros apo-

(1) Tertullianus ibi ex primis Geneseos capitibus ostendit, in Scriptura ubi de rerum productione agitur, semper commemorari sicut causam efficientem et effectum, ita etiam causam materialem, si quae erat. Haec igitur quia nulla memoratur Gen. I. 1., concludit, nullam fuisse; idque concludit ex *plenitudine* Scripturae in illo loco, i. e. ex scopo enumerandi omnia, quae in productione intervenerant.

cryphos, ad fictas prophetias et traditiones, ut Montanistae et Manichaei. Hinc Patres a fallacibus ratiociniis philosophorum et a fontibus apocryphis provocabant ad Scripturas. Pariter quando haeretici ad suam causam tuendam inferebant quaestiones de factis quibusdam particularibus, quae poterant tricis et obscuritatibus involvi, e. g. quid Concilia Episcoporum Arianorum valeant auctoritate (cf. Augustin. contra Maximin. l. III. c. 14.); utrum Felix Aptungitanus ordinator Caeciliani fuerit traditor; utrum in ecclesiis Donatistarum fierent miracula (cf. August. contra Petilian. de unico Baptism. c. 17; de unit. Ecclesiae c. 3. n. 5. 6; c. 18. n. 48; c. 19. n. 49.): Patres sapientissime sepositis huiusmodi factis, ad probanda specialia illa capita doctrinae ab haereticis impugnata inducebant Scripturas, quia has etiam haeretici agnoscebant ut fontem communem cum catholicis (1). Ad *solas* autem Scripturas non appellabant, nisi quatenus vetabant α) aliquid proferri ex fontibus apocryphis; vel β) urgeri aliquid *contra Scripturas* ex humanis inventis et sophisticis argumentationibus; vel γ) haberi ut revelatum, quod singuli aliqui homines absque auctoritate proferebant.

3°. Secundum haec principia facile sensum assequeris textuum quos ex ss. Patribus Protestantes coacervarunt, quosque collectos habes apud Bellarminum De verbo Dei l. IV. c. 11. et apud alios. Quando ait Basilius: « infidelitatis argumentum est aliquid velle superinducere eorum, quae non sunt scripta » (or. de Fide n. 1. 2.), id s. Doctor ipse ibi (n. 2.) explicat intelligi de iis, quae sunt « aliena a Domini doctrina » ἀλλοτρια της του κυριου διδασκαλιας (cf. Basilii doctrinam de Traditione citatam supra p. 16.). Quan-

(1) « Nunc nec ego Nicaenum nec tu debes Ariminense tamquam praeiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius (Ariminensis) auctoritate nec tu illius (Nicaeni) detineris, *Scripturarum auctoritatibus non quorumque propriis sed utrisque communibus testibus res cum re....* concertet » Aug. contra Maximin. Arianum l. c. « Non audiamus: haec dicis, haec dico (obiectiones traditionis librorum sacrorum, thurificationis, excitatae persecutionis); sed audiamus: haec dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici, *quorum auctoritati utrique cedimus, utrique servimus; ibi quaeramus Ecclesiam* » De unit. Ecclesiae contra Donatist. c. 3. n. 5.

do alii aiunt, « cogitationem auditoris claudicare, si quid dicitur sine Scripturis et ex sola animi ratiocinatione ; » « non esse quaerendum quid huic vel illi videatur, sed esse Scripturas consulendas; » « non ex propriis ratiocinationibus esse loquendum (in negotio fidei) sed ex Scripturarum consequentia: » satis patet opponi auctoritatem Scripturae inventis humanis, quae nulla nituntur sufficienti auctoritate, non autem esse sermonem de exclusione Traditionis. Ita Theophilus Alexandrinus contra Origenistas negantes Christi regnum aeternum ait, « daemoniaci spiritus esse aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum, » in oppositione ad commenta humana, ut declarat ipse Theophilus; accusat enim ibi Origenem, « quod philosophorum argutias propriis tractatibus miscuisset... ignorans daemoniaci spiritus esse instinctum sophismata humanarum mentium sequi et aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum » (ep. paschal. n. 6. Galland. T. VII. p. 617.). Similiter quod ait Origenes, duo Testamenta sufficere, « ex quibus liceat omnem rerum scientiam capi, et nullam aliam tertiam Scripturam debere ad auctoritatem scientiae suscipi » (in Lev. hom. 5. n. 9.), id intelligitur de sufficientia Scripturae ut instrumenti doctrinae pro fidelibus Christianis ad exclusionem librorum apocryphorum. Tum illud Hieronymi: « quod absque auctoritate et testimoniis Scripturarum, quasi Traditione apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei » in Agg. I. 11, dictum est de « conciliabulis haereticorum, » et testimonia Scripturarum opponuntur ad excludendas confictas traditiones.

Peccant igitur Protestantes multipliciter, dum Patribus adscribunt suam sententiam, qua dogmata omnia ex Scripturis demonstranda esse defendunt, ut Traditionis auctoritatem infringant. Nam *a*) generatim quod Patres dicunt de Scripturis praesupposito magisterio authentico et catholico intellectu, illi detorquent ad excludendum idem magisterium (1). Speciatim *b*) quod PP. negant haereticis fon-

(1) **In hoc modo solas Scripturas admittendi seposita auctoritate Conciliorum et Patrum praeiverant Protestantibus Maximinus Arianus (apud Aug. Collat. cum Maxim. n. 1.), Pelagius (apud eund. de natur. et**

tibus profanarum novitatum, illi transferunt ad negandam Traditionem; quod denique *c*) PP. affirmant de sufficientia Scripturae sub certis conditionibus et in certis quibusdam doctrinae capitibus, ipsi sumunt absolute et universim quoad totam revelationem propositam ad credendum.

Consule Bellarminum l. c.; Gregor. de Valentia Analys. fidei l. VIII. c. 6; Stapletonum l. XII. c. 11; Card. Du Perron contra Regem Angl. l. III; Wirceburgens. de Tradit. n. 67. 69. 71; P. Perrone de Tradit. n. 381. sqq.

Scholion 1. Quae a Protestantibus ex Scripturis ipsis ad exclusionem Traditionum proferri consueverunt, vix commemoratione digna sunt. Quid quaeso adversus necessitatem aut existentiam Traditionum divinarum inferas ex eo, quod « omnis Scriptura divinitus inspirata utilis dicitur ad docendum etc. » ? 2. Tim. III. 16. Nam *a*) affirmatio sive utilitatis sive necessitatis unius medii ad aliquem finem non est exclusio necessitatis alterius medii. *b*) Non agitur ibi de Scriptura tumquam unico fonte, in quo revelatio contineatur et ex quo haurienda sit revelationis cognitio ; sed de instrumento doctrinae, quo homo Dei in fide iam institutus perficiatur. *c*) Utilitas de qua ibi sermo est, enuntiatur non solum de tota Scriptura *complexive* sed de unaquaque Scriptura *distributive* sumpta, i. e. saltem de quovis libro ad Scripturam pertinente, et cui hoc nomen Scripturae competat; neque enim subiectum est *tota Scriptura* πασα ἡ γραφη, sed *omnis Scriptura* i. e. quaevis Scriptura πασα γραφη. Quis autem umquam dixit, quemvis librum Scripturae comprehendere omnes et singulas veritates fidei?

Quod Moyses in ultimo suo testamento Deut. IV. 2. monet populum: « non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo; custodite mandata Domini Dei vestri, » h. e. quod iubet legem a Deo datam servari inviolatam, et quod vetat addere humana praecepta tamquam divina; id sicut neque universim negat futurum incrementum revelationis, quae non per Moysen, sed post continuum in veteri

grat. c. 39. n. 46.), Pneumatomachi (apud Basil. de Spiritu Sancto c. 10. n. 25.), Eutyches in Concilio sub s. Flaviano (Harduin. Collect. T. II. p. 142. 186.). Conf. Möhler Symbolic. l. I. c. 5. §. 39.

lege progressum a Filio Dei demum incarnato et per Spiritum Sanctum in Apostolis completa est, neque excludit novas Scripturas inspiratas libris Mosaicis addendas: ita nec excludit Traditiones divinas. Pariter comminatio s. Ioannis Apoc. XXII. 18. 19: « si quis apposuerit ad haec... et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius ; » nihil continet aliud quam prohibitionem corrumpendi vel sensum vel textum ipsum libri divini.

Quod denique non erubuerint appellare ad verba Christi, ubi *a*) traditiones et δευτερώσεις a legis peritis inductas docet mandato Dei posthabendas vel etiam inanes fuisse; et *b*) absolute reprobat eas traditiones et interpretationes scribarum, quae legem Dei in alienum sensum detorquebant Matth. XV. 2. sqq.; Marc. VII. 5. sqq.; appellatio deinde ad monitum Apostoli Coloss. II. 8, ut fideles sibi caveant ab ea philosophia et iis traditionibus hominum, quae videntur semina et exordia fabularum Gnosticarum fuisse, de quibus Irenaeus aliique Patres II. saeculi agunt: huiusmodi inquam appellationes nihil probant aliud, quam malam causam a pessimis et ineptis patronis defendi.

Scholion 2. Quod in thesi n. II. diximus, concedi a catholicis theologis, obiective contineri in Scripturis omnia, quae ab omnibus necessario sunt explicite cognoscenda et credenda, longe diversum habet sensum ac doctrina Protestantium, qua iureiurando profitentur: « Scriptura sacra omnia continet ad salutem necessaria, ita ut quidquid ibi non legitur nec possit per eam probari, non debeat ab aliquo exigi, ut credatur velut articulus fidei aut censeri necessarium ad salutem » (ita articulus VI. anglicanus). Nam praeter modum diversum probationis authenticae ex Scripturis, quem Christus in sua Ecclesia instituit et cui Protestantes plane alium substituerunt, qua de re iam saepe diximus; quoad ipsam comprehensionem obiectivam *a*) dum catholici concedunt, contineri in Scripturis omnia, *quae nemini ignorare licet;* non ideo etiam concedunt, contineri in Scripturis omnia *in Ecclesia necessario credenda. b*) Cur *cognitio et fides explicita* alicuius articuli non requiratur ab omnibus, non concedunt rationem esse illam, quod talis

articulus non contineatur in Scripturis. *c*) Non concedunt, articulis in Scriptura non contentis posse ab aliquo sine haeresi et defectione ab Ecclesia fidem negari, si ei scilicet ab authentico magisterio tamquam in divina Traditione contenti sufficienter proponantur. Protestantes vero haec omnia affirmant in illa sua iurata professione, contineri videlicet et probari posse (independenter ab auctoritate magisterii) ex Scripturis omnia ipsi Ecclesiae necessario credenda; doctrinam eo ipso, quod non continetur in Scripturis, non esse necessario credendam; huiusmodi proinde doctrinam quae in Scripturis et ex Scripturis solis probanda non contineatur, numquam et nullo modo cuiquam posse proponi ita, ut necessario sit credenda. Nihil ergo concessio illa catholicorum commune habet cum hac haeresi Protestantium.

THESIS XX.

De existentia Traditionum divinarum, quae non continentur in Scripturis.

« Quod spectat ad factum ipsum existentiae Traditionum, quae scriptae non sint; 1°. evidenter constat, nec ex rerum naturis nec ex ordine divinae providentiae in historia revelationis manifestato requiri ad obsequium fidei exigendum hanc velut conditionem, ut veritas credenda Scripturis consignata sit; 2°. demonstrato *principio Traditionis formali* de instituta scilicet successione apostolica ad servandum integrum fidei depositum, negari non potest catholicum *principium materiale,* etiam post absolutum canonem Scripturarum, *verbum Dei Traditione conservatum et obiectum fidei christianae latius patere, quam verbum Dei scriptum*; 3°. Protestantes suum principium ut in ipsorum libris symbolicis et confessionibus expressum est, non latius patere verbum Dei credendum quam verbum Dei scriptum, sine manifesta contradictione tueri non possunt. »

I. Quod dicimus in prima assertione vix indiget demonstratione. Ex rei enim natura evidenter idem obsequium fidei debetur infinitae veritati, quoties de facta aliqua revelatione certo constat, seu quoties verbum Dei sufficienter est propositum, sive propositio fiat per divinam Scripturam sive alio quovis modo. Revelatio ipsa quae exstat in Scripturis, revocatur ad revelationem immediatam patriar-

chis, prophetis, Apostolis primitus factam sine Scripturis. Sane Protestantes ipsi de hac re non dubitant; sed asserunt, propositionem sufficientem revelationis mediatae in praesenti saltem ordine, diu post primam promulgationem fieri non posse nisi per Scripturas. At vero sicut Deus primos suos legatos ad primam revelationis promulgationem potuit reddere et reddidit fide dignos motivis credibilitatis; ita profecto potest per omne tempus futurum constituere suos legatos ad conservandam et praedicandam revelationem primitus factam, eosdemque partim repetitis et continuo permanentibus motivis credibilitatis immediate in se ipsis, partim et potissimum per connexionem cum primis illis legatis et per promissiones infallibilitatis in hac connexione eis factas demonstrare et exhibere fide dignos atque infallibiles testes. In hac autem hypothesi profecto eadem est obligatio hisce legatis fidem adhibendi conservantibus et attestantibus veritatem pridem revelatam, sive in Scripturis sive sine Scripturis eam proponant, sicut fuit obligatio adhibendi fidem primis legatis revelationem sibi factam etiam sine Scriptura attestantibus. Quamdiu ergo de rerum naturis solum quaeritur, id unum constat, Deum (si aliquid revelare velit et fidem postulare in omne futurum tempus) debere sibi, ut tum primam revelationem reddat fide dignam, tum modum aliquem eligat conservandi integram et semper dignam fide tamquam verbum Dei eandem revelationem. Adeoque si modus conservandi est Scriptura, requiritur ut quovis tempore adsint sufficientia motiva credibilitatis, in ea contineri sincerum et incorruptum verbum Dei; si modus conservandi est auctoritas testium pro Deo legatione fungentium sine Scriptura, requiritur ut semper adsint sufficientia motiva credibilitatis, per eorum attestationem proponi sincerum et incorruptum verbum Dei. Utrovis autem posito idem sane fidei obsequium debetur verbo Dei sive scripto sive non scripto; eo tamen discrimine, quod auctoritas testium, qua *sine Scripturis* credibile et credendum proponatur verbum Dei, facile intelligitur; auctoritas vero credibilis Scripturarum *sine testibus* innotescere et conservari non potest. Sed de hac re alibi.

Nunc de eo quaeritur, quod in prima parte theseos habet secunda nostra assertio. Licet enim ex internis rerum naturis non requiratur, ut verbum credendum sit verbum scriptum; posset nihilominus providentia Dei revelatoris voluisse mediatam revelationem numquam proponere credendam nisi scriptam. Quod si ex historia revelationis ostendi posset, non demonstraret quidem Scripturae necessitatem absolutam ex rerum naturis; sed tamen demonstraret, eam esse conditionem aliquam, sine qua Deus ex sua libera electione in praesenti ordine humani generis non proponeret revelationem. Contra vero si ex historia revelationis ostendi potest, saltem usque ad illud tempus de quo controversia movetur, veram a Deo revelatam religionem numquam exstitisse, quin ex dispositione divina aliquas veritates revelatas comprehenderit non scriptas et sola Traditione transmissas; si insuper ostendi potest, etiam post absolutum canonem librorum divinorum persuasionem de aequali oeconomia revelationis christianae semper perdurasse certissimam theoretice et practice in ipsa societate christiana inde ab Apostolis derivata: id per se spectatum est argumentum certum, spectatum polemice est saltem praeiudicium gravissimum, etiam in deposito revelationis christianae contineri veritates credendas, quae Scripturis consignatae non sint. Atqui hoc utrumque ex historia revelationis certo constat. Ergo argumento per se certo, polemice praeiudicio gravissimo ex historia revelationis probatur, secundum dispositionem divinae providentiae etiam in praesenti ordine non requiri comprehensionem in Scripturis, ut aliquid ad verbum Dei credendum pertineat; sed imo sicut antea semper latius patuit, ita etiam post canonem Scripturarum absolutum latius patere verbum Dei credendum quam verbum Dei scriptum.

Sane evidenter constat, populum Dei inde ab origine humani generis usque ad haeresim saeculi XVI. semper in sua fide ac professione habuisse aliqua dogmata ceu divinitus tradita, quae in Scripturis non continebantur.

1°. Inde ab origine generis humani usque ad Moysen revelatio primitus data de Deo creatore et sanctificatore,

de cultu divino divinaque lege, de vita futura, de angelis bonis ac malis, et maxime de futuro humani generis reparatore servabatur absque ulla Scriptura *saltem* penes eos, qui usque ad tempus fere universalis depravationis regebantur Spiritu Dei, et sub nomine *filiorum Dei* distinguebantur a *filiis hominum* (Gen. VI. 2. 3.), sicut postea « populus Dei, populus Deo peculiaris, populus iustus et semen sine querela, » cui « credita erant eloquia Dei, » distinguebatur a nationibus (cf. Sap.X.15; Rom.III. 2; IX. 4.). Servabatur autem primitiva revelatio partim ministerio ordinario per successionem patriarcharum, partim extraordinario per charisma Spiritus prophetici, quo tum conservationi tum explicationi et proficienti semper incremento revelationis consultum erat (cf. Conc. Trident. sess. VI. cap. 2.).

De patriarchis ante diluvium paucissima quidem novimus; quae enim post revelationem factam Adamo de eis in Scriptura indicantur, ad haec fere reducuntur. De Enos filio Seth iuxta versionem vulgatam dicitur: « iste coepit *invocare nomen Domini* » Gen. IV. 26; seu ut est in textu hebraico: « tunc coeptum est *invocari nomen Domini* » (1), quod non de prima institutione (facta iam in Adam, Abel, Seth), sed de propagatione et praedicatione publici cultus ac religionis intelligi debet. « Septimus ab Adam Enoch » dicitur *prophetasse* Iud. 14. (2). Irenaeus (l. IV. c. 16. n. 2.) exhibet eundem Henoch ut *Dei legatum,* quamvis falso putaverit functum esse legatione ad angelos, commutans nimirum cum aliis antiquis versione LXX. deceptis *filios Dei* Gen. VI. 2. cum angelis lapsis. De Noe scriptum est: « octavum Noe *iustitiae praeconem* custodivit (Deus) dilu-

(1) אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָֹה

(2) Inter viros gloriosos Ecclesi. XLIV. laudantur etiam patriarchae qui floruerunt ante diluvium; nominatim Henoch et Noe. Laudes ergo generales quae v. 1-15 celebrationi speciali singulorum praemittuntur, cur *sensu accommodo* non etiam ad primaevos illos patres referendae sint, non apparet ratio. Inter istas laudes praedicatur, quod fuerint « *nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum* » (h. e. prophetiis in se exhibentes dignitatem prophetarum, graece *ἀπηγγελκοτες ἐν προφητειαις*).

vium mundo impiorum inducens » (1) 2. Pet. II. 5. Si insistamus grammaticae formae verborum, hic appellaretur Noe *octavus iustitiae praeco;* unde tota series patriarcharum inde ab Enos, qui coepit invocare nomen Domini, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech, Noe dicerentur *praecones iustitiae,* atque adeo custodes et praedicatores religionis. Ita verba Petri interpretati sunt inter vetustiores Mauclerus (Monarchia ecclesiast. T. I. p. 226.), inter recentes illustrissimus Haneberg (Hist. revelat. sect. I. c. 4.), Phillips (Ius ecclesiast. T. II. p. 347.) et alii. Hoc deinde sensu si intelligatur Iosephus Antiquit. l. I. c. 3. n. 1, viderentur consuevisse Iudaei considerasse Traditionem antediluvianam per has potissimum octo generationes non computando Adamum et filium eius Seth. Verba Iosephi sunt: « Et isti quidem (posteri Sethi) *per septem generationes* (usque ad Noe) perseverarunt, Deum pro universorum Domino agnoscentes virtutemque in omnibus respicientes. Deinde procedente tempore (sub Noe octavo) in peius mutati sunt *a patriis institutis* » (ἐκ των πατριων ἐθισμων). Sed nihil opus est insistere sive illi interpretationi verborum s. Petri sive huic Iudaeorum persuasioni ex testimonio Iosephi. Tum enim Iosephus potest alio modo explicari, tum verba s. Petri admittendo insolentiorem modum loquendi simplicius intelliguntur, ut dicatur Noe octavus inter servatos in arca (cf. 1. Pet. III. 20.). Manet nihilominus, quod in brevissimis illis notitiis patriarchae Enos, Henoch, Noe diserte exhibentur ut custodes religionis et praecones iustitiae. Ceterum cum religiosa revelatio et promissiones generi humano in suo progenitore Adamo factae usque ad diluvium semper conservatae sint, per se patet, eas non nisi *per Traditionem* propagatas fuisse. Modus autem non sane fuit diversus ab eo, qui ut aetate patriarchali post diluvium se habuerit, distinctius nobis describitur (2). « Scio, ait Dominus de Abraham, quod *prae-*

(1) Και ἀρχαιου κοσμου ὀυκ ἐφεισατο, ἀλλ᾽ ὀγδοον Νωε δικαιοσυνης κηρυκα ἐφυλαξε, κατακλυσμον κοσμῳ ἀσεβων ἐπαξας.

(2) Conservatio Traditionis etiam historice tantum spectata tempore patriarcharum facillima apparet, cum propter vitam eorum lon-

cepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini et faciant iudicium et iustitiam» Gen. XVIII. 19. Moyses de temporibus antiquissimis inde a divisione populorum ait: « Memento dierum autiquorum, *cogita generationes singulas, interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, maiores tuos et dicent tibi;* quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël (rationem habuit in sua providentia praecipuam filiorum Israël, et terminos populorum adaptavit ad bonum huius populi adhuc futuri, atque terram numero eius congruam destinavit) Deut. XXXII. 7. 8. Idem modus Traditionis universim spectatae exhibetur etiam extra familiam Abrahami Iob VIII. 9-12.

Diximus alibi (cf. th. XII. n. I.), distinguendum esse pactum aeternum, spirituale et universale a Deo constitutum cum genere humano continuo post lapsum, et pactum temporarium, typicum, particulare cum uno populo Israël. Illud prius propagabatur aetate patriarchali usque ad Moysen *sola Traditione,* deinceps *Traditione* simul et Scriptura propagatur, ut mox dicemus. Alterum foedus particulare continebatur *lege scripta.* Hanc rem optime perspexit eximius Suarez. « Lex proprie sumpta non promittebat praemia aeterna... et nihilominus verissimum etiam est, homines sub lege constitutos habuisse promissionem vitae aeternae et spiritualium bonorum et fidem eorum... Neque hoc posterius cum priori repugnat, quia hanc promissionem non habuerunt Iudaei ex lege, sed *ex Patribus,* ut ita

gissimam paucae generationes ad millenos annos protenderentur. Ut numerus annorum exstat in textu hebraico et in Vulgata, Abraham natus anno Adami 2008. potuit convixisse cum Sem, qui obiit anno Adami 2158; Noe pater Semi natus anno Adami 1056. potuit conversatus esse cum Enos, qui mortuus est anno Adami 1140; Enos autem natus anno Adami 235. vixit cum avo suo Adam per septem integra saecula. Ut sunt numeri apud LXX, series comprehendit paulo plures: Abraham vixit cum Thare, Thare cum Sarug, Sarug cum Heber, Heber cum Sem, Sem cum Mathusala, Mathusala cum Enos, Enos cum Adam. Iuxta Samaritanum exemplar Abraham iungitur cum Thare, Thare cum Sarug, Sarug cum Heber, Heber cum Noe, Noe cum Mathusala, Mathusala cum Adam.

dicam, *utique per Traditionem eorum; nam a principio Ecclesiae facta est hominibus fidelibus, et in eis per Traditionem permansit fides eius, et in Abraham revocata est et expressior facta.... Sic ergo ad populum Israeliticum pervenit, et postea per prophetas scripta est, non tamquam nova sed tamquam antiqua.* Quod totum satis probat testimonium Pauli Heb. XI. ubi incipiens ab Abel et progrediens per patriarchas usque ad prophetas, omnes dicit habuisse hanc promissionem. *Lex ergo nullam promissionem spiritualem huic antiquae addidit* » Suarez de Legibus l. IX. c. 6. n.21.

2°. Ex tempore Moysis, quando iam libri aliqui divini scripti erant, in primis a Deo ipso institutum est *ministerium ordinarium* Traditionis exegeticae, et authenticae interpretationis in sacerdotio. « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus (legatus) Domini exercituum est » (1) Mal. II. 7. Lege institutionem Deut. XVII. 8-12. cf. Ps. XLIII. 2; LXXVII. 5; Ecclesi. VIII. 9-12. *Ministerium extraordinarium* datum erat in successione prophetarum, quorum missio referebatur non solum ad novas promulgandas revelationes, sed etiam ad custodiam et explicationem revelationis et legis acceptae. At non solum exegetica erat Traditio, de qua nunc non agimus; sed per idem ministerium in suo complexu, ut nempe componebatur ministerio ordinario sacerdotii et extraordinario successionis prophetarum, sine dubio veritates divinae etiam non scriptae servabantur, vel obscurius indicatae in Scripturis clare docebantur in Traditione, maxime ex illis quae, iam antiquitus *sola Traditione* conservatae, ad pactum spirituale et universale pertinebant. Etiam inter δευτερωσεις seu traditiones plurimas, quas Iudaei inde ab antiquis temporibus referebant ad Moysen, sibi una cum lege scripta datas in monte Sinai, non est improbabile aliquas fuisse genuinas (2). Sed quidquid de his sit, certe

(1) כִּי מַלְאַךְ יְהוָה־צְבָאוֹת הוּא

(2) De his traditionibus multa disputata sunt a recentioribus. Inter ipsos ss. Patres non desunt, qui aliquas earum ad Moysen revocandas esse putaverint. « Moyses, inquit Hilarius in Ps. II. n. 2, quamvis veteris Testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim quae-

doctrina de canone, auctoritate et divinitate ipsorum librorum sacrorum non nisi Traditione transmissa erat, quod quidem per se patet, et etiam intelligitur ex discrimine a Iudaeis statuto quoad libros, de quibus obscurior erat Traditio. Ita Iosephus (contra Appion. l. I. n. 8.) postquam libros scriptos usque ad Artaxerxem indicaverat iuxta consuetam penes Iudaeos divisionem in Legem, Prophetas, et Psalmos; de aliis posterioribus scriptis ait: « non in aequalem fidem recepta sunt ac priora, *propterea quod non accurata esset successio prophetarum.* » Tum de certa Iudaeorum fide qua hos libros susceperunt et custodiunt, testatur: « cum tot iam saecula effluxerint... omnibus Iudaeis statim a prima nativitate hoc insitum est, ut haec credant Dei dogmata. » Fides porro haec Iudaeorum etiam ex doctrina et ex modo docendi Christi et Apostolorum evidens est, nec aliter quam per Traditionem servata.

3°. Ecclesiam Christi in suo exordio constitutam fuisse et fidei doctrinam suscepisse praedicatione Christi et Apostolorum, doctrinae autem consignationem in Scriptura N.T. Ecclesiis iam longe lateque constitutis paulatim subsecutam esse, adeoque primitivam Ecclesiam multa credidisse, quae verbo Dei non scripto sed tradito tantummodo continebantur, nemo Christianus negare potest (vide th. IV.). Ergo saltem usque ad illud tempus, de quo Protestantes controversiam movent, scilicet usque ad tempus adultae iam Ecclesiae christianae post obitum Apostolorum, numquam exstitit revelata religio, quin eâ comprehenderentur aliquae veritates credendae nullis divinis Scripturis consignatae.

Quare si verum esset, in religione christiana post aetatem apostolicam nullas existere veritates revelatas quae scriptae non sint, id non esset ex intestina necessitate nec ex consueto divinae providentiae ordine in historia reve-

dam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus qui doctores deinde manerent, intimaverat. Cuius doctrinae etiam Dominus in Evangelio meminit dicens, super cathedram Moysi sederunt scribae... (Matth. XXIII. 2.). Doctrina ergo horum mansit in posterum, quae ab ipso scriptore legis accepta in hoc seniorum et numero et officio conservata est. »

lationis manifestato; sed esset factum extra ordinem providentiae, qua Deus inde ab origine promulgationi et conservationi suae revelationis consuluit. Imo si comparatur propria ratio ac forma novi Testamenti cum Testamento veteri, hypothesis ista videtur repugnare ipsi perfectioni novi Testamenti, in quo semper viventi magisterio ad *conservationem et explicationem revelatae doctrinae* longe ampliores promissiones factae sunt quam sacerdotio veteris legis (cf. th. IV. sqq.), adeo ut tamquam indoles propria et distinguens novae legis exhibeatur scriptio per Spiritum Sanctum *in corde Ecclesiae* (in intellectu catholico) prae lege veteri *scripta in tabulis lapideis et litteris deformata* 2. Cor. III. 2. 3. 6. 7. 8. (cf. th. XII. n. I.). Certe hypothesis illa singularis Protestantium cum non sit respondens sed potius repugnans naturae et congruentiae rerum, nullo alio modo probari posset, quam *a posteriori,* instituta nempe comparatione inter fidem et doctrinam Ecclesiae ab Apostolis derivatae et inter ipsas Scripturas evidenter demonstrando, nihil esse in doctrina Ecclesiae, quod non sit etiam in Scriptura, et contra analogiam omnium praecedentium aetatum ac contra propriam a Christo suae Ecclesiae inditam formam iam veluti fortuito et *per accidens* non latius patere verbum Dei revelatum ac credendum quam verbum Dei scriptum. Atqui

4°. Ecclesia ab Apostolis derivata, quae ipsis adversariis fatentibus in sua origine tempore Christi et Apostolorum multa dogmata non scripta credebat fide divina, etiam post Apostolos et post completionem librorum divinorum constanter conservavit et tum theoretice tum practice manifestavit hoc principium, videlicet non solum non esse necessarium, ut veritas credenda contineatur in Scripturis, sed re ipsa esse veritates aliquas revelatas et ab Ecclesia credendas ac creditas, quae scriptae non sunt.

De hac Ecclesiae fide primum *theoretice* et principio generali testantur omnes veteres Patres ac doctores, inter quos nominandi sunt Ignatius per Asiam (apud Euseb. III. 36.); Clemens Alexandriae (l. de paschate apud Euseb. VI. 33.); Tertullianus in Africa (de corona cc. 3. 4.);

Eusebius in Palaestina (Demonstrat. evang. l. I. c. 8.); Basilius in Ponto (de Spiritu Sancto c. 27. n. 67; c.29. n. 71.); Epiphanius Cypri (haeres. 61. n. 6.); Chrysostomus Antiochiae et Constantinopoli (in 2. Thess. hom. 4. n. 2.); Hieronymus in oriente et occidente (Dialog. adv. Lucif. n. 4.); Augustinus nomine totius Ecclesiae (de Baptism. l. II. n. 12. et saepe alibi). Cf. Bellarmin. De verbo Dei l. IV. c. 7. Horum omnium una sententia huc redit: « necessarium se putasse Traditiones acceptas securitatis ergo etiam litteris consignare; non omnia observanda et credenda esse scripta; Apostolos alia scriptis alia sine scriptis tradidisse, utraque esse paris auctoritatis; quando constat aliquid esse in Traditione, nihil ultra esse quaerendum; multa quae universa observat Ecclesia, esse ab Apostolis tradita, licet scripta non reperiantur. » Hoc idem principium Ecclesia declaravit solemnibus definitionibus in Conciliis. Ita in Concil. VII. Act. VII. multa exstant praeclara in hanc rem, quorum haec est summa. « Oriens et occidens et aquilo et meridies Spiritus Sancti inspiratione consentimus in unum... omnia recipientes, quaecumque sancta catholica Ecclesia antiquitus scripta et non scripta recepit » (Harduin. T. IV. p. 478. 479.). « Si quis Traditionem ecclesiasticam sive scriptam sive non scriptam irritam facit, anathema sit » (ib. p. 471.). Cf. Concil. VIII. Act. X. can. 1. (Hard. T. V. p. 1098.).

Praeterea *practice* et quoad dogmata quaedam specialia universa Ecclesia semper professa est eandem unanimem sententiam. Sicut enim dogmata in Scripturis consignata semper tum fidelibus declarata sunt tum adversus haereticos defensa appellando ad fontem utrumque Scripturae et Traditionis; ita Patres tum seorsim tum in Conciliis collecti de quibusdam christianae doctrinae capitibus fatentur, ea ex Scripturis demonstrari non posse, nec tamen minus eadem ad fidei depositum pertinere ex sola Traditione tuentur. Id verum est non solum de *verbis non scriptis,* quae tamquam solemnes formulae sancita sunt ad strictiorem dogmatum declarationem et definitionem, ut sunt formulae: una natura tres personae; personae consubstantiales; unio secundum hypostasin; efficacia Sacramentorum ex opere

operato; transubstantiatio, et aliae plurimae. Huiusmodi enim definitiones non tam existentiam *Traditionum* probant, de quibus nunc loquimur, quam principium formale *Traditionis*, de quo in superioribus actum est, successores scilicet Apostolorum custodes esse et doctores authenticos totius revelatae doctrinae. At eo quo diximus modo, ex sola Traditione agnoscunt et defendunt etiam *dogmata non scripta*. Ita defendunt divinitatem et integritatem canonis librorum sacrorum ad unum omnes, qui de hac re aliquid disputarunt, ut apparebit ex tractatione de Scripturis inferius habenda. Ita pariter defendunt baptismum parvulis conferendum e. g. Origenes in ep. Rom. l. V. n. 9. T. IV. p. 565. « Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare. » Cf. hom: VIII. n. 3. in Lev. T. II. p. 230; hom. IX. n. 4. in Iosue ib. p. 420. Augustinus de efficacia baptismi in parvulis ex Scripturis non habet nisi « coniecturam » a circumcisione petitam; argumentum autem convincens « si quisquam in hac re auctoritatem divinam quaerat, » s. Doctor depromit ex hoc principio: « quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur » de Baptism. l. IV. c. 24. Ad hanc Traditionem solam iterum appellat pro eadem re. « Parvulos baptizandos esse concedunt (ipsi Pelagiani), qui contra auctoritatem universae Ecclesiae procul dubio per Dominum et Apostolos traditam venire non possunt » de Peccator. merit. et remissione l. I. c. 26. cf. ibid. l. III. c. 2; Serm. 294. n. 14. 17; de Gen. ad litt. l. X. c. 23. (1). Eodem modo vel

(1) Anabaptistae iam inde a saec. XVI. a reliquis Protestantibus postulabant, ut sibi baptismum infantibus conferendum ex Scripturis demonstrarent. Quod quia efficere non poterant, Lutherus tandem absurde contendebat, etiam infantes per miraculum iam elicere actum fidei, atque ita negavit, quoad baptismum suscipiendum esse aliquos infantes. At reliquum erat, ut hoc miraculum ipsum ex Scripturis demonstrarent, quod nec Lutherus nec reliqui Protestantium theologi eius sententiae sectatores umquam tentarunt. Nunc Protestantes sinceriores ultro fatentur, quod anno 1855. protestatus est concionator regis Borussiae Krümmacher: « prorsus in confesso est, baptismum infantium ex Scriptura non posse demonstrari. » Neobaptistae cuidam in Conventu ecclesiastico Fran-

etiam luculentius disputat de Traditione quoad dogma valoris baptismi ab haereticis collati (de Baptism. contr. Donatist. l. II. c. 7. n. 12; l. IV. c. 6; l. V. n. 30. 31; de unit. Ecclesiae c. 22. n. 63; contra Crescon. l. I. cc. 32. 33.). Locis omnibus unâ sententiâ licet verbis diversis repetit, quod habet de Baptism. l. V. l. c. Quae Cyprianus et alii eius collegae de hac re senserunt, « nullo modo praeferenda sunt adversus totius Ecclesiae catholicae confessionem, cuius se illi membra esse gaudebant, et unde se neque ipsi praeciderunt, neque diversa sentientes praecidi passi sunt, donec aliquando in Domini voluntate per plenarium Concilium licet post multos annos, quid esset rectius eluceret, *non aliqua novitate instituta sed antiquitate roborata...* Apostoli autem nihil quidem exinde praeceperunt (in Scriptura); sed consuetudo illa quae opponebatur Cypriano, *ab eorum Traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.*» Cf. Hieronym. dialog. adv. Lucifer. n. 23. 26. Imo ad multiplicia Scripturarum testimonia, ex quibus Cyprianus et Episcopi Africani deducere conabantur veritatem suae sen tentiae, non aliud responsum est efficacius quam illud Stephani Pontificis: « nihil innovetur, nisi quod traditum est» Lirinens. cc. 9. 10. Cf. Card. Du Perron cont. reg. Angl. l. III. cc. 7. 8. 13.

Sicut ergo populus Dei inde ab origine usque ad Moysen, et a Moyse usque ad Christum, et tempore Christi ac Apostolorum habuit in sua fide ac professione veritates etiam non scriptas; ita non minus post Apostolos et post completionem librorum inspiratorum Ecclesia ab Apostolis propagata semper theoretice et practice profitebatur veritates aliquas tamquam divinitus revelatas, quas non in Scripturis sed sola Traditione acceperat.

In historia igitur revelationis universa non solum nihil

cofurthiensi eodem anno demonstranti, « quemvis defensorem baptismi infantium tandem niti debere auctoritate infallibilis Ecclesiae, » non poterant reliqui ministelli respondere aliter quam *totum concedendo.* Vide Edm. Iörg Histor. recent. Protestantismi T. II. p. 39. 40.

est, quod suadeat veritates omnes credendas esse veritates scriptas; sed ex ea etiam ostenditur, *a*) comprehensionem in Scripturis non esse conditionem necessariam articuli fidei; *b*) divinam providentiam hunc ordinem in proponenda revelatione numquam esse secutam saltem usque ad tempus, de quo est controversia; *c*) sicut tempore antecedenti ita etiam tempore post Apostolos, de quo disputatur, Ecclesiam ab Apostolis propagatam habuisse semper in sua professione veritates aliquas non scriptas. Non potest ergo negari latius patere verbum Dei credendum quam verbum scriptum, quin toti historiae revelationis repugnetur, et Ecclesia universa semper usque ad novos Apostolos saeculi XVI. perperam constituta, perperam credidisse, perperam functa ministerio praedicationis impudentissime dicatur.

II. His praemissis iam etiam secunda pars theseos demonstrata censeri debet. Dicimus, demonstrato et admisso *principio formali* Traditionis consequi veritatem *principii materialis,* quo asseritur latius patere verbum Dei credendum quam scriptum. Sane ex principio Traditionis formali, ut in superioribus demonstravimus, consensus successionis apostolicae divinitus institutae ad custodiam totius revelatae doctrinae exhibet testimonium authenticum et infallibile de dogmatibus revelatis. Atqui tempore quo Protestantes ab Ecclesia schisma fecerunt, ex multis saltem saeculis universalem fuisse consensum in plura dogmata tamquam divinitus revelata, quae tamen in Scripturis non continentur, vel saltem non ita continentur ut ex eis solis probari possint, iidem Protestantes non modo concedunt verum etiam contendunt. Ergo haec dogmata divinitus revelata esse negari non potest, nisi negando authentiam consentientis testificationis, h. e. negando principium formale Traditionis. Hoc ergo admisso admitti necessario debet, illa dogmata pertinere ad depositum fidei per successionem apostolicam conservatum ac traditum, proindeque admitti debet, latius patere verbum Dei credendum quam verbum Dei scriptum. Controversia ergo cum Protestantibus (ut saepe iam monui) non est reducenda ad disputationem de singularibus quibusdam doctrinae capitibus, utrum ea reve-

lata sint et divinitus tradita; sed controversia princeps revocari debet ad ipsum principium formale Traditionis, ex cuius veritate sponte sequitur veritas « omnium Traditionum christianarum, » et cuius negatio est fundamentum omnium aliarum negationum Protestantismi. Vide supra th. III. et Coroll. 1. ad th. IX.

III. In tertia parte theseos dicimus, principium Protestantium, ut illud proponunt in libris symbolicis, et ut praetendebatur tamquam fundamentum et ratio praecipua sic dictae Reformationis, sine manifesta contradictione defendi non posse.

1°. Professio Protestantium eaque fundamenti instar in libris symbolicis proposita ad ostendendam necessitatem et iustitiam suae secessionis ab Ecclesia evidenter apostolica, his verbis concipiebatur. « *Credimus, confitemur et docemus*, unicam regulam et normam secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oportet, nullam omnino aliam esse (1) quam prophetica et apostolica scripta cum veteris tum novi Testamenti » Formul. Concord. epitom. §. 1. Agitur *de professione fidei divinae*, et *hac fide* dicunt se credere: *a*) *(affirmando)* libros *omnes* et *solos* veteris et novi Testamenti quos receperunt in suo canone, esse libros sacros continentes sincerum verbum Dei credendum; nisi enim illos *omnes* fide crederent sacros et divinos, non possent eos *omnes* habere ut normam dogmatum fide credendorum; nisi eos *solos* crederent sacros et divinos, possent esse adhuc in aliis forte libris dogmata credenda, ac proinde non possent eos quos habent, credere ut *unicam normam omnium dogmatum credendorum*. *b*) Credunt *(negando)*, nullum esse aliud verbum Dei credendum nullamque fidei doctrinam, quae illis libris non contineatur et ex illis probari non possit; hanc suam *fidem* explicite exprimunt, dum solemniter profitentur: *credimus nullam omnino aliam esse regulam et normam*. *c*) Credunt *(affirmando et negando)*, singulos esse sibi sufficientes interpretes veri sensus

(1) Grammatica constructio paulo insolentior, « *unicam regulam nullam omnino aliam esse* », tribuenda est ardentissimo zelo horum sanctorum patrum in inculcandis principiis haeresiarchiae

huius verbi divini, et Ecclesiam non esse authenticam interpretem seu iudicem veri sensus; sed singulis suam interpretationem debere esse normam ad iudicandam interpretationem Ecclesiae, et ad iudicanda omnia dogmata ab Ecclesia proposita. Credunt enim *eadem illa fide*, Scripturam esse unicam regulam secundum quam omnia dogmata et *omnes doctores aestimari et iudicari oportet;* qui vero Ecclesiae vel cuiuscumque iudicis interpretationem authenticam admitteret, iam non iudicaret *omnes doctores* secundum unicam regulam (vide supra p. 7–9.). Atqui harum trium assertionum, quas se fundamenti instar *credere* profitentur, nulla continetur in Scripturis. Ergo eo ipso, quod statuunt principium, nihil esse credendum quod scriptum non sit, credunt et fundamenti instar credenda esse statuunt plura dogmata, quae non sunt scripta. In ipsa igitur enuntiatione principii, qua negant aliquid non scriptum esse credendum, simul affirmant aliquid non scriptum esse credendum, quae est contradictio evidens.

2°. Praeter haec omnes communiones nominis christiani, et Protestantium coetus praecipui, qui adhuc aliquid doctrinae christianae profitentur, ipsique primi Reformatores (« homines Dei, » ut eos appellare adamant), quibus suam originem per scissionem ab Ecclesia catholica debent, *a*) retinuerunt et retinent aliqua in sua professione et praxi, quae per solam Traditionem Ecclesiae catholicae transmissa, in nullis vero Scripturis consignata acceperunt. Crediderunt et (nondum delapsi in rationalismum aut atheismum) adhuc credere se profitentur, libros singulos Scripturae, quos non aliunde quam ab Ecclesia catholica acceperunt, esse inspiratos vel saltem libros peculiari ratione divinos; baptismum valide conferri posse ab haereticis et infidelibus; infantes esse baptizandos; celebrandum esse non sabbatum sed diem sequentem; ob graves causas licitum esse Christianis iusiurandum; non esse necessarium abstinere a suffocato et sanguine, et alia quae solâ Traditione et auctoritate magisterii Ecclesiae catholicae constant, nullibi autem sunt scripta; immo de tribus ultimis scriptum videtur contrarium (Exod. XX. 10. 11. coll. Matth. XXIV. 20; ibid. V. 33-37;

Act. XV. 28. 29.), nisi verba secundum catholicae intelligentiae ac Traditionis lineam interpretemur. *b*) Credunt *positive et negative* contra fidem Ecclesiae catholicae multa, quae non sunt scripta; inter haec ipsum duplex principium fundamentale totius systematis, unum quod dicunt *principium formale,* Scripturam *solam* esse regulam fidei, de quo satis iam diximus; alterum quod *principium materiale* appellant, nempe *sola* fide (1) (i. e. fiducia et certa persuasione, Deum non respicere peccata nostra sed tantum Christi merita) hominem iustificari. Praeterea ubinam quaeso scriptum est discrimen inter articulos fidei fundamentales et necessario credendos atque articulos non fundamentales, qui quomodocumque propositi negari possint, quin ideo quis excidat a fide et communione Ecclesiae? ubinam est scriptum, qui sint illi articuli fundamentales? Ex negationibus autem, quas opponunt catholicae doctrinae, nulla prorsus in Scripturis continetur. Cf. Hadriani et Petri de Wallemburg « Examen principiorum fidei, » Examen I. methodus Augustiniana P. II; de Testimoniis Prob. 5ª. Est itaque principium illud fundamentale Protestantium, ut in symbolicis libris enuntiatur, tum in se contradictorium tum repugnans reliquae eorum doctrinae.

(1) Lutherus hoc suum dogma tamquam in Scripturis contentum persuadere conatus est manifestis multorum textuum corruptelis, inter quas illa notissima Rom. III. 28, ubi inseruit in sua versione particulam, iustificari hominem « per *solam* fidem, » (*allein* durch den Glauben). Epistolam canonicam Iacobi suae doctrinae evidenter repugnantem impiis sannis explosit velut « minime evangelicam, » « non apostolicam, » « vere stramineam » (eine recht ströherne Epistel) (Doellinger « Reformatio » T. III. p. 139. sq. 356; Riffel Hist. Eccl. T. II. p. 42; Möhler Symbol. T. II. §. 41; Bayle Diction. v. Luther nota O. P.; Lexic. Ecclesiast. Friburg. T. VI. p. 676.).

THESIS XXI.

Multiplici ratione Traditio antecedit Scripturam.

« Si comparatio instituatur universim inter Traditionem et Scriptu-
» ram; Traditio censeri debet praecedere tum ordine chronologico, tum
» ordine logico et cognitionis secundum oeconomiam a Christo institu-
» tam, tum ordine comprehensionis et amplitudine, qua Traditio spe-
» ctari potest tamquam totum sub se velut partem continens *doctrinam*
» *Scripturae* et *de Scriptura.* »

Patet, hic non eo sensu quo in duabus thesibus antecedentibus, quaestionem esse de Traditionibus, quatenus scriptae non sunt; sed nomine Traditionis significari universam doctrinam et disciplinam revelatam, quatenus ut medium seu instrumentum eius conservationis spectatur non littera scripta sacrorum librorum sed perpetua series testium ac custodum fidei, per quos depositum revelationis integrum conservatum est, et inde a sua prima promulgatione ad nos usque transmissum. Quamvis enim existant revelatae doctrinae capita non scripta, quae per *solam* Traditionem transmissa sunt (th. XlX. XX.), nulla tamen existit doctrina scripta, quae non *etiam* per Traditionem conservata sit; siquidem Scripturae ipsae et proinde contenta in Scripturis per Traditionem ad nos pervenerunt. Unde potest a Scriptura ut partiali instrumento conservationis praescindi, seu potius potest Scriptura ipsa spectari ut res tradita, atque ita universa doctrina revelata considerari, quatenus est Traditio (vide th. I. et II.). Sic Patres universam doctrinam quamvis ex parte Scripturis consignatam, praescindendo a modo conservationis per Scripturas, appellant proprio sensu Traditionem. « Quid autem, inquit Irenaeus l. III. c. 4, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi *Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum... sine charta et atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem et veterem Traditionem diligenter custodientes.* » Hoc itaque sensu declarato divinam Traditionem comparamus cum divina Scriptura.

I. Traditio praecedit Scripturas *ordine chronologico*. Hoc autem nemo sane ita intelligit, ac si primum universa revelatio fuisset absoluta et per Traditionem propagata, ac deinceps veritates traditae etiam Scripturis consignatae essent; pridem enim ante completam revelationem aliquae Scripturae existebant, immo in revelationis progressu Scripturae antecedentes praesupponebantur et ad eas appellabatur, ut frequentissime factum est a Christo ipso et ab Apostolis. Neque etiam propositionis is sensus est, ut quaevis revelatio semper primum praedicatione absque Scripturis tradita dicatur, et postea demum scripta in sacro codice; hoc saepe quidem, non tamen semper ita factum est (cf. Ier. XXXVI. 32; Apoc. I. 3. 19; XXII. 7. 10. 19, ne quidquam dicamus de psalmis aliisque libris quibusdam tum moralibus tum historicis). Sensus ergo est, quod primo quidem in oeconomia veteri revelatio, quae suo modo implicite continebat totam revelationem paulatim explicandam et complendam (S. Th. 2. 2. q. 1. a. 7.), praecessit conservata usque ad Moysen per solam Traditionem; in ulteriori vero eius explicatione demum inspirati sunt sancti Dei homines ad libros scribendos. Porro etiam in novo Testamento institutio et per traditam fidem informatio Ecclesiae Iesu Christi facta est per praedicationem, antequam ullus liber N. T. scriptus esset; progressu vero temporis novimus doctrinam ex parte fuisse etiam scriptam, eidemque Ecclesiae iam pridem constitutae et per apostolicam praedicationem mysteriis fidei imbutae Scripturas N. T. una cum libris V. T. fuisse traditas tamquam instrumentum doctrinae « utile ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia » 2. Tim. III. 16. Haec constant ex superioribus th. VII. n. II; th. XX. n. I.

II. Diximus altero loco, Traditionem praecedere quoad nos *ordine cognitionis* secundum oeconomiam a Christo institutam. Distingui hic debet Traditio spectata *ut mere historica*, quatenus est fundamentum demonstrationis criticae ac philosophicae, et Traditio *in sensu theologico* formaliter ut *religiosa et divina*. De hac *Traditione divina* nobis sermo est. In altero autem termino comparationis

distinguimus *cognitionem de Scriptura* ut monumento nobis conservato, et *cognitionem doctrinae* quae est *in Scriptura.* Utramque hanc cognitionem dicimus, secundum oeconomiam christianam pendere aliquo sensu a Traditione divina, atque ita *ordine logico* Traditionem priorem esse Scripturis.

1°. In cognitione *de Scriptura* spectari potest *genuinitas, integritas, veracitas, divinitas doctrinae, inspiratio librorum sacrorum.*

Genuinitas hic intelligitur origo operis ab eo scriptore cui tribuitur, aut saltem (si scriptor forte non sit compertus) quod opus scriptum sit eo tempore (late sumpto) et iis in adiunctis, quibus asseritur. Haec iam genuinitas potest saltem de plerisque libris Scripturae prorsus demonstrari historice et critice ex traditione, quam diximus *mere historicam,* non secus ac genuinitas aliorum librorum veterum demonstratur. Dixi saltem de plerisque libris id demonstrari posse, non quod negem fieri posse de omnibus, sed quod in quibusdam difficultates sunt maiores, quamdiu Traditio sensu non theologico sed mere historico spectatur.

Integritas sin minus quoad singula quaeque saltem quoad rei summam eodem modo demonstrari potest.

Veracitas ex demonstrata genuinitate in plurimis, ex veracitate autem *divinitas doctrinae* in nonnullis consequitur. Quando enim constat e. g. de genuinitate librorum Moysis, plerorumque librorum historicorum, Evangeliorum, Actuum, epistolarum apostolicarum, iam pariter etiam constabit de veracitate saltem quoad praecipua quaeque. Porro ex veracitate e. g. Evangeliorum constabit de divinitate personae, ac consequenter de divinitate doctrinae et promissionum Christi, quae in Evangeliis leguntur; et ex hac divinitate doctrinae et promissionum Christi consequetur saltem quoad rei summam divinitas doctrinae Apostolorum in eorum epistolis consignatae.

At vero *veracitas* multoque magis *divinitas doctrinae* quoad omnia et singula demonstrari nequit, nisi ex librorum inspiratione (vel saltem ex charismate infallibilitatis in scriptione omnium et singularum sententiarum).

Inspiratio (idemque dicendum esset de infallibilitate)

certo et sicut oportet, innotescere non potest nisi testimonio divino. Hoc autem testimonium licet de aliquot librorum inspiratione etiam in Scriptura apostolica nobis conservatum sit, quoad totum librorum complexum tamen, qui inspirati credendi sunt, sola Traditione est transmissum. At haec Traditio testimonii divini non est mere historica, sed est Traditio christiana per ministerium divinitus institutum et per consentientem praedicationem ecclesiasticam conservata ac definita; de quibus inferius erit distinctius dicendi locus.

Haec praemittenda erant ut intelligatur, quomodo cognitio nostra *de Scripturis* pendeat, et quomodo non pendeat a Traditione sensu theologico accepta. Dicimus itaque, *genuinitatem, integritatem, veracitatem, divinitatem doctrinae* in libris Scripturae posse quidem, praecisione facta ab authentica Traditione sensu christiano intellecta, historice et critice demonstrari, sed *non quoad omnes textus* Scripturae, qui credendi sunt his proprietatibus insignes; *non pro omnibus* qui credere tenentur, cum maxima pars hominum tali demonstrationi sufficienter percipiendae non sit idonea; *non pro statu controversiae*, ut haec excitata ad captum omnium historice et critice terminari possit. Pariter *inspiratio* librorum sacrorum et inde consequens absoluta veracitas et divinitas doctrinae potest quidem etiam demonstrari testimonio Scriptura apostolica comprehenso, sed sub eadem triplici limitatione: non quoad omnes libros, non sufficienter pro omnibus, et praesertim pro statu controversiae non ad captum omnium (cf. supra th. XVIII. XIX.).

Porro haec scientifica demonstratio pertinens ad disciplinam apologeticam sine dubio confert et hypothetice necessaria est ad defensionem fidei; sed certe non est illa a Christo ipso immediate instituta oeconomia ad fidem integram et nominatim ad doctrinam de instrumentis fidei quoad omnes eorum partes, pro omnibus, pro quavis conditione tuto et sine errandi periculo conservandam. Christus enim et Spiritus Sanctus per Apostolos quemadmodum doctrinam revelatam universam, sic etiam haec instrumenta doctrinae una cum revelatione de eorum inspiratione tra-

didit successioni apostolicae conservanda et adhibenda ita, ut eorum conservatio atque de genuinitate, integritate, inspiratione authenticum iudicium ac definitio pertineat ad ipsius apostolicae successionis ministerium et magisterium sub assistentia et directione Spiritus veritatis, sicut ad idem magisterium universim pertinet custodia, explicatio et definitio depositi fidei, eorumque omnium quae ad depositi custodiam sunt necessaria. Ergo secundum oeconomiam a Christo institutam principium cognitionis, quae in Ecclesia *de Scripturis* habenda est et habetur, est haec ipsamet custodia et authentica praedicatio sub assistentia Spiritus Sancti, hocque principium unum et solum est universale accommodatum *omnibus, quoad omnes libros* librorumque partes, *ad controversias omnes* iuxta Christi institutionem ad captum omnium definiendas, quantum opus est pro fine Ecclesiae. Demonstratio heic non alia requiritur praeter illam, qua ostendimus, universam doctrinam revelatam esse commissam custodiae successionis apostolicae; cum doctrina *de Scripturis* non sit nisi pars in tota doctrina tradita. Vide praesertim th. V. VIII. XI. n. II. Atqui custodia illa depositi et perpetua ecclesiastica praedicatio sub directione Spiritus Sancti sensu theologico maxime proprio est *Traditio* (th. XI.). Ergo secundum oeconomiam ordinariam a Christo institutam cognitio christiana *de Scripturis* universalis subiecto (quoad universitatem fidelium) et universalis obiecto (quoad omnes libros), praesertim vero cognitio *de Scripturis formaliter ut divinitus inspiratis,* pendet a Traditione, proindeque haec logice et ordine cognitionis prior est.

2°. Doctrina *in Scripturis* et Traditio quo ordine cognitionis sese excipiant, constat ex thesi XVIII. collatis thesibus VII. n. II; X. n. II; XIX. Praedicatio videlicet ecclesiastica est norma ad intelligendam doctrinam in Scripturis sensu illis thesibus demonstrato. Declaratum vero etiam est, hanc rationem normae non ita accipiendam esse, ac si praescindendo a Traditione christiana nihil certi *de Scripturis* intelligi, aut verus sensus *in Scripturis* hermeneutica certitudine definiri nullibi posset.

Ex hac autem ratione, quia praescindendo *a Traditione christiana* et ab authentico magisterio possunt multa intelligi de divina auctoritate saltem aliquorum librorum et de vero sensu in Scripturis, vel quia polemice auctoritas divina et etiam inspiratio Scripturarum potest ex concessione adversarii supponi; ex hac inquam et sub hac ratione potest Scriptura assumi ut logice et in ordine cognitionis prior, atque ita ex ipsis Scripturis auctoritas ceteraeque proprietates tum Ecclesiae tum Traditionis demonstrantur.

Verum *a*) in illa praecisione *a Traditione christiana*, praesidiis mere historicis et criticis innixa *cognitio de Scripturis* erit et ipsa historica magis quam proprie theologica. *b*) Quando ex concessis ab adversario polemice assumitur inspiratio Scripturarum, quod altero loco diximus, ea non est *prioritas logica* Scripturae absoluta et ex obiectivo rerum ordine sed ex aliqua hypothesi. *c*) Nec in hac hypothesi polemica assumitur, nec in illa praecisione quam diximus, *a Traditione christiana,* obtineri potest velut *antecedens cognitio* auctoritatis multoque minus inspirationis *omnium librorum,* et veri sensus *totius doctrinae,* quae est in Scripturis; sed vel ex demonstratione historica praesupponitur vel ex concessione adversarii assumitur ut prior cognitio divinae auctoritatis *aliquot librorum* , et demonstrabilis verus sensus *aliquot peculiarium capitum doctrinae,* quae clare in Scripturis consignata sunt. Ita sine petitione principii et quin ideo subvertatur logica prioritas Traditionis in hac thesi statuta, in superioribus usi sumus auctoritate Scripturae ad auctoritatem Traditionis demonstrandam. Vide Scholion ad th. VII.

III. Pars ultima theseos, ubi dicimus Traditione tamquam toto comprehendi velut partem doctrinam *de Scriptura* et doctrinam quae est *in Scriptura,* constat ex ipsa Traditionis definitione. Universa quippe doctrina revelata proindeque tam doctrina non scripta quam doctrina scripta conservatur etiam per magisterium semper vivens et per praedicationem successionis apostolicae (1). Doctrina autem

(1) Hoc non debet ita intelligi, ac si illud omne, quidquid est Scripturis consignatum, conservaretur etiam per Traditionem seorsum et in-

spectata secundum hunc modum custodiae et propagationis per aetatum decursum, est ac dicitur proprio sensu Traditio. Cum igitur huius universae doctrinae ita ad nos usque propagatae pars sit doctrina *de Scripturis* et doctrina consignata *in Scripturis* (th. XX.); merito dicimus, in ordine comprehensionis Traditionem esse totum, doctrinam *de Scripturis* et *in Scripturis* esse partem totius.

dependenter a Scriptura. Sed *a*) Scriptura ipsa sub assistentia Spiritus Sancti conservatur et explicatur per successionem apostolicam, atque ita omnia etiam Scripturis consignata conservantur per Traditionem *mediate;* licet in multis doctrinae revelatae capitibus *instrumentum immediatum* conservationis pro ipsa successione apostolica seu pro Ecclesia docente sit littera scripta. *b*) Distingui debent, quae sunt in Scripturis dogmata (theoretica et practica) *revelata propter se,* nempe propter suam dignitatem ac necessitatem a Deo manifestata et proposita ad credendum, et quae sunt *revelata per accidens,* h. e. quae sunt inspirata ad scribendum et sub inspiratione Scripturis consignata non *propter se* sed *propter alia*, quibuscum connectuntur et ad quae relationem habent, ut sunt e. g. adiuncta quaedam in historia et his similia (S. Th. 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1; q. 2. a. 5.). Priora illa dogmata saltem ea quae sunt communiter omnibus explicite credenda, conservantur etiam Traditione seorsum a Scriptura, et de his valet quod ait s. Irenaeus: « quid si neque Apostoli quidem Scripturas tradidissent, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis? » Nihilominus etiam quoad dogmata scripta et *revelata propter se* universim loquendo Scripturae sunt in praesenti ordine providentiae instrumentum necessarium magisterio divinitus instituto in successione apostolica. Quoad illa alia quae diximus *revelata per accidens,* ea conservata per Traditionem independenter a Scripturis intelligi non possunt; sed conservantur Scripturis, quas conservat Traditio.

SECTIO IV.

DE CATHOLICAE DOCTRINAE EXPLICATIONE.

THESIS XXII.

Revelatio catholica per Iesum Christum et per Spiritum Sanctum in Apostolis completa est.

« Revelatio catholica in plenitudine temporis a Christo Dei Filio » per se ipsum et per Spiritum Sanctum in Apostolis completa censeri » debet, ita ut non solum *nova oeconomia* perfectioris ordinis et am- » plioris revelationis Dei ab antiquis nonnullis et recentioribus haere- » ticis conficta excludatur, sed etiam in oeconomia praesenti nullum » obiectivum incrementum depositi fidei catholicae sacris Scripturis et » apostolica Traditione comprehensi post Apostolos aut factum aut in » Ecclesia militante adhuc exspectandum sit. »

Revelatio facta a Christo Dei Filio dum visibilis cum hominibus conversatus est, et per Spiritum Sanctum in Apostolis potest dupliciter concipi velut adhuc complenda. Primo modo intellexerunt Montanistae, Manichaei, sectae plures medii aevi, ut *Fraticelli* et homines *evangelii aeterni* (saltem aliquatenus etiam Abbas Ioachim), sectae innumerabiles recentioris aetatis Anabaptistae, Schwedenborgiani, Irwingiani, homines ecclesiae futurae seu omnes illi, qui exspectant novam et abundantiorem effusionem Spiritus Sancti (cf. p. 55.). Omnes enim isti, quamquam alii aliter, statuerunt tertiam perfectiorem oeconomiam Spiritus Sancti, quae sit in simili fere relatione ad oeconomiam secundam a Christo Filio Dei institutam, sicut est haec secunda ad primam veteris Testamenti seu ad oeconomiam Patris, ut illorum aliqui eam appellabant. Exclusa hac manifesta haeresi posset profectus obiectivae revelationis concipi secundo modo, ut Ecclesia Christi in terris, quam haeretici illi dicunt vel destructam vel destruendam, sit quidem iuxta divinas promissiones perpetua usque ad consummationem saeculi; sed in Ecclesia ipsa accipiat revelatio in dies nova incrementa, sicut in V. T. a prima inchoatione usque ad Christum et Apostolos continuo novae revelationes antiquis accesserunt.

In thesi profectum obiectivum revelationis post Apostolos sub utraque forma negamus. Est enim consummatio catholicae revelationis per Christum et per Spiritum Sanctum in Apostolis ipsamet caput doctrinae in divinis Scripturis et in Traditione expressum, atque in successione apostolica totaque vita Ecclesiae theoretice et practice multipliciter manifestatum.

I. Ad primum quod attinet, oeconomiam praesentem Ecclesiae Iesu Christi esse statum ultimum atque supremum divinae manifestationis pro hac conditione mortali generis humani, plane manifestum est ex ipsa revelatione christiana.

1°. Generatim in Scripturis novum Testamentum a Christo conditum comparatur veteri tamquam perfectum et consummatum imperfecto et inchoato, tamquam firmum et immobile perficiendo et transferendo in hunc ipsum statum perfectionis. Sicut enim Foedus antiquum semper exhibetur ut inchoatio sub spe et exspectatione novae oeconomiae, per quam perficiatur; ita ulterior divinae manifestationis perfectio quae in novo Testamento exspectanda proponitur, non est alia, quam ut fides transeat in visionem facie ad faciem in patria. Huius rei demonstrationem data opera exhibet s. Paulus in epistola ad Hebraeos.

a) Oeconomia legis Mosaicae (ita arguit Apostolus) imperfecta erat et tantummodo manuductio ad novam oeconomiam Christi perfectam; unde et sacerdotium in veteri pacto erat inefficax et ideo abrogandum, proindeque etiam abroganda erat tota illa oeconomia quatenus erat imperfecta, ut patet ex intimo nexu sacerdotii cum religione universa. Succedere autem ei debuit sacerdotium Christi altioris ordinis, efficax, aeternum, et numquam abrogandum; ex quo ipso constat, etiam oeconomiam in hoc aeterno sacerdotio fundatam esse aeternam. « Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat.... quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem?... Translato enim sacerdotio necesse est, ut et legis (oeconomiae totius) translatio fiat... Reprobatio (ἀθετησις abolitio) quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem (δια το ἀυτης ἀσθενες και ἀνωφελες

propter inefficaciam); nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero (erat) melioris spei; per quam proximamus ad Deum... Hic autem (Christus) eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum » VII. 11. sqq. *b*) Antiquum Testamentum umbra erat et typus novi; ideo illi imperfecto debuit succedere hoc perfectum. Illud propter ipsam imperfectionem debuit desinere, ergo huic propter perfectionem (supremam secundum actualem Dei providentiam) nullum perfectius succedet. « Nam si illud prius culpa vacasset (ἐι γαρ ἠν ἀμεμπτος si fuisset exemptum ab imperfectione), non utique secundi locus inquireretur » VIII. 5-13. *c*) Diserte ex historia fundationis antiqui et novi Testamenti declarat Apostolus, hoc secundum esse ultimum et immobile. Ita enim prophetiam, « adhuc semel (1), et movebo coelum et terram » Agg. II. 7, interpretatur. « Quod autem *adhuc semel* dicit, declarat mobilium translationem (μεταθεσιν) tamquam factorum, *ut maneant ea quae sunt immobilia.* Itaque *regnum immobile suscipientes,* habemus gratiam » XII. 27. 28. Antiquum Testamentum est illud « quod evacuatur », novum illud « quod manet » 2. Cor. III. 11. cf. Rom. X. 4; Gal. III. 23. sq.; IV. 3. 4.

2°. Sicut novum Testamentum comparatur cum veteri tamquam perfectum succedens imperfecto, ita ipsum tamquam imperfectum cum succedente perfecto confertur numquam nisi cum visione beatifica 1. Cor. XIII. 9-13. coll. 2. Cor. V. 7; 1. Io. III. 2. Triplex itaque status sibi respondet et per gradus cohaeret, *umbra* testamenti veteris, *imago* novi, *res* visionis beatae, quod indicat Apostolus Heb. X. 1. « *Umbram* habens lex futurorum bonorum, non ipsam *imaginem rerum.* » Habet se igitur vetus oeconomia ad Ecclesiam Christi in terris, sicut Ecclesia in terris se habet ad Ecclesiam coelestem; atque ita Ecclesia Christi est media inter veterem umbram et consummatam promissionum possessionem. « Primum tabernaculum est Synagoga, secun-

(1) In heb. עוֹד אַחַת מְעַט הִיא; Vulgata: « adhuc unum modicum »; LXX. et Paulus ἐτι ἀπαξ.

dum Ecclesia, tertium coelum... Primum in umbra fuit et figura, secundum in figura est et in veritate, tertium in veritate sola (al. in veritatis aula). In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur » s. Bruno Astens. hom. 34. ed. Romae 1791. T. II. p. 409. (exstat sub nomine Eusebii Gallicani in Bibl. Max. T. VI. p. 721.). Cf. s. Ambros. in Ps. 38. n. 25; Dionys. Hierarch. ecclesiast. c. 5. n. 2.

3°. Idem demonstratur ex constanti modo loquendi Scripturae, quo oeconomia haec praesens a Christo instituta appellatur *plenitudo temporis* Gal. IV. 4; Eph. I. 10. et revelatio in Christo et per Christum dicitur facta in *novissimis diebus* Heb. I. 1; Act. II. 17; 1. Pet. I. 20. (Cf. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 7. ad 4.).

II. Commentum perficiendae revelationis in aliqua tertia perfectiori oeconomia, de quo diximus, excludetur a fortiori omnibus argumentis, quibus revelationem novam ad incrementum depositi catholici pertinentem ne in hac quidem perpetua Ecclesia Christi amplius expectandum esse demonstramus.

1°. Consideretur modus loquendi et doctrina Scripturarum de consummatione revelationis eiusdemque promulgatione per Apostolos, et de professione ac praedicatione fidei in eorum successoribus usque ad consummationem saeculi.

a) In ultimo sermone Io. XVI. 12-15. Christus Dominus directe et immediate spectat Apostolos *personaliter*, eisque per Spiritum Sanctum *totam veritatem salutarem* revelandam promittit, revelandam vero ut Apostolis h. e. ut suis legatis, non solum ad credendum et sciendum sed ad praedicandum et testificandum. « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, *docebit vos omnem veritatem* (1). Non enim loquetur a semet ipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de

(1) Ἔτι πολλα ἔχω λεγειν ὑμιν, ἀλλ᾽ ὀυ δυνασθε βασταζειν ἀρτι· ὁταν δε ἐλθῃ ἐκεινος, το πνευμα της ἀληθειας, ὁδηγησει ὑμας ἐις πασαν την ἀληθειαν.

meo accipiet et annuntiabit vobis.» α) Quod dicimus, directe et immediate spectari Apostolos *personaliter*, non solum in defectu praesenti infirmitatis sed etiam *in perfectione futura suscipiendae totius veritatis*, manifestum est ex oppositione parallela in duobus primis incisis. Profecto enim qui *non possunt portare modo*, sunt personaliter ipsi illi homines ad apostolatum vocati; iam vero huic conditioni in qua *modo* sunt, opponitur altera in qua iidem ipsi erunt *tunc, cum venerit ille Spiritus veritatis* (1); infirmitati qua *non possunt portare*, opponitur perfectio qua iidem *docentur omnem veritatem* (2). β) Alterum quod diximus, Apostolis ita personaliter spectatis promitti *revelationem totius veritatis salutaris*, constat ex ipsis disertis verbis. Infinita veritas cum relatione ad extra, *nempe ad omnem veritatem revelandam Ecclesiae*, consideratur secundum ordinem communicationis in tribus personis SS. Trinitatis, in Patre, a Patre in Filio, a Patre Filioque in Spiritu Sancto, qui ideo est ac dicitur *Spiritus veritatis* in se et ad intra ob communicationem infinitae veritatis a Patre et Filio (3); *Spiritus veritatis* ad extra, ad Ecclesiam *ut communicator omnis veritatis revelandae* (4). Ipsa ergo substantialis veritas, Sancta Trinitas, in aeternis suis consiliis nullam habet aliam veritatem revelandam in tempore *ut veritatem Ecclesiae in terris* praeter hanc, quam omnem

(1) Non utique ipso die pentecostes, sed *tempore* adventus Spiritus Sancti paulatim ac per gradus inducti sunt in omnem veritatem, ut ex manifestis factis et ex ipsis verbis constat: *inducet* in omnem veritatem ὁδηγησει ὑμας.

(2) Ὀυ δυνασθε βασταζειν = ὁδηγησει ὑμας ἐις πασαν την ἀληθειαν»
ἀρτι = ὁταν ἐλθῃ ἐκεινος.

(3) Filius *veritas* ἡ ἀληθεια, Spiritus Sanctus *Spiritus veritatis* το πνευμα της ἀληθειας. Cf. tract. de Trin. p. 404. ed. 2ª.

(4) Communicatio veritatis substantialis quae est ipsamet essentia divina, a Patre vero in Filium veritatem, a Patre et Filio in Spiritum veritatis; a SS. Trinitate quae est una veritas, communicatio analoga veritatis in Ecclesiam. Unde vides Ecclesiae novi Testamenti quae est regnum veritatis (Io. XVIII. 36. 37.) et firmamentum veritatis (1. Tim. III. 15) et sanctificata in veritate (Io. XVII. 17.), intimam unionem et relationem ad SS. Trinitatem (Io. ibi 21-23.), quemadmodum etiam in symbolo apostolico et aliis deinceps significatur.

docere heic dicitur Spiritus veritatis. Atqui hanc omnem veritatem dicitur docere ipsos personaliter spectatos Apostolos. Ergo tota veritas, quae est *veritas Ecclesiae in terris,* ipsis Apostolis revelata est a Spiritu veritatis. γ) Hanc esse *veritatem Ecclesiae,* hoc est, revelatam Apostolis non pro ipsis solis sed *pro Ecclesia* et ut Ecclesiae communicandam, manifestum est ex ipso fine revelationis catholicae, ex munere apostolatus, ex disertis mandatis Christi fundatoris Ecclesiae. Ideo dixi, *directe et immediate* spectari personaliter ipsos Apostolos ; nam *finaliter* sane in doctrina omnis veritatis, quam ipsi docentur a Spiritu veritatis, spectatur tota Ecclesia ab Apostolis docenda hanc omnem veritatem catholicam.

Initio huius ipsius sermonis in quo Dominus Apostolis promittit *totam veritatem salutarem* (πασαν την ἀληθειαν), explicuit hunc scopum quem diximus. « Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis.... *ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis de me,* quia ab initio mecum estis » (testimonium divino-humanum) Io. XV. 26.27. Et mox in fine totius sermonis rogat sanctificationem Apostolorum *in tota illa veritate,* et omnium fidelium omnium locorum et temporum, qui per verbum Apostolorum utique *secundum totam illam veritatem* credituri sunt in ipsum. « Pater sancte... sanctifica eos *in veritate* (ἐν τῃ ἀληθεια), sermo tuus veritas est; *sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum...* non pro eis autem rogo tantum, *sed et pro eis qui credituri sunt* (sine discrimine temporis) *per verbum ipsorum in me* » Io. XVII. 17-20. Hoc verbum praedicandum *totius veritatis revelatae* eisdem solemniter committit post resurrectionem suam. « Euntes docete omnes gentes.... *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis* » (quaecumque nimirum mandavit vel visibiliter docens vel invisibiliter mittens Spiritum veritatis, qui ab ipso accipit et quaecumque audit, loquitur) Matth. XXVIII. 20. Haec igitur « omnis veritas quam docuit eos Spiritus veritatis, » haec « omnia quaecumque eis mandavit » Filius veritas, sunt *evangelium* quod praedicare iubentur omni creaturae in mundo universo Marc. XVI. 15, et in quo evan-

gelio per virtutem supervenientis Spiritus Sancti testes constituuntur in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae Act. I. 8. Hinc quoniam quod Apostoli acceperunt et praedicaverunt, est *totum evangelium* h. e. tota veritas annuntianda Ecclesiae, praeter illud « non est aliud evangelium » Gal. I. 6-9.

b) Ex his iam evidens est, quo munere functuri sint successores Apostolorum usque ad consummationem saeculi, quae futura sit fides obiectiva (obiectum fidei quod creditur) in Ecclesia usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (Eph. IV. 13.). *Totum evangelium, tota veritas fidei* revelata est Apostolis *pro Ecclesia,* ac proinde eadem *tota veritas fidei* ab eis praedicata et transmissa est Ecclesiae. Praeter illam ergo totam veritatem ab Apostolis praedicatam nulla datur alia *veritas Ecclesiae Christi,* hoc est, *veritas fidei catholicae.* Aeque late ergo patet nec ulterius protensa intelligi potest *veritas fidei catholicae,* quam *veritas praedicationis apostolicae.*

α) Hinc totum aedificium spirituale Ecclesiae, fides cum omnibus suis divinis institutis et virtutibus, dicitur ut templum sanctum in Domino, et omnes fideles dicuntur « *superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* ipso summo angulari lapide Christo Iesu» Eph.II.20. In ordine igitur doctrinae et institutorum Ecclesia non habet aliud fundamentum quam revelationem veteris Testamenti per Prophetas et revelationem novi Testamenti consummatam per Apostolos, cuius principium et finis est Christus Iesus. Fideles ergo in tota sua fide innituntur fundamento *praedicationis apostolicae* (in qua ut in consummatione praedicatio prophetica includitur). Neque vero haec solum institutio temporaria, forte pro aetate dumtaxat primitiva Ecclesiae, censeri potest. Sed quamdiu fundatio in lapide angulari Christo Iesu, praeter quem fundamentum aliud nemo potest ponere (1. Cor. III. 10.) pro Ecclesia Christi manet essentialis; tamdiu haec connexio et fundatio in lapide angulari pro eadem Ecclesia Christi non perficitur nisi per « fundamentum Apostolorum et Prophetarum. » Hinc ipsa civitas sancta Ierusalem coelestis, quae

velut lapidibus pretiosis construitur omnibus electis omnium temporum translatis *a meritorio stadio fidei* ad *gloriosum praemium fidei*, symbolice ostensa est s. Ioanni « habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum » Apoc. XXI. 14.

β) Quoniam ex demonstratis apostolatus institutus erat ad primam fundationem Ecclesiae *per totius veritatis fidei praedicationem;* hoc ipso successorum munus non potest esse alterius adhuc veritatis revelatio; sed illius « *omnis veritatis* » *ab Apostolis acceptae* in sua integritate et in suo genuino sensu conservatio et praedicatio. Quando igitur Apostolis ut iuridice repraesentantibus totam suam successionem usque ad consummationem saeculi praeceptum est: « docete omnes gentes... *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis;* » munus impositum docendi *totam veritatem catholicam* utique pertinet aeque ad perennem successionem apostolicam ac ad collegium ipsorum Apostolorum. Verum ad Apostolos hoc magisterium pertinet ut ad primos promulgatores *totius veritatis catholicae revelandae;* ac proinde propter hanc *totietatem veritatis* ab ipsis Apostolis vi suae missionis iam promulgatam, ad successores magisterium pertinet ut praedicatores eiusdem *totius veritatis catholicae revelatae.* Magisterium ergo illo mandato testamentario, *docete... servare omnia quaecumque mandavi vobis,* a Verbo incarnato institutum quoad *obiectum doctrinae* tam late patet pro tota successione apostolica ac pro ipso collegio apostolico; sed in Apostolis est magisterium *primae promulgationis quoad totam doctrinam revelandam,* in successoribus magisterium *praedicationis eiusdem totius doctrinae revelatione iam completa* (cf. th. V.).

Quapropter successores Apostolorum ubique exhibentur ut testes et doctores tantummodo eorum, quae acceperant ab Apostolis (th. V. n. III.). Eorum enim munus est et officium « permanere in *iis quae didicerant et credita sunt illis* » ab Apostolis, « *scientes a quibus didicerint;* » eadem quae ab Apostolis « *acceperunt* per multos testes, » iubentur « *commendare fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere;* » monentur, ut « formam habeant sanorum

verborum, *quae ab Apostolis audierant in fide,* » et « *bonum depositum custodiant* per Spiritum Sanctum » 2. Tim. I. 13. 14; II. 2; III. 14. Fideles omnes pariter iubentur « supercertare *semel traditae sanctis fidei* » Iud. 3 ; « ambulare in Christo, radicati et superaedificati in ipso et confirmati fide, *sicut et didicerant* » Coloss. II. 7.

c) Quae hactenus demonstravimus, compendio ad haec capita reducuntur. α) Ad munus extraordinarium apostolatus pertinet prima promulgatio *totius revelandae veritatis,* quam ipsi immediate a Christo vel a Spiritu Sancto acceperunt revelatam. β) Hoc charisma non solum *positive* pertinet ad apostolatum; sed est ei *proprium exclusive* eo ipso, quod a Spiritu veritatis docebantur « omnem veritatem » pro Ecclesia novi Testamenti, seu *totam veritatem catholicae revelationis.* Unde fit, ut successores ab ipsis Apostolis ordinati iubeantur tantummodo *custodire depositum,* et docere ea *quae didicerant ab Apostolis.* Hinc porro γ) tota Ecclesia in sua fide et doctrina innititur, omnesque fideles sunt superaedificati *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum;* atque idcirco fidelibus omnibus commendatur, ut non aliam admittant doctrinam fidei, nisi quae derivatur ab Apostolis. Quando igitur inculcatur fidelibus: « observetis eos, qui dissensiones et offendicula *praeter doctrinam quam vos didicistis* (1), faciunt » Rom. XVI. 17; huiusmodi sententiae declarant esse *contra doctrinam* Apostolorum, quidquid tamquam fides revelata ab omnibus fidelibus credenda proponitur *praeter et supra doctrinam* ab Apostolis traditam. δ) Quamvis igitur tempore apostolico, quo testimonia citata Scripturarum sunt edita, revelatio catholica nondum fuerit conclusa; attamen nulla nova revelatio in deposito fidei suscipienda erat, quae non esset ab ipsis Apostolis vel promulgata vel confirmata. Hinc intelligitur pertinens ad ipsum magisterium proprium apostolatus, id quod veteres tradunt, ipsos libros inspiratos Evangelii Marci a s. Petro, Evangelii Lucae a s. Paulo fuisse probatos et Ecclesiae commendatos (Euseb. H. E. II. c. 15; III. c. 4; Hieronym. de viris illustrib. c. 7. et 8.).

(1) Παρα την διδαχην, ἡν ὑμεις ἐμαθετε.

ε) Ex his omnibus clarum est, quod suscepimus demonstrandum. Quoniam munus *extraordinarium* apostolatus institutum erat a divino Salvatore ad primam fundationem Ecclesiae in suo fundamento ipsâque suâ essentiâ nempe in doctrina fidei completam; idcirco promissus et missus Spiritus veritatis revelationem *totius veritatis fidei catholicae* in ipsis illis primis fundatoribus plantatoribusque complevit. Nulla ergo amplius *revelatio catholica* in militante Ecclesia Dei est exspectanda.

2°. Si quod dubium manere posset de vero sensu in allatis testimoniis Scripturae per se inspectis, res ipsa demonstratur ex *diserta doctrina* et *practico agendi modo* totius Ecclesiae.

a) Diserta doctrina et praedicatio Ecclesiae quam in thesi VIII. et sqq. exposuimus, hanc ipsam totius revelationis catholicae incommutabilem completionem per Spiritum Sanctum in Apostolis absolutam, de qua nunc agimus, evidenter demonstrat.

α) Semper et ubique in Ecclesia ratum erat principium, successores Apostolorum esse custodes doctrinae apostolicae, cui nihil addi a qua nihil detrahi possit. « Regula lucis est: custodi quae accepisti, neque addens quidquam neque detrahens » s. Barnabas ep. n. 19. « Neque is qui multum de fide potest dicere, ampliat, neque is qui minus, diminorat » Iren. I. c. 10. n. 2. « Vera cognitio Apostolorum doctrina est et antiquus Ecclesiae status » id. IV. c. 33. n. 8. « Nobis curiositate opus non est post Christum ducem nec inquisitione post evangelium; quum credimus, nihil desideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus... Imprimis hoc propono, unum utique et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omni modo debeant nationes... Quaerendum est donec invenias, et credendum ubi inveneris; et nihil amplius quam custodiendum quod credidisti, dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum ideoque nec requirendum, cum id inveneris et credideris, quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit » Tertull. Praescript. cc. 8. 9. « Quod admo-

net Cyprianus (ep. ad Pompei.), ut ad fontem recurramus, id est ad apostolicam Traditionem, et inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est et sine dubio faciendum » Aug. de Bapt. contr. Donatist. V. c. 26. « Neque nunc fides incepit, sed a Domino per discipulos ad nos usque pervenit » Athanas. ep. encyclic. ad Episcopos n. 1. (T. I. p. 111.). « Nos praecipimus iis, qui in Christum sperant, nihil curiose praeter antiquam fidem inquirere » Basil. ep. 175. (T. III. p. 262.). « Mirari satis nequeo tantam quorumdam hominum... errandi libidinem, ut contenti non sint *tradita semel et accepta antiquitus credendi regula; sed nova ac nova in diem quaerant, semperque aliquid gestiant religioni addere,* mutare, detrahere; quasi non *coeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat* » Vinc. Lirin. n. 26. cf. n. 27. Vide reliqua th. VIII. p. 67-72.

β) Semper valebat principium universale, quidquid novum est, non ad fidem pertinere sed ad haeresim, si cum fidei deposito confundatur. Hinc apostolicitas character necessarius doctrinae fidei. Lege th. IX. n. I.

γ) Ideo synonymae semper habebantur appellationes « fides apostolica et fides Ecclesiae » Clem. Alex. Strom. VII. p. 763; Pamphil. Apolog. Origenis c. 1. Nimirum, ut ait s. Irenaeus III. 1., « non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos. »

b) Consideretur *modus agendi* in Ecclesia. Quoties aliquod doctrinae caput ad fidem catholicam pertinere definitum est, id semper intellectum est esse prorsus idem ac definivisse, illam doctrinam revelatam ad nos pervenisse ab Apostolis sive in divina Scriptura sive sine scripto Traditione. « De fide nequaquam dixere (PP. Nicaeni), *decretum est;* sed: *sic credit catholica Ecclesia;* ut declararent non recentiorem sed apostolicam esse suam sententiam » Athanas. de Synod. n. 6. Cf. Concil. Antiochenum (Mansi T. I. p. 1033.); Concil. Ephesin. (apud Lirinens. Commonitor. c. 42.); Concil. VII. (Hard. IV. p. 479. 482.); Tridentin. sess. IV. Hinc inquisitio omnis ad hoc unum semper reducebatur, utrum doctrina contineretur in Scripturis vel in apostolica

Traditione; quod quidem acta omnium Conciliorum et historia omnium definitionum fidei evidenter demonstrant.

3°. Hoc ipsum principium ad revelationem fide catholica credendam nihil pertinere posse, quod non in Scripturis vel in apostolica Traditione contineatur, ab omnibus theologis tum supponitur in suis demonstrationibus tum diserte etiam ab eis declaratur ad 3. dist. 25. et ad 2. 2. q. 1. seu in tractatu de Fide. Consulantur S. Th. 1. q. 1. a. 8. ad 2; 2. 2. q. 1. a. 7. ad 4; q. 174. a. 6. ad 3; Canus de Locis l. V. c. 5. q. 3. ad ultimum; l. XII. c. 3. conclus. 3; Bellarmin. De verbo Dei l. IV. c. 9. regula 1ª. et 2ª; Gregor. de Valentia in 2. 2. disp. I. q. 1. puncto 6; Suarez de Fide disp. II. sect. 6. n. 15. sqq.; Card. de Lugo de Fide disp. III. sect. 5. n. 69. sqq.; Benedictus XIV. de Canonizatione SS. l. III. c. 53. n. 2. 15.

Corollarium. Revelationes et prophetiae quae factae sunt post Apostolos, adhuc fiunt et fient in Ecclesia, non pertinent ad *depositum fidei catholicae*, quod Ecclesiae custodiendum, praedicandum, et explicandum commissum est. Ratio est, quia huiusmodi revelationes non diriguntur ad universam Ecclesiam sed ad homines privatos. Privati autem ideo dicuntur, quia non constituuntur a Deo legati ad suam Ecclesiam ut prophetae olim et Apostoli et sancti Dei homines inspirati ad divinos libros scribendos; sed accipiunt revelationem vel ad suam propriam vel etiam ad aliorum privatam directionem et fructum. Itaque *per se* neque pertinent revelationes privatae ad depositi fidei catholicae *explicationem* promovendam, ad quam Christus Dominus ministerium ordinarium in visibili capite Ecclesiae, ut principio et fundamento unitatis fidei, et in successione apostolica capiti unita instituit sub promissione infallibilis assistentiae, non autem sub directione per novas revelationes. Hinc est, quod inter rationes ob quas privatae revelationes suspectae videri possint, iuxta Benedictum XIV (de Canonizatione SS. l. III. c. 53. n. 8.) recensetur illa, « si revelatum dicatur, quod adhuc sit sub Ecclesiae iudicio. »

Ceterum sane non repugnat, ut Deus cuipiam revelet

verum sensum alicuius veritatis in obiectiva revelatione apostolica contentae et ab Ecclesia nondum definitae nec sufficienter omnibus propositae. Unde etiam posset aliquando Deus per revelationem privatam factam Pontifici vel pluribus aut paucioribus Patribus Concilii manifestare verum sensum dogmatis; hic autem esset modus extraordinarius ad dogmatis explicationem, ubi infallibilitas definitionis ac propositionis pro fidelibus non ex tali privata revelatione, sed semper ex promissa ordinaria assistentia Spiritus Sancti repeteretur, quia haec assistentia non autem revelatio privata a Deo promissa est et universae Ecclesiae infallibiliter certa. De tali modo extraordinario explicandi dogmatis intelligi fortasse potest, quod habet s. Augustinus de Baptism. VII. n. 102. (1).

Si quaeritur, qua fide huiusmodi revelationes privatae sint credendae, responsio theologorum haec est. Distinguatur in primis inter fidem obiectivam seu materiale obiectum fidei, et inter fidem subiectivam seu habitum atque actum fidei. Ad fidem *divinam* obiective spectatam pertinet, quidquid a Deo revelatum est; ad obiectivam fidem *catholicam*

(1) Fatetur eo loco Augustinus se ignorare, utrum baptismus validus habendus esset, ubi tum conferens tum recipiens infideles essent, nec ulla existeret societas nominis christiani; « sed totum ludicre et mimice et ioculariter ageretur. » Unde si de hac quaestione in Concilio sententiam rogaretur, ait sibi implorandum videri alicuius revelationis oraculum, nisi forte res aliis Episcopis iam esset explorata: « divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem, ita sane ut post me dicturos sententias, ne quid iam exploratum et cognitum afferrent, humiliter exspectarem. » Quamquam forte rectius nomen *revelationis* hoc loco apud Augustinum sicut haud raro apud alios Patres accipi potest in latiori significatione pro divina illustratione ad reperiendum verum sensum in monumentis et documentis revelationis apostolicae; cuiusmodi illustrationes sane ad ordinem *divinae assistentiae* pro explicanda revelatione antiqua, non ad ordinem *novae revelationis* in sensu stricto et proprio pertinent. Haec latior et strictior significatio nominis *revelatio* et aliorum similium notanda est, ne dictis quibusdam ss. Patrum, quod recentioribus nonnullis accidit, inducamur in confusionem charismatis *assistentiae* vel adiutorii *illustrationis* cum charismate *revelationis* proprie dictae.

pertinet, quidquid a Deo revelatum est universae Ecclesiae credendum. Unde latius patet obiectum fidei *divinae* quam fidei *catholicae*. Si iam etiam fidem *subiectivam* ex obiecto distinguere placet in fidem *divinam* et fidem *catholicam*, appellatio fidei *divinae* non designat habitum aut actum specie diversum; sed idem habitus et idem specie actus dicitur fides *divina*, quatenus refertur ad quodcumque obiectum a Deo revelatum propter auctoritatem Dei revelantis creditum; fides autem *catholica* dicitur quatenus refertur ad obiectum comprehensum in deposito revelationis catholicae. Unde revelatio privata a Deo facta potest et saltem ab eo, cui fit vel pro quo fit, debet credi fide *divina*, si evidentia adsint motiva credibilitatis; non tamen ea fides dicitur catholica. Haec est sententia communior et nobis quidem videtur vera, quamvis repugnent illi theologi, qui putant ad obiectum fidei divinae requiri, ut sit in Scriptura vel apostolica Traditione contentum vel etiam ab Ecclesia propositum credendum; qui proinde censent, huiusmodi revelationes privatas numquam posse credi fide divina, sed tantummodo teneri actu consilii et prudentiae christianae (vide Salmanticenses Tract. de Fide disp. I. dub. 4. §.1.2.). Dixi posse et saltem ab eo, cui aut pro quo facta est revelatio, debere credi fide divina, *si adsint evidentia motiva credibilitatis*. Ex hac necessaria conditione *evidentis credibilitatis* videtur orta illa diversitas opinionum inter theologos, quam commemoravi. Videntur nimirum aliqui negare umquam *posse* eoque magis *debere* credi revelationes privatas fide divina, eo quod in eis numquam adsint motiva credibilitatis ad talem fidem sufficientia. At *posse* Deum etiam privatas suas revelationes reddere *evidenter credibiles ut divinas*, haud secus ac illas patriarchis aut prophetis factas, profecto negari non potest. Si Deus id potest, non perspicio, qua ratione constet actu numquam fecisse aut facturum huiusmodi revelationes ita credibiles, saltem iis in quorum mente Deus revelando operatur, ut sanctis illis, qui (quod de s. Ignatio traditum est) se paratos offerebant etiam ad testimonium sanguinis pro veritate rerum privata revelatione sibi manifestatarum. Si

quando autem Deus re ipsa talibus motivis se manifestaret ut revelatorem, profecto obligatio credendi propter infinitam auctoritatem Dei revelantis h. e. fide divina, in dubium vocari non posset. At vero ita propositas revelationes omnino raras esse constat ex biographiis sanctorum et ex tota historia; et forte numquam fit privata revelatio iis motivis externis credibilitatis, ut alii possint aut omnino teneantur credere fide proprie dicta divina.

Quod pertinet ad Ecclesiae iudicium, quo huiusmodi revelationes privatae aliquando approbantur, illud non eo spectat, ut revelationes proponantur fidelibus fide divina credendae; sed ut declaretur, *a*) in iis nihil esse quod fidei catholicae, bonis moribus et disciplinae christianae adversetur; *b*) sufficientia esse indicia veritatis, ut huiusmodi revelationes fide humana pie et prudenter ac sine superstitione credi et ad aedificationem a fidelibus legi possint. « Sermonem instituendo de earum approbatione, inquit Benedictus XIV. de Canoniz. SS. l. II. c. 32. n. 11, sciendum est, approbationem istam nihil esse aliud quam permissionem, ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem post maturum examen, » et quemadmodum loquitur Card. de Turrecremata apud ipsum Benedictum l. III. c. 53. n. 15, « ut possint legi in Ecclesia Dei eo modo, quo multorum aliorum doctorum libri et sanctorum historiae et legendae licentiantur legi fidelibus. » *c*) Post Ecclesiae huiusmodi approbationem, vel si etiam nullo adhuc lato iudicio graves adsint genuinitatis rationes, certe fas non est tales revelationes contemnere (cf. Bened. XIV. l. c. l. III. c. 53. n. 15; Vasquez in 3. P. T. II. disp. 117. c. 6. n. 77.).

Vide S. Th. 2. 2. q. 174. a. 6. ad 3; Canum l. XII. c. 3. conclus. 3; de Valentia T. III. q. 1. puncto 1. §. 5; Suarez de Fide disp. III. sect. 10; de Lugo de Fide disp. I. sect. 11; Benedict. XIV. de Canoniz. SS. l. II. c. 32. n. 11. 12; l. III. c. 53.

THESIS XXIII.

De modo quo doctrina fidei aliquo tempore possit esse obscurius proposita, quae deinceps explicetur ac declaretur.

« Rite constituta primum distinctione, qua veritates revelatae inter » se differunt tum ratione obiecti materialis tum modo diverso praedi- » cationis apostolicae et Traditionis, affirmandum est, posse esse et esse » in deposito obiectivae revelationis veritates, quae 1°. non semper et » ubique continerentur explicite in catholico intellectu et in manifesta » praedicatione ecclesiastica; quae ideo 2°. aliquo tempore intra ipsos » fines Ecclesiae citra crimen haeresis in controversiam vocarentur; ad- » eoque 3°. posse quasdam veritates revelatas aliquo tempore esse ob- » scuras, numquam tamen posse obscurari ita, ut adversus eas praeva- » leat oppositus et negans consensus. »

I. Ratio propter quam creditur et qua constituitur *obiectum formale* fidei, in omnibus veritatibus revelatis una est, auctoritas scilicet Dei loquentis seu locutio Dei sufficienter proposita: non autem ratio credendi repetitur ex maiori veritatis creditae dignitate, insita necessitate et connexione cum ultimo fine; haec enim omnia pertinent ad proprietates obiecti materialis seu rei *quae creditur*, non ad motivum ac rationem *propter quam creditur*. Ideo distinctio post Hunnium et Georgium Calixtum a Protestantibus invecta inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales* seu ἀδιαφόρους absurda est. In illa nempe distinctione statuitur, consensum in articulis *non fundamentalibus* esse *indifferentem* et non necessarium, adeo ut huiusmodi articulos quomodocumque propositos salva fidei integritate et communione ecclesiastica liceat non credere et etiam negare propter ipsam inhaerentem minorem dignitatem et necessitatem, dummodo consensus servetur in articulis *fundamentalibus* maioris dignitatis et necessitatis. Haec sine dubio falsa sunt et haeretica commenta; at verissimum est, inter obiecta fidei materialia esse discrimen, quatenus non omnium aequalis est necessitas, ut explicite ac in se ab omnibus fidelibus cognoscantur, atque ita *explicite credantur*. « Aliqua sunt credibilia, inquit s. Thomas, de quibus est fides *secundum se;* aliqua vero sunt credibilia, de qui-

bus non est fides secundum se, sed solum *in ordine ad alia*... Per se ad fidem pertinent illa, quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut sunt tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi et alia huiusmodi » 2. 2. q. 1. a. 6. ad 1. cf. a. 8. Haec itaque sunt explicite et in se cognoscenda et credenda omnibus, quia eorum cognitio vel ex sese absolute necessaria est ad ordinandum hominem ratione utentem in finem supernaturalem (necessitas medii), vel certe ita constituunt fundamentum religionis christianae, ut cuiusvis Christiani sit officium ea cognoscere (necessitas praecepti). Unde etiam quovis tempore in publica fidelium Christianorum professione continebantur. Alia multa continentur in revelatione, quae pertinent « ad praedictorum manifestationem, » ut l. c. ait s. Thomas; ad veritatis revelatae cognitionem scilicet intensive et extensive perfectiorem et ampliorem et ad eiusdem fidei defensionem, quae amplior cognitio nec per se et absolute nec ratione alicuius praecepti omnibus Christianis est necessaria nec moraliter possibilis. Unde neque necesse est, ut omnia revelata omnibus explicite proponantur credenda; sed sicut quoad aliqua implicita fides (1), ita implicita sufficit propositio et praedicatio.

(1) Implicite credi dicitur veritas, quae in se ipsa non concipitur nec cognoscitur ut revelata; continetur tamen in alia veritate, quam quis in se ipsa explicite cognitam habet et credit. Illud alterum vero, in quo aliquid implicite credi dicitur, esse potest *a*) *obiectum formale* fidei seu auctoritas Dei revelantis (ita generalem et in confuso actum fidei eliciunt fideles: credo, quidquid Deus infinita veritas revelavit); *b*) potest esse Ecclesia proponens revelationem: credo, quidquid credit et docet Ecclesia; *c*) potest esse aliquod obiectum materiale fidei explicite creditum, in quo alterum licet in se non cognitum includitur. Haec unius obiecti materialis comprehensio in altero obiecto materiali contingit *α*) ita, ut sine alia revelatione unum ex altero posset deduci: sic credens definitum credit implicite omnes definitionis partes et omnia essentialia tali definito; credens propositionem universalem credit implicite omnes particulares sub ea comprehensas; credens propositionem complexam credit singulas eius partes. *β*) Potest unum in altero contineri ita, ut sine alia revelatione eam comprehensionem humana ratio intelligere non posset, vel quia comprehensio ipsa licet in se necessaria, est tamen supra rationem humanam, vel quia in se necessaria non est, sed pen-

Declarata veritatum revelatarum distinctio secundum ipsum *obiectum* *a*) colligitur ex Scripturis 1. Cor. II. 2. 6; III. 1. 2. 10; Heb. V. 11-VI. 1; 1. Thess. III. 10. *b*) Eadem demonstratur ex differentia semper agnita in Ecclesia inter simplicem fidem omnibus necessariam et inter γνωσιν et sapientiam christianam, quae non solum intensive expressius et clarius cognoscit easdem veritates, quae a simplicibus fidelibus cognoscuntur confusius; sed etiam extensive plures veritates complectitur cognitione explicita, quas ab aliis implicite credi sufficit. Cf. Iren. I. c. 10. n. 3; Clem. Alexand. Strom. V. p. 545; VI. p. 645. 676. 679; VII. p. 731. 755; Orig. contra Cels. III. n. 44. 45; de Princip. Praefat. et l. IV. n. 9; Euseb. Demonstr. Evang. I. c. 8. p. 29; Basil. de Spiritu Sancto c. 27. *c*) Idem discrimen patet ex prudenti oeconomia semper adhibita in institutione catechumenorum et populi christiani. Lege Augustini tract. 98um in Ioannem.

II. Hac veritatum revelatarum differentia supposita, in considerationem venit diversitas, quae sit in ipso modo praedicationis apostolicae et Traditionis. Ex thesi antecedenti constat, nihil pertinere ad depositum fidei catholicae, quod non iam contineretur in praedicatione et in instrumentis a Christo versante in terris atque a Spiritu Sancto per Apostolos traditis Ecclesiae. Attamen ex differentia veritatum revelatarum paulo ante in hac thesi explicata intelligitur, neque necesse esse neque expectandum, ut veritates omnes uno et eodem modo contineantur in primitiva praedicatione et in Traditione quovis tempore obtinente. Nam quae omnibus fidelibus sunt explicite cognoscenda et credenda, sine dubio quavis aetate continebantur *explicite* in apostolica doctrina et in Traditione, *clare* quantum temporum adiuncta postulabant, *diserte* h. e. diligenti et instanti praedicatione. Contra vero in iis quae ad explicatiorem intelligentiam et ulteriorem declarationem fidei obiectivae

dens a libera Dei voluntate: sic credens unum verum Deum credit implicite Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; credens redemptionem per Christum, credit mortem Christi; credens remissionem peccatorum, credit necessitatem sacramenti baptismi et poenitentiae etc. Vide Suarez de Fide disp. II. sect. 6. n. 2.

pertinent, possunt esse aliqua, quae in ipsa praedicatione apostolica *implicite* dumtaxat continerentur, et quae proinde etiam aliquo saltem tempore *implicita* in aliis doctrinis explicitis fuerint transmissa per Traditionem; possunt esse alia in Traditione *obscurius* proposita et minus *disertâ minusque instanti praedicatione,* donec rerum et controversiarum adiuncta postulent, et Spiritus Sancti directio per magisterium authenticum efficiat *explicationem impliciti, declarationem et expolitionem obscuri, disertam et instantem praedicationem seu definitionem minus diserti.*

Secundum hunc triplicem modum s. Vincentius Lirinensis notissimis illis locis sui Commonitorii diversitatem declarat, qua se habeat ecclesiastica praedicatio et Traditio tempore antecedente comparate ad profectum subsequentem. « Imitetur animarum religio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant, permanent... Hoc rectum et consequens est, ut primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeae institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut quum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, et nunc laetetur (nutriatur) et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur... Christi Ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his umquam permutat, nihil minuit, nihil addit... sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua iam confirmata et definita, custodiat. » Haec et alia plura de *explicatione* implicitorum nn. 27-32. Multa ibidem habet de *declaratione* eorum quae erant obscura. « Intelligatur te exponente industrius, quod antea obscurius credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quae didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova » n. 27. Postremo agit de *instanti et diserta praedicatione* eorum, quae antea minus diserte tradebantur. « Denique quid umquam aliud Conciliorum decretis enisa est (Ecclesia), nisi ut quod antea simpliciter

credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur ; quod antea lentius praedicabatur , hoc idem postea instantius praedicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? » n. 32.

Ita igitur de hac differentia in modo Traditionis habendum est. Cum dogmata divina quo sunt profundiora , eo sint fecundiora, habeantque relationes prope infinitas ad omnium temporum exigentias, atque oppositiones ad errores diversissimos, quos humana infirmitas vel perversitas excogitare potest; patet, nec factum esse nec moraliter fieri potuisse, ut dogmata singula secundum omnes illos respectus ab Apostolis explicite proponerentur et enuntiarentur. Eo autem minus id erat necessarium, quod una cum dogmate etiam charisma veritatis ad dogma singularum aetatum necessitati applicandum et explicandum in successores Apostolorum ex Christi promissione et institutione propagabatur. Hinc *a*) in praedicatione apostolica poterant proponi aliqua *universalia*, in quibus continerentur implicite singularia progressu temporis ortis dubiis explicanda per magisterium Ecclesiae: sic sufficiebat doctrina de necessitate gratiae ad omne opus bonum in via salutis, ut adversus Semipelagianos postea definiretur eadem necessitas ad initium fidei. Poterant contineri *complexa*, ex quibus explicanda essent elementa constituentia: Christus est Deus et homo, unde orta necessitate definiri poterant multa de utraque natura; suprema est potestas Petri ut visibilis fundamenti Ecclesiae et centri unitatis, unde explicanda multa iura et officia in particulari. *b*) Poterant contineri aliqua primum a fidelibus *obscurius* et solum *confuse*, intellecta, quae progressu temporis applicanda essent ad particularia et distinctius intelligenda, cuiusmodi sunt multa praenuntiata de futuris e. g. de glorificatione Ecclesiae adhuc militantis in terra et de aliis pluribus , quae in Apocalypsi contenta forte distincte non intelligentur ante eorum complementum. Poterant contineri aliqua *simplicius* enuntiata, quorum declarationem strictiorem in directa oppositione ad certam quandam errorum formam ipsae exortae postmodum haereses reddebant necessariam: inde a Patri-

bus et Conciliis definitus modus loquendi et statutae formulae ecclesiasticae velut tesserae fidei. c) Poterant denique aliqua dogmata proposita esse *magis usu practico et consuetudine* Ecclesiarum quam diserta doctrina et instanti praedicatione, quorum diserta praedicatio vel solemnis definitio progressu temporis fieret necessaria: cuiusmodi exempla prostant luculenta in controversia de potestate conferendi valide sacramenta extra Ecclesiam, et in historia canonis librorum sacrorum, de quo postea dicturi sumus. Cf. Suarez de Fide disp. II. sect. 6. n. 16-18; Lugo de Fide disp. III. sect. 5. n. 70–73; disp. I. sect. 13. §. 1. n.270-274; §. 3. n. 302-304.

III. Ex dictis evidens est, *posse esse* veritates obiective in deposito fidei comprehensas, quae tamen non semper essent in manifesta praedicatione ecclesiastica sufficienter propositae ad obligationem explicitae fidei catholicae. Revera *esse* tales aliquas veritates, demonstratur ex omnibus illis Conciliorum vel Pontificum definitionibus, quae declarabant tamquam veritates fidei eas doctrinas, de quibus ante definitionem doctores catholici absque dispendio fidei et communionis diversas sequebantur sententias, in hoc insuper consentientes, quod eas doctrinas ad depositum fidei sufficienter manifestatum et necessario credendum nondum pertinere faterentur. Colligitur idem etiam inde, quod adhuc nunc plures sunt quaestiones theologicae minime definitae et a Romanis Pontificibus ac Conciliis scientibus et volentibus relictae insolutae, quae tamen versantur circa sensum aliquot capitum doctrinae revelatae ita, ut ex eiusdem revelatae doctrinae analysi solvi atque adeo ab infallibili magisterio definiri posse videantur.

Hinc sunt apud Patres distinctiones inter « substantiam fidei (ὑποθεσιν της πιστεως) quae una est apud omnes, et inter quaestiones profundioris intelligentiae » Iren. I. c. 10.n.2.3; inter ea « quae manifestissime in Ecclesiis praedicantur, quae definita sunt in ecclesiastica praedicatione, de quibus totius Ecclesiae una est sententia, et inter alia quae sunt adhuc inquirenda de sacra Scriptura et sagaci perquisitione investiganda, quae non manifeste discernuntur, quae non

satis manifesta praedicatione distinguuntur, quae non sunt evidentia in ecclesiastica praedicatione » Origen. de Princip. in praefatione. Distinguitur in Christianorum doctrina inter « regulam fidei quae apud nos nullas habet quaestiones, et inter illud quod salva fidei regula potest in quaestionem venire » Tertull. Praescrip. c. 13. Aliud est « quod ad ipsa fidei pertinet fundamenta, et alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi et optimi regulae catholicae defensores salva fidei compage non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius » August. contr. Iulian. I. c. 6. n. 22. Distinguitur « error ferendus in quaestionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiae auctoritate firmatis, et error non ferendus, qui ipsum Ecclesiae firmamentum quatere molitur » Id. serm. 294. n. 4. (T. V. p. 832.) cf. de Baptism. I. c. 7. n. 9; VII. c.53.n.102. Distinguitur denique « portiuncula aliqua fidei nostrae minus lucide clara, et illud quod Dominus neminem in Ecclesia sua voluit ignorare » s. Leo ep. 30. c. 2. ad Pulcheriam Augustam (ed. Ballerini); ep. 31. c. 4. cf. ep. 60.

Si contineri possunt et continentur in obiectiva revelatione (Scriptura et Traditione) doctrinae capita, quae non semper et ubique praedicatione ecclesiastica sufficienter sunt proposita tamquam revelata; sive quod idem est, si continentur veritates in *fidei regula remota*, quae non semper et ubique sunt sufficienter applicatae per *fidei regulam proximam;* eo ipso constat esse posse et esse doctrinas in obiectiva revelatione, quae a doctoribus catholicis citra dispendium fidei et communionis aliquando poterant in controversiam vocari vel etiam negari. Fidei enim unitas servatur integra, quamdiu a fidei regula proxima nullus est dissensus. Exemplum inter alia plurima est in errore rebaptizantium. « Et o rerum mira conversio! auctores eiusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici iudicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, adsertores vero gehenna suscipiet » Vincent. Lirin. n. 11. Cf. August. de Baptism. l. II. n. 6. et alibi.

IV. Ad clariorem intelligentiam huius rei, quomodo fieri

possit, ut de quibusdam veritatibus in revelatione comprehensis aliquo tempore in ipsa Ecclesia non satis constet, considerandum est triplex veluti stadium explicationis quorundam dogmatum, prout iam a Patribus, nominatim a s. Augustino lucidissime distinctum est. *Primum stadium* est, quando nulla adhuc urgente controversia nec quaestione adhuc diligenter digesta caput aliquod doctrinae tenetur vel implicite in professione propositionis universalioris (e. g. ut ante definitionem habebatur doctrina, quousque omnimoda sanctitas Matris Dei, quousque necessitas supernaturalis adiutorii gratiae protendatur cf. Aug. de Praedest. SS. n. 2. 7. 27.); vel tenetur usu et praxi magis quam theoretica et distincta propositione ac instanti praedicatione (cf. Aug. de dono Perseverant. n. 63. 65.) (1), cuius modi exemplum habes in doctrina de baptismo ab haereticis collato usque ad tempora Agrippini ineunte saeculo III, de canone Scripturarum sacrarum veteris Testamenti usque ad saeculum III. labens vel IV. iniens. *Alterum stadium* est, quando huiusmodi caput doctrinae incipit vocari in controversiam, et ideo examinari et inquiri diligentius. Orta et durante controversia sine dubio fluctuatio aliqua inducitur, et apud aliquos maior obscuritas quam fuerat ante controversiam, donec paulatim inquisitione ipsa sub assistentia et directione Spiritus Sancti res ad liquidum deducatur. « Quomodo enim potuit ista res, ait Augustinus de commemorata controversia tempore Cypriani, *tantis altercationum nebulis involuta* ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones *multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus Episcoporum pertractata constaret?* » de Baptism. II. n. 5. Sequitur itaque *tertium stadium*, quando magisterii authentici solemni iudicio vel aliter consensu invalescente de dogmatis revelatione iam certo constat, il-

(1) De gratia necessaria etiam ad initium fidei et ad perseverandum ita ibi n. 63. loquitur Augustinus. « De hac re quam nunc adversus novos haereticos non commemorare tantum, sed plane tueri et defendere compellimur, *numquam tacuit (Ecclesia) in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exserendam nullo urgente adversario non putavit* » etc.

ludque quaestione eliquatâ transit in explicitum intellectum catholicum et in manifestam praedicationem ecclesiasticam. Hac autem manifesta consensione et explicita disertaque praedicatione posita, iam intra fines Ecclesiae nec dissensio nec obscuratio dogmatis locum habere potest. Unde in Bulla *Auctorem fidei* damnata est haeretica propositio Pistoriensium n. 1. qua affirmabant: « postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi. »

Omnes tres illas conditiones et formas quaestionum de quibus agimus, memorat et clare designat s. Augustinus de Baptism. II. 12-14. « Nolite ergo nobis auctoritatem obiicere Cypriani ad baptismi repetitionem... *Nondum enim erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia* in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est. Quam consuetudinem credo ex apostolica Traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum. » Habes primum stadium, ubi nullâ ortâ controversiâ Traditio est in consuetudine et praxi magis quam in diserta et instanti praedicatione. Sequitur descriptio secundi stadii apud Augustinum. « Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit s. Cyprianus *quasi coepisse corrigi... Irruente itaque tam magna quaestione,* cum... difficile ratio redderetur, et praecederet auctoritas Agrippini et nonnullorum, qui ei consenserant, hominum in hac quaestione deficientium... irruerunt in oculos animae verisimiles rationes et *intercluserunt iter pervestigandae veritatis...* Cum fatigatum (Cyprianum) praecedentis Concilii, quod per Agrippinum factum est, excepisset auctoritas, maluit praedecessorum suorum (in sede Carthaginensi inde ab Agrippino) tamquam inventum defendere quam inquirendo amplius laborare. » Vides in secundo hoc statu quaestionis motas controversias et inductam aliquam obscuritatem. Sed audiatur rei exitus. « Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur et quaeritur, *non solum inventa est (veritas)*

sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta (1), post Cypriani quidem passionem (anno 258.), sed antequam nos nati essemus » (anno 353.). Est hic ultimus status quaestionis eliquatae iam et plenissimi consensus in Ecclesia catholica, cui quia repugnabant Donatistae, schismatici erant et haeretici. Eadem fere triplicis stadii descriptio est apud Augustinum ibid. l. I. n. 9; l. II. n. 5. 6. 20; l. IV. n. 12.

Ex stadio secundo inquisitionis et fluctuationis si transitur ad stadium tertium pleni consensus, hunc ipsum consensum in doctrinam tamquam revelatam esse criterium certum ac infallibile Traditionis divinae, adeoque numquam posse praevalere consensum negantem contra id, quod obiective continetur in revelatione, demonstratum est in superioribus th. VIII. n. I; Coroll. 1. et 2. ad th. IX.

Scholion. Cavendum est, ne quod diximus de veritatibus quibusdam implicitis in praedicatione apostolica et de necessaria ulteriori declaratione per magisterium ecclesiasticum adversus varias successu temporis exsurgentium errorum formas, praepostere transferatur ad ipsam Apostolorum intelligentiam, atque intelligentia fidei minus perfecta in ipsis Apostolis quam in Patribus et in posterioribus doctoribus fuisse putetur, quod Günther secundum suam falsam notionem Traditionis asserere ausus est. Longe aliud est, quod Apostoli dogmata non proposuerint sub omnibus formis, quibus enuntiari possunt directe opposita multiplicibus erroribus, et quod ideo definitiones dogmatum eorundem aliis terminis et modis loquendi et novis explicationibus accommodis ad temporum exigentias, adhibitis etiam analogis ideis rationalibus, sequioribus aetatibus necessariae fuerunt (2); et aliud est, quod Apostoli ipsi fidei dog-

(1) Disputatur, utrum Concilium hoc *plenarium* et *universae Ecclesiae*, et (ut de Baptism. I. 7. loquitur) *plenarium totius orbis* saepe ab Augustino commendatum intelligi debeat Arelatense I. anni 314. an Nicaenum anni 325. Vide Natalem Alexandrum in saec. III. dissert. 24.

(2) Hoc sensu declarant e. g. Athanasius definitionem Nicaenam, Filium esse *ex substantia Patris* et *consubstantialem* Patri (de decret. Nicaen. n. 19. 23.), Nazianzenus explicationes doctrinae de Spiritu Sancto,

mata secundum totam intimam rationem scientia infusa (de hac enim, non de scientia humanis studiis acquisita sermo est) minus distincte cognoverint quam doctores subsequentes. Hoc alterum theologi catholici communiter reprobant etiam ut temerarium, ait Suarez (de Fide disp. II. sect. 6. n. 10.), vel aliqui dicunt etiam erroneum, ut Valentia (T. III. disp. I. q. 1. puncto 6.). Nihilominus quoad explicitam Apostolorum intelligentiam sapienter distinguunt Suarez l. c. n.18, de Lugo (de Fide disp. III. sect.5. n. 71. 72.) inter ipsum proprium sensum dogmatis, quem Apostoli fide infusa explicite et sicut primis promulgatoribus religionis christianae conveniens erat, perfecte cognoscebant, et inter contingentia particularia, ad quae illud ipsum quod in doctrina revelata propositum est, suo tempore esset applicandum. Haec particularia e. g. singulos comprehensos in serie successorum Petri, ad quos verba pertinent « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, » et alia multa huiusmodi Deus in sua revelatione utique distincte comprehendebat; Apostoli autem ea nonnisi confuse et in generali intellexisse dicendi sunt, nisi eis omnia futura revelata fuisse absque ulla ratione fingamus.

ubi dicuntur « non formidandi calumniatores nominum, quae scripta non essent, ex Scriptura tamen intelligi possent » (or. 31. al. 27. n. 24. T. I. p. 571.), Augustinus appellationes trium *personarum* et unius *essentiae* in Deo (de Trin. VII. n. 9.) etc.

THESIS XXIV.

De vero sensu canonis Vincentiani.

« Canon s. Vincentii Lirinensis (Commonit. n. 3. 4. 38. 41.), quo cha-
» racteres doctrinae catholicae assignantur *universitas, antiquitas* et *con-
» sensio fidei,* si 1°. per se spectetur, verissimus est sensu *affirman-
» te,* quod doctrina hisce characteribus insignis est certe dogma fidei
» catholicae; non tamen verus est sensu excludente ita, ut ad depositum
» fidei nihil pertinere possit, quod non *ubique et ab omnibus semper*
» explicite creditum sit. Si autem 2°. sensus regulae in contextu ipsius
» Commonitorii quaeratur, nihil aliud exhibetur quam duplex nota,
» utravis sufficiens ad dignoscendam *antiquitatem absolutam* seu *aposto-
» licitatem* doctrinae, consensus videlicet praesens Ecclesiae et consen-
» sus antiquitatis relativae existens ante exortam controversiam. »

I. Canonem de quo agimus, Lirinensis enuntiat his verbis. « In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique,* quod *semper,* quod *ab omnibus* creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum... Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem* » n. 3. Agitur itaque de capitibus, quae non quomodocumque in Ecclesia tenentur et observantur, sed quae fide sunt *credita* (1). Creditum esse potest aliquid dupliciter, *explicite* scilicet vel *implicite* tantum (cf. th. XXIII. n. I.). Quidquid continetur in deposito obiectivae revelationis, sine dubio *ubique, semper, ab omnibus* catholicis creditum est saltem *implicite,* nec quidquam potest in deposito contineri, quin ita sit creditum; desineret enim iam esse catholicus, qui promptum non gereret animum ad credenda omnia, quae sibi tamquam divinitus revelata fuerint sufficienter proposita, seu cuius *habitus fidei* non extenderetur ad assensum praestandum omnibus in revelatione comprehensis. At hoc sensu *semper et ubique creditum esse* non potest dari velut criterium et regula theo-

(1) Extenditur quidem non modo ad divinas sed etiam ad mere apostolicas Traditiones regula ab Augustino de Bapt. l. IV. c. 24. et alibi proposita: « quod universa *tenet* Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper *retentum est,* nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur; » sed latius patet semper *retentum esse* apud Augustinum, quam semper *creditum esse* apud Lirinensem. Cf. supra p. 15.

logica ad discernenda ea, quae in revelatione continentur; obiecta enim fidei implicite dumtaxat credita non cognoscuntur in se ipsis tamquam revelata. Sed immo quaerere, utrum aliquid sit ubique, semper, ab omnibus saltem implicite creditum, est idem ac quaerere utrum aliquid in obiectiva revelatione et Traditione contineatur, quae res est inquirenda per aliud, non autem nota ad aliud inveniendum. Quamvis ergo verum sit tam sensu affirmante quam excludente, id omne pertinere ad depositum fidei quod *ubique, semper* et *ab omnibus* saltem implicite creditum est, et nihil ad depositum pertinere, quod ita creditum non sit; non potest tamen haec esse significatio regulae Vincentianae.

Intelligi itaque criterium propositum non potest nisi de fide explicita. Iam vero constat ex thesibus superioribus, consensum universalem in aliquod dogma ut doctrinam fidei, quovis tempore is existat, esse criterium certum doctrinae divinitus traditae (th. V. n. III; th. VIII. n. I. II; Coroll. 1. ad th. IX; th. XI. n.II.). Ergo sine dubio talis consensus *antiquitatis,* et splendidissime consensus universalis omnium aetatum demonstrat Traditionem divinam (th. XIV. XV.). Quod ergo *ubique, semper, ab omnibus creditum est*, non potest non esse revelatum et divinitus traditum.

At vero ex superioribus pariter constat, posse aliqua doctrinae capita contineri in deposito obiectivae revelationis, quae non semper erant in manifesta et explicita praedicatione ecclesiastica, et quae proinde quamdiu sufficienter proposita non erant, intra ipsos fines Ecclesiae in controversiam vocari poterant citra iacturam fidei et communionis (coroll. 2. ad th. IX. et th. XXIII.). Ergo potest aliquod doctrinae caput contineri in obiectiva revelatione, et potest etiam successu temporis, facta sufficiente explicatione et propositione, pertinere ad veritates fide catholica necessario credendas, quod licet semper contentum in deposito revelationis, non tamen *semper, ubique, et ab omnibus* explicite erat creditum aut necessario credendum. Quamvis ergo characteres in canone enumerati si adsint, evidenter demonstrent, doctrinam cui competunt, esse dogma fidei ca-

tholicae; non tamen si desint, eo ipso iam constat, doctrinam non contineri in deposito fidei, aut doctrinam hoc ipso quod aliquo tempore ob defectum sufficientis propositionis non erat explicite credenda, nullo tempore esse credendam. Canon ergo verus est sensu *affirmante,* non tamen potest admitti sensu *negante* et *excludente.*

II. Si canon spectetur in contextu et una cum explicatione, qua declaratur a Vincentio, apparet sensum eius esse sequentem. *a*) *Antiquitas absoluta* seu *apostolicitas* doctrinae non proponitur ut nota, per quam aliud inquiratur; sed est ipsa res quae inquiritur. *b*) Tamquam notae, per quas apostolicitas doctrinae cognoscenda sit, proponuntur duae proprietates: *universitas* quae est *consensus praesens Ecclesiae,* et *consensio antiquitatis* (1), relativae scilicet, i. e. consensus qui demonstretur exstitisse ante exortam controversiam. Ex utravis harum duarum notarum cognoscitur et infertur *antiquitas absoluta.* Quando enim sive per solemne iudicium magisterii authentici (Concilii oecumenici vel Pontificis) sive per unanimem praedicationem ecclesiasticam consensio praesens *universitatis* est clara et manifesta, haec sola per se sufficit; si vero orta iam controversia consensus hic esset minus perspectus, vel ab adversariis confutandis non agnosceretur, tum ait Vincentius appellandum esse ad *consensionem antiquitatis* manifestam vel solemnibus iudiciis vel conspirantibus sententiis Patrum. Postremo si in disputatione polemica haeretici eo progrederentur, ut neque eam antecedentium Patrum auctoritatem venerarentur, non aliud remanere fatetur commune nobis et illis principium quam auctoritatem Scripturae. Veritas huius nostrae interpretationis elucet ex contextibus omnibus ipsius Commonitorii Vincentiani.

1°. Iubet tenere id, « quod ubique, semper, ab omnibus

(1) Quod n. 3. 4. 38. a Vincentio videtur dici tribus membris: *universitas, antiquitas, consensio,* revera non tria sed duo tantum membra continet realiter distincta, ut apparet ex ipsius auctoris explicatione; et n. 41. (h. e. in recapitulatione, quae sola nobis superest ex secundo Commonitorio) ipsemet illa tria contrahit in duo membra: « diximus, inquit, *universitatis* et *antiquitatis consensionem* spectari oportere. »

creditum est, » nihil discernens utrum ita creditum fuerit explicite an implicite (n. 3.). Tum vero proponit notas, ex quibus perveniamus in cognitionem, utrum aliquid ita ubique, semper, ab omnibus sit creditum, quae notae sunt *universitas, antiquitas, consensio.* « Sed hoc (ut teneamus id, quod ubique, semper, ab omnibus creditum est) ita demum fiet, inquit, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem.* » Ergo *ubique, semper, et ab omnibus creditum esse* est res cognoscenda per aliud, non vero nota et criterium cognitionis; notae autem sunt *universitas, antiquitas, consensio.*

2°. Iam vero Vincentius quid intelligat nomine *universitatis,* ita continuo declarat: « sequemur autem *universitatem* hoc modo, si unam fidem veram esse fateamur, *quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia.* » Est itaque *universitas* consensio totius Ecclesiae et quidem, quatenus distinguitur a nota *antiquitatis*, consensio Ecclesiae *hac praesenti aetate,* qua oritur quaestio. Id manifestum est ex n. 4, ubi *universitatem* tamquam consensionem praesentem, quae ab aliquibus turbari potest inventis novis erroribus, confert cum *antiquitate* tamquam consensione aetatis praecedentis, « quae prorsus iam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. » Praeterea ibidem n. 4. ait, sequendam esse *universitatis consensionem,* « ne ab *unitatis integritate* in partem schismatis abrumpamur, » quod deinde n. 5. exemplo illustrat catholicorum in Africa, qui « detestato schismate (Donati) *universis mundi Ecclesiis* (utique in praesenti consentientibus) *adsociati sunt.* »

3°. *Antiquitatem* quatenus *nota* est, intelligi a Vincentio *relativam,* ut ex ea inferatur *antiquitas absoluta* seu *apostolicitas,* constat ex toto modo disputandi. Antiquitatem enim semper constituit in praecedentium Patrum vel Conciliorum sententia, quae fuerat ante ortum haereseos confutandae vel controversiae decidendae. « Item in ipsa vetustate, inquit n. 38, unius sive paucissimorum temeritati primum omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta praeponant; tunc deinde, si id minus est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias

magistrorum » (1). Et n. 39. antiquis haeresibus vult opponi Concilia facta iam ante illas haereses exortas, aut si haec etiam ab eis haereticis contemnantur, tum demum polemice contra eos remanere ut communem fontem Scripturas.

4°. Denique utramvis notam vel scilicet *consensionem*

(1) Ne quis forte ex hoc et aliis hisce similibus locis Lirinensem accuset erroris contra infallibilem auctoritatem definitionum Romani Pontificis, haec animadvertenda sunt. 1°. Lirinensi propositum est non solum pro catholicis, sed etiam polemice contra novitates haereticorum exhibere notas apostolicitatis doctrinae a nemine recusandas. 2°. Proponit has notas contra « haereses novitias recentesque tantummodo, quam primum scilicet exoriuntur » n. 39. Hinc supponendo nullum adhuc contra eas nuper exortas *directum iudicium* prodiisse, neque poterat commode ad definitionem Pontificis appellare. 3°. Notae quas *affirmando* adfert, sunt omnino verissimae; sed non propterea *negat et excludit* notas alias pro diversitate rerum et adiunctorum. 4°. In iis ipsis notis quas proponit, authenticum iudicium Apostolicae Sedis saltem implicite includitur. Quando enim huiusmodi iudicium exstat, illud *universitatem* aut *antiquitatem* consensionis authentice declarat, vel *universitatem* certissime efficit. Adeoque si antiquitus edita exstat definitio Pontificis (de *antiquitate* enim in hoc numero 38. immediate agit), semper etiam potest provocari ad « multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. » 5°. Lirinensi non secus ac pridem Irenaeo satis esse provocare ad auctoritatem Sedis Apostolicae, ut innotescat apostolicitas doctrinae, ipsemet non obscure indicat n. 9. « Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, et hoc *ab Apostolica potissimum Sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorum beata successio* (Romanos Pontifices dicit) quanta vi *semper*, quanto studio, quanta contentione *defenderit susceptae semel religionis integritatem.* » Narrata deinde innovatione rebaptizantium inde ab Agrippino Carthaginensi, in haec verba prosequitur. « Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur; tunc beatae memoriae Papa Stephanus Apostolicae Sedis antistes cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, *si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.* Denique in epistola quae tunc ad Africam missa est, *his verbis sanxit, nihil novandum, nisi quod traditum est..... Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.* »

universitatis praesentis vel ***consensionem antiquitatis*** sufficere ad demonstrandam apostolicitatem doctrinae, luculenter docet Lirinensis locis omnibus. « Quid igitur tunc faciet Christianus catholicus, interrogat n. 4, si se aliqua Ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? » « Quid utique, respondet, nisi ut pestifero corruptoque membro ***sanitatem universi corporis*** anteponat? » Si vero de praesenti consensu ob ortas perturbationes esset dubitatio, alterum restat: « tunc item providebit, inquit, ***ut antiquitati inhaereat.*** »

Non potest igitur dubitari, quin is sit genuinus sensus s. Vincentii, quem in thesi enuntiavimus. Doctrina autem cui desit utraque nota, debet censeri catholicae fidei saltem nondum satis proposita; doctrina repugnans alterutri consensioni debet censeri novitas profana.

THESIS XXV.

De munere coniuncto custodum atque doctorum fidei, et de modo explicationis depositi.

« Ex dictis infertur propriisque argumentis confirmatur, infallibiles » fidei custodes esse etiam infallibiles *fidei doctores*, ut in obiectiva re- » velatione Scripturae et Traditionis *implicita explicent, ambigua defi-* » *niant*, minus diserta *instantiori praedicatione proponant*, erroribus » impugnata *defendant;* qua in functione licet elemento humano inqui- » sitionis et scientiae suus sit locus, infallibilitas tamen explicationis » et definitionis a promissa assistentia et directione Spiritus veritatis » repetenda est. Falsum est igitur, quod recens quaedam schola asseruit, » in explicatione dogmatum hoc unum esse munus Ecclesiae docentis » sub assistentia Spiritus Sancti, ut identidem ferat iudicium, quaenam » inter plures diversas intelligendi dogmatis rationes pro quolibet » scientiae stadio ceteris potior habenda sit. »

I. Ut in superioribus declaratum est, conceptus Traditionis divinae non eo absolvitur, quod summa aliqua formularum fidei conservatur; sed essentialis ratio Traditionis posita est in perpetua infallibili conservatione veri sensus ac verae intelligentiae depositi fidei ac doctrinae revelatae (cf. th. XI. n. II.). Porro in deposito fidei possunt contineri et continentur veritates, quae sunt implicitae in aliis, quae

aliquo tempore sunt adhuc obscurius et minus diserte propositae; unde de iis intra ipsos fines Ecclesiae possunt oriri controversiae, et possunt eaedem ab aliquibus in dubium vocari (th.XXIII.). Praeterea etiam dogmata quae iam clare proposita sunt, possunt ab errantibus vel ab haereticis praepostere intelligi et perverti ad sensum alienum sub multiplici forma erroris. Atqui ortis huiusmodi controversiis et imminentibus erroribus vera intelligentia doctrinae et integritas depositi infallibiliter conservari, et pro fine quem Deus revelationi praestituit, rite proponi nequit, nisi custodes fidei simul sint infallibiles *fidei doctores*. In hoc ipso enim posita est vera ratio et functio doctoratus authentici, de quo agimus, ut quae erant in deposito implicita, exhibeant iam explicita; ut quae erant ambigua et minus diserta necdum satis proposita, secundum verum sensum definiant, et expressius proponant; ut quae in alienum sensum sub diversis errorum formis detorquentur, definitis veris conceptibus et statutis verborum formulis adversus errores defendant. Non possunt ergo intelligi divinitus instituti custodes infallibiles depositi, quin eo ipso iidem intelligantur divinitus instituti *infallibiles doctores*, quia custodia depositi exercetur et perficitur ipsis functionibus doctoratus authentici, adeo ut munus hoc duplex custodum et doctorum fidei distingui quidem, non tamen subiecto et functione separari queat. Cf. th. XXIII.

Hinc Paulus Eph. IV. 11. coniungit charisma *pastorum et doctorum*. Munera quae subiecto et functione inter se differunt, Apostolus ibi clare distinguit et seiungit, haec vero duo munia non minus clare connectit particula coniunctionis. « Ipse (Christus) dedit *quosdam* quidem Apostolos, *quosdam* autem Prophetas (τους μεν-τους δε alios-alios), *alios* vero Evangelistas, *alios* autem *pastores et doctores* » (1). Hunc sensum Apostoli egregie declararunt ss. Hieronymus (commentar. in h. l.) et Augustinus (ep. 149. n. 11. al. 59. ad Paulinum). « Pastores et doctores, quos maxime ut discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut et tibi visum

(1) Και αὐτος ἐδωκε τους μεν ἀποστολους, τους δε προφητας, τους δε ἐυαγγελιστας, τους δε ποιμενας και διδασκαλους.

est, ut non alios pastores, alios doctores intelligamus; sed ideo cum praedixisset *pastores,* subiunxisse *doctores,* ut intelligerent pastores ad suum officium pertinere doctrinam. Ideo enim non ait, *quosdam autem pastores, quosdam vero doctores,* cum superiora ipso locutionis genere distingueret dicendo, *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam vero Evangelistas;* sed hoc tamquam unum aliquid duobus nominibus amplexus est, *quosdam autem pastores et doctores* » Aug. l. c. Eadem ratione concludit s. Hieronymus. « Nec vero putandum, quod sicut in superioribus tribus alios dixit esse Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas; ita et in pastoribus et magistris officia diversa posuerit. Non enim ait, *alios autem pastores et alios magistros,* sed *alios pastores et doctores,* ut qui pastor est, esse debeat et magister » Hieron.l.c. Ex ipsa ergo Christi institutione in munere pastorum includitur munus doctorum; unde idem Apostolus 1. Cor. XII. 28. in enumeratione parallela utrumque uno nomine *doctorum* comprehendisse videtur. « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores. » Si quis tamen contenderet, hoc altero loco enumerationem esse tantummodo charismatum *extraordinariorum,* parallelismus non esset adaequatus, sed nomen *doctorum* utroque loco positum solum generica non vero specifica significatione conveniret.

Sed quidquid censeas de posteriore hoc testimonio, inseparabilis coniunctio pastoratus a Christo instituti et doctoratus authentici tum ex ipso munere pastorum tum ex verbis citatis Eph. IV. manifesta est, tum ab ipso Apostolo aliis locis eadem unitas custodiae depositi et doctoratus sensu, quo nunc loquimur, satis declaratur. Contra « errantes et in errorem mittentes » in primis commendat Timotheo *custodiam depositi.* « Tu vero permane in his, quae didicisti et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris » 2. Tim. III. 14. Ad hoc ipsum vero munus custodiae depositi continenti contextu subiungit officium doctoratus, commendans eidem Scripturam tamquam instrumentum doctrinae, quo nempe in ipsa custodia eorum, quae didicerat et

quae ei erant credita, uteretur « ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus » ibid. v. 15-17. Functiones ergo doctoris coincidunt cum custodia eorum, quae tradita sunt et concredita. Eodem sensu iubet eundem Timotheum « recte tractare verbum veritatis » ib. II. 15; iubet attendere « lectioni et doctrinae, » ut seipsum salvum faciat et eos qui ipsum audiunt, ad quod munus ei data est gratia per impositionem manuum presbyterii 1. Tim. IV. 13-16. Sicut his locis *in recto* commendatur doctoratus, per quem custoditur verbum traditum veritatis; ita alibi directe iniungitur custodia depositi, in qua includitur doctoratus per formam sanorum verborum. « O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates (1) et oppositiones falsi nominis scientiae » 1. Tim. VI. 20. « Formam habe sanorum verborum (2)... bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis » 2. Tim. I. 13. 14.

II. Ex hac unitate muneris custodiendae fidei et doctoratus secundum functiones declaratas, seu ex eo ipso, quod munus custodum fidei a Christo institutum est ita, ut exerceatur per functiones doctoratus nec possit sine his integrum consistere, evidens est, idem principium quod confert infallibilitatem in custodia depositi, conferre eandem infallibilitatem in functionibus doctoratus. Quae ergo demonstrant promissam tutelam Christi ac directionem et assistentiam Spiritus veritatis, ut successio apostolica depositum fidei usque ad consummationem saeculi integrum semper infallibiliter custodiat (th. V-XI.), eadem omnia etiam demonstrant hanc tutelam Christi et assistentiam ac directionem Spiritus veritatis esse causam efficientem, per quam custodes depositi sub iisdem conditionibus, sub quibus in-

(1) Nunc in edd. graecis est κενοφωνιας; sed καινοφωνιας sicut Vulgata habent verss. Itala, Armena, plures Patres graeci et latini, nonnulli codd. graeci.

(2) Ὑποτυπωσιν ἐχε ὑγιαινοντων λογων, formam expressam habe sanarum doctrinarum ab Apostolis traditarum non solum ad credendum sed etiam ad docendum.

fallibiles sunt in custodienda fide, reddantur infallibiles in *explicandis,* clarius *proponendis,* distinctius *definiendis* et hoc ipso sincere *defendendis* veritatibus revelatis.

1°. Verba itaque Christi: « docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; » « ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis; » « Paraclitus autem Spiritus Sanctus ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis » (th. V.), non possunt pertinere ad successores Apostolorum ut perpetuos depositi custodes, quin ad eos pertineant ut fidei revelatae doctores secundum functiones, quas commemoravimus, quia his ipsis custodia depositi exercetur. Hinc Patres quos citavimus th. VIII. n. I, dum de assistentia et operatione Spiritus Sancti loquuntur ad infallibilem custodiam depositi per magisterium authenticum, plerumque has functiones doctoratus prae oculis habent. Rationem cur sit haereticum repugnare Ecclesiae consensu communi Scripturarum sensum declaranti, adeoque rationem infallibilitatis in expositione et explicatione dogmatum refert Irenaeus IV. 26. n. 5. « ad charismata Domini, per quae Scripturas sine periculo nobis exponunt ii, apud quos est ab Apostolis Ecclesiae successio. » Causa efficiens, ut in universali Ecclesia « non eat in errorem studiosissima speculatio » explicando verum sensum dogmatum, apud Augustinum (in Ps. 9. n. 12.) est « Dominus, qui ipsam Ecclesiam inhabitat. » Causa infallibilitatis definitionum dogmatum, quae adversus haereticos fiunt in Conciliis, apud Cyrillum Alex. T. V. P. II. p. 4. 175. « est Christus qui praesidet, » et « Spiritus Sanctus qui per Concilia loquitur. » Quod « in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio, » id inde est, « quia non potest D. N. Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » (in Professione subscripta ab orientalibus sub Hormisda, et sub Hadriano II. in Conc. VIII.). Ratio auctoritatis irrefragabilis consentientium Patrum, qui per temporum et locorum differentias dispensati doctorum munere funguntur,

apud Theodoretum T. IV. p. 33. et Leontium Galland. XII. p. 682. est « charisma Spiritus Sancti, quod acceperunt ad docendum in uno Spiritu, » et « gratia Spiritus Sancti, per quem edocti sunt et inter se consentiunt. »

2°. Quae quamvis ita sint, hoc tamen promissum et *ordinarium* charisma Spiritus veritatis non est per novam revelationem, ut demonstravimus th. XXII; sed est per assistentiam et per directionem Spiritus Sancti ita, ut elementum humanum inquisitionis, industriae, doctrinae acquisitae non excludatur, sed immo supponatur. Possumus quoad hanc rem distinguere tria, *occasionem*, *praeparationem*, *ultimam conclusionem* explicationis, clarioris propositionis, strictioris definitionis dogmatum.

a) *Occasionem* externam frequentissime praebent controversiae exortae, errores, haereses, ut ss. Patres saepe animadverterunt. Ipsa enim custodia depositi necessariam reddit adversus errores doctrinae revelatae defensionem, ex qua explicatio, strictior definitio, et instantior praedicatio dogmatis consequitur: « a quibus proficiscuntur instituta doctrinae, ab iisdem (decet) discordes eruditionis repugnantias solvi, » ait Gratianus Augustus (Opp. s. Ambrosii T. II. p. 787.). Conferantur Patres Concilii Chalcedonensis in allocutione ad Marcianum Augustum (Hard. II. p. 646. sq.); Athanas. de decret. Nicaen. n. 32; Hilar. Trin. l. II. n. 1. sqq.; Augustinus in Ps. 54. n. 22; de dono Persever. c. 20. n. 53; Civ. Dei l. XVI. c. 2. n. 1; Confess. l. VII. c. 19. n. 25. « Ex haereticis asserta est Catholica, inquit Augustinus in Ps. l. c., et ex his qui male sentiunt, probati sunt qui bene sentiunt. Multa enim *latebant in Scripturis;* et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt Ecclesiam Dei: *aperta sunt, quae latebant,* et intellecta est voluntas Dei. » « Multa quidem ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et *considerantur diligentius,* et *intelliguntur clarius,* et *instantius praedicantur;* et ab adversario mota quaestio discendi existit occasio » de Civ. Dei l. c.

b) *Praeparatio* interna explicationis varia est et latis-

sime patet. Ad elementum humanum hic sine dubio praeter alia pertinet scientia acquisita disciplinarum sacrarum, studium Scripturarum, operum ss. Patrum et universim monumentorum ecclesiasticorum, liturgiae, rituum, consuetudinum ecclesiasticarum, theologiae denique universae, in quibus omnibus subsidium disciplinarum etiam mere rationalium et humanarum deesse non potest. Tota denique haec opera et industria considerari debet subdita et subserviens auctoritati ac vigilantiae magisterii authentici. At non sola scientia constituitur hoc elementum praeparationis, quod dicimus humanum; sed alia sunt quam plurima rerum ac eventuum, et totius vitae christianae adiuncta ad populum christianum et ad universam Ecclesiam pertinentia, quibus explicatio, illustratio, distinctior definitio dogmatum praeparari potest.

Non opponimus igitur hoc loco *humanum divino* sicut distinguitur *natura* et *gratia;* sed *elementum humanum* dicimus tam naturalem quam supernaturalem *dispositionem ac cooperationem ex parte hominum,* quam Spiritus Sanctus sua providentia et assistentia moderatur ac dirigit ad fidei explicationem, definitionem ac defensionem. Unde elementum istud quod dicimus *humanum*, quatenus pertinet ad praeparationem explicationis, considerari debet semper sub speciali providentia et directione Spiritus Sancti; adeoque in ipsa praeparatione humanum a divino distingui, non tamen separari potest. Possumus autem hanc praeparationem spectare in universa Ecclesia et ideo primo loco in ipsa Ecclesia docente et in magisterio authentico, vel possumus eam considerare ut est in hominibus et coetibus privatis, puta in scholis et theologis vel in populo christiano. Primo modo debet dici directa praeparatio explicationis, sub providentia Spiritus Sancti inducentis in omnem veritatem; altero modo debet dici praeparatio indirecta, quatenus coniungitur et subservit auctoritati et actioni Ecclesiae docentis.

c) *Conclusionem* explicationis appellamus ipsam authenticam propositionem, quando iam dogma explicite, clare, diserte proponitur credendum; sive id fiat per solemnem

definitionem, sive per consensum universalem praedicationis ecclesiasticae aliter praevalentem. Iam vero quae hactenus disputavimus, demonstrant, etiam in ipsa hac *explicationis conclusione* elementum humanum suas partes habere, quoniam Ecclesia non novis revelationibus regitur, sed per assistentiam et gubernationem Spiritus Sancti in professione revelationis ab Apostolis traditae infallibiliter conservatur. Haec itaque assistentia et gubernatio organa humana divinitus instituta horumque operam dirigit ad consensum vel definitionem veri revelati, eisque in sua inquisitione assistit ita, ut ad consensum vel definitionem numquam perveniatur nisi secundum sensum genuinum in obiectiva revelatione contentum. Unde ad ipsam directionem et providentiam Spiritus Sancti pertinet efficere, ut *sufficiens* diligentia humana in fidei definitionibus numquam desit, quod recte animadvertunt Suarez (de Fide disp. V. sect. 8. n. 11.), Bellarminus (de Rom. Pontif. l. IV. c. 2.) et alii. Elementum humanum potest quidem esse varium in diversis adiunctis et diversis aetatibus; sed infallibilitas propositionis et definitionis tota nititur in promissa assistentia Spiritus Sancti, non vero pendet a perfectione elementi humani, diligentiae, inquisitionis, theologicae scientiae per se spectatae.

Nihilominus verum manet, quod diximus de elemento humano in explicatione fidei. Ecclesia nimirum sive ad universalem consensum in praedicatione sive ad formalem definitionem dogmatum, quae prius in controversiam vocabantur, a Spiritu Sancto non deducitur per novas revelationes et per inspirationem propheticam, nec deducitur (saltem ex infallibili promissione) per miracula psychologica. Sed elementum humanum, sive illud pro diversis temporibus et adiunctis sit in se perfectius sive imperfectius, habet *primo* indefectibiliter promissam tutelam Christi et Spiritus veritatis, *ne umquam „eat in errorem"* (ut loquitur Augustinus), ut scilicet numquam deveniatur ad universalem consensum praedicationis in dogmate fidei, quod veritas revelata non sit, nec umquam deveniatur ad definitionem, quae non sit vera. Ad huiusmodi verum con-

sensum aut veram definitionem *secundo* ipsum humanum elementum *deducitur per supernaturalem gubernationem* Spiritus Sancti, quae naturam non destruit sed elevat et ordinat.

Unde α) pro diversitate elementi humani potest aliquibus aetatibus explicatio fidei esse illustrior quam aliis. β) Pro eadem diversitate ipsae formales definitiones fidei possunt esse aliquibus temporibus pleniores, distinctiores, profundiores quam aliis. γ) Imo fieri potest, ut ex imperfectione elementi humani (scientiae, inquisitionis, cooperationis, sanctitatis) non deveniatur ad definitionem, ad quam Spiritus Sanctus sub conditione maioris perfectionis deduxisset. δ) Sed fieri numquam potest, quaecumque sint elementa humana, et quaecumque supponatur eorum imperfectio, ut ipse consensus praedicationis, de quo diximus, vel ipsa definitio ad quam deventum est, positive non contineat veritatem. Ad indefectibilitatem enim huius consensus horumque iudiciorum fidei omnibus diebus usque ad consummationem saeculi promissa est assistentia eius cui data est omnis potestas in coelo et in terra, ac Spiritus veritatis tam incommutabiliter, quam incommutabiliter promissa est indefectibilitas Ecclesiae (1).

(1) Lubet hic adscribere Ludovici Molinae lucidissimam huius rei explicationem. « Quamvis Spiritus Sanctus adfuerit semper Ecclesiae, ne in suis definitionibus erraret, omnesque proinde sint verissimae et inter se consentientes; negandum tamen idcirco non est, Deum, quando aliqua sese offerunt definienda, exigere ab Ecclesia cooperationem ac investigationem eorum quae definienda sunt, et pro qualitate hominum qui in Conciliis conveniunt, investigatione et industria quae adhibetur, et pro maiori vel minori peritia ac notitia rerum quae uno tempore quam aliis habetur, confici definitiones magis aut minus perspicuas, exactiusque ac plenius definiri res uno tempore quam aliis. Etenim Spiritus Sanctus cum suaviter omnia disponat, ita Ecclesiae ne erret, assistit, ut illius cooperationi et industriae, temporumque opportunitatibus ac circumstantiis suum locum relinquat. Neque propterea negare intendimus, ad Spiritum Sanctum pertinere illustrationibus aliisque auxiliis supernaturalibus adiuvare congregatos in Conciliis ad res definiendas, solereque abundantius uno tempore quam alio illa impertiri iuxta suae sapientiae ac providentiae ordinem ac dispositionem, prout Ecclesia plus uno tempore quam alio ad ea suscipienda seipsam disponit, atque

3°. Si quae diximus, in summam contrahamus, *explicatio doctrinae fidei* per doctores authenticos in his fere capitibus constituta intelligitur. Vel *a*) solemni definitione aut unanimi praevalente consensu authenticum magisterium proponit dogma in se ipso explicite, quod antea propositum erat in alio implicitum; vel *b*) sub determinatis conceptibus et respectu directe opposito certis quibusdam erroribus dogma declaratur, hocque ipso statuuntur determinatae ecclesiasticae verborum formae, quibus tales conceptus exprimuntur; vel *c*) quod prius obscurius erat et ambiguum, aut usu magis ac consuetudine constabat quam diserta praedicatione, definitur clarius et expressius. Ex his denique, ut patet, consequitur *d*) distinctior tum pro singulis tum pro universa Ecclesia intelligentia; hisque omnibus continetur instantior expliciti et definiti iam dogmatis praedicatio et adversus haereses validior defensio.

Est hic, ut brevissime dixit Albertus M. (3. dist. 25. a. 1. ad 1.) « potius profectus fidelis in fide, quam fidei in fideli, » h. e. profectus explicitae et distinctae cognitionis obiecti fidei, non incrementum ipsius obiecti in se. Eloquentius idem declarat Vincentius Lirinensis locis illis notissimis. « Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, ea-

iuxta suum beneplacitum, qui dona sua, ut vult, distribuit.... Cum vero disputationibus, assidua lectione, meditatione ac investigatione rerum, augeri soleat temporum progressu earum notitia ac intelligentia, Patresque in posterioribus Conciliis investigatione ac definitionibus priorum adiuventur, inde oritur, ut definitiones posteriorum Conciliorum esse soleant dilucidiores, pleniores magisque accuratae et exactae quam priorum. Ad posteriora etiam Concilia spectat interpretari, exactiusque ac plenius definire, quae in prioribus Conciliis minus dilucide, et non tam plene et exacte definita fuere. His de causis temporum progressu crescit in Ecclesia notitia rerum definitarum, non solum quoad numerum sed etiam quoad perspicuitatem et exactionem, ut in dogmate illo, an parvulis in baptismo gratia et virtutes theologicae infundantur, et in plerisque aliis est manifestum » Molina in 1. P. q. 14. a. 13. disput. XV. n. 7.

demque sententia... quodcumque in hac Ecclesiae Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est enim ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur; nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem » Commonitor. n. 27-32. cf. Basil. ep.223. al.79. num.3; Augustin. ll. cc.

III. Güntherus distinguebat facta historica in Scripturis consignata, et horum factorum intelligentiam. Hanc intelligentiam appellabat « traditionem doctrinalem » et « conscientiam Ecclesiae. » Porro intelligentiam eandem statuebat continua incrementa accipere ope scientiae philosophicae, adeo ut imperfectior fuerit in Apostolis quam in ss. Patribus, in his tamen minime perfecta immo admodum manca propter defectum verae philosophiae, donec tandem nunc reperta vera philosophia (Güntheriana) viam instravit, qua perveniatur ad supremam totius revelatae doctrinae intelligentiam atque ita ad conclusionem « traditionis doctrinalis, » seu, ut ipse loquitur, ad id quo *non plus ultra* procedi potest. In hoc scientiae profectu et veritatis explicatione per aetatum decursum ad magisterium Ecclesiae spectat inter varios modos intelligendi dogmatis quovis tempore obtinentes definire illum, qui eo tempore est *aptissimus.* Hac in definitione Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti est infallibilis; at non ideo definitus modus intelligendi dogmatis est perfectissimus. Imo proficiente humano intellectu in aliis scientiis, in philosophia generatim, in psychologia, in philosophia naturae, etiam illa ab Ecclesia pridem data dogmatis definitio apparebit imperfecta, et alia perfectior erit necessaria. Huiusmodi ergo definitiones quae ab Ecclesia diversis aetatibus editae sunt, ait Güntherus, agnoscendas esse ut continentes *aliquam veritatem,* non tamen veritatem et veram dogmatis intelligentiam simpliciter. Ita definitio Ephesina de unitate personae Christi continet

aliquam veritatem in eo positam, quod Christus homo fuit ab initio suae existentiae coniunctus Deo Verbo, sed non continet nec potuit continere supremam intelligentiam dogmatis (1), quia saeculo V. defuit philosophia saeculi XIX; Spiritus Sanctus vero hunc defectum noluit supplere iuxta sapientem oeconomiam, qua nec Moysi in V. T. revelata fuit veritas SS. Trinitatis, et iuxta effatum illud Christi: « non potestis portare modo. » Eadem ratione etiam Concilium Tridentinum dicitur a Günthero (in Annalibus philosophicis quos inscripsit *Lydia* 1852. p. 348-350.) « *quoddam interim*, cui utrum *definitivum* sit successurum, nemo novit. » Propaedeutica T. II. p. 259. sqq.; Aurorae australes et boreales p. 260-264; Lydia 1850. p. 94. sqq.

In tota hac theoria in primis conceptus *Traditionis doctrinalis* pervertitur; tum consequenter ad hanc idearum perversionem relatio inter intelligentiam Apostolorum et sequentium doctorum perperam stabilitur; ss. Patrum etiam consentientium auctoritas, et generatim doctoratus authenticus ad explicationem dogmatum vel negatur vel in alienum sensum detorquetur; hinc ministerium divinitus institutum in successione apostolica ad conservandam et explicandam Traditionem fere eliminatur, atque in eius locum aliquo modo cultores scientiae rationalis substituuntur; philosophia et scientia naturalis quae non potest esse nisi aliquod subsidium *elementi humani* in *praeparatione* explicationis, assumitur ut causa princeps totius explicationis; quamvis enim concedatur per Spiritum Sanctum explicationem esse infallibilem, hoc ipsum non rite declaratur. Praeterea Traditionis ipsius in se et obiective spectatae incrementum (utique ex falsa Traditionis notione) admittitur. Postremo conclusio explicationis et valor definitionis omnino praepostere concipitur. De hoc tantum ultimo hic agimus; reliqua enim ex superioribus thesibus confutata facile intelliguntur.

1°. Definitiones fidei sub ea verborum forma et sub iis

(1) Suprema haec intelligentia iuxta Güntherianos in eo est, quod duae personae divina et humana, manentes duae personae, coniunguntur in unam personam compositam. Huius commenti confutationem vide in tract. de Incarn. th. XXI. XXIV. XXV.

conceptibus, sub quibus proponuntur, credendae sunt fide irreformabili ac immobili. Hoc enim ipsum efficitur per assistentiam Spiritus Sancti, ut hisce Ecclesiae definitionibus nihil subsit, quod non sit obiective revelatum et immutabiliter verum. Quamvis ego fieri possit, ut dogma prius directe explicatum et definitum sub uno conceptu in oppositione adversus certum aliquem errorem (e. g. distinctio personarum in Deo adversus Sabellianos, unitas personae in Christo adversus Nestorianos), postea directe declaretur et definiatur sub alio conceptu adversus errorem alium forte priori contrarium (e. g. unitas essentiae in tribus personis adversus Arianos, distinctio naturarum in Christo adversus Monophysitas); fieri tamen numquam potest, ut conceptus prior non maneat in omne tempus infallibiliter verus et credendus tamquam dogma a Deo revelatum. Ita exempli causa postquam definitum est, unam esse personam Christi eamque divinam, nec hominem Christum esse aliam distinctam personam quam Christum Deum; non potest quovis tempore sequenti reperiri ut verum et admitti, aliam personam esse Deum Verbum et aliam distinctam personam Christum hominem, quomodocumque personae duae inter se unitae intelligantur. « Manet enim verbum fidei in aeternum, » ut ait Athanasius de definitione Nicaena (ep. ad Afros n. 2.). Sane nisi hoc fundamentale principium firmum sit, infallibilitas Ecclesiae tam in docendo quam in credendo, et constans veritas omnium dogmatum subvertetur.

2°. Ex his ipsis consequitur, relationem inter definitiones fidei et inter scientiam humanam omnino inversam esse et ei oppositam, quam Güntheriani conceperant. Post definitionem nefas est, ut scientia humana sensum dogmatis ad suas rationales ideas praeconceptas conformet; sed ordine inverso sensus in definitione propositus norma sit oportet scientiae et intelligentiae. Scientiae itaque theologicae munus est, *a*) ut satagat dogma secundum formam definitam quam accommodatissime concipere; expoliendo etiam, si opus sit, ad sensum definitae veritatis notiones philosophicas. Qua ratione e. g. notiones personae et naturae ad sensum dogmatis definiti de SS. Trinitate et

Incarnatione, notio generationis ad sensum dogmatis de processione Spiritus Sancti a doctoribus catholicis expolitae sunt non sine fructu ipsius etiam rationalis philosophiae (vid. tract. de Trin. th. XXX. XXXI.). *b*) Alterum et praecipuum deinde theologiae munus est, ut secundum sensum definitum veritatem ex monumentis revelationis demonstret, atque adversus errores et falsas intelligendi rationes tueatur. *c*) Haec ipsa necessaria defensio, et hoc studium verae intelligentiae postulat, ut dogmatis in definito suo sensu nexus ac concentus cum aliis veritatibus sive theologicis sive etiam rationalibus et naturalibus (quantum mysteriorum indoles permittit) inquiratur et manifestus exhibeatur. Valet itaque axioma Patrum sicut universim ita etiam in singulis capitibus pro scientia theologica: *fides praecedit, ut sequi possit rerum fidei scientia; in fide fundatur scientia; fides quaerit intellectum.* Non autem praecedit intellectus et scientia, ut fidei obiectum sub certa forma definitum ad suas ideas suumque genium conformet, nec potest admitti principium a Günthero indicatum ordine inverso: « intelligo ut credam, » si de alia scientia quam de cognitione motivorum credibilitatis sermo sit (S. Th. 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.).

Hanc ipsam doctrinam iam ab oecumenico Concilio Vaticano definitam habemus. « Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda; sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. » Huic definitioni in cap. IV. Constit. *Dei Filius,* respondet canon 3ium: « Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit. »

Corollarium. Sicut historia populi Dei in V. T. ab Adam usque ad Christum, pariterque historia evangelica et apo-

stolica est *historia divinae revelationis;* ita etiam inde a consummata obiectiva revelatione locum habere potest et certe habuit *historia explicationis et propositionis dogmatum.* Quoniam usu loquendi satis communi *dogma* fidei dici solet non tam veritas revelata in se, quam veritas revelata *quatenus est sufficienter proposita* in Ecclesia, sicut dici potest e. g. veritatem revelatam immaculatae Conceptionis B. V. non fuisse dogma fidei ante definitionem, nunc esse dogma fidei; propterea historia explicationis et propositionis veritatum revelatarum potest dici *historia dogmatum.* Quamvis ergo erraret, qui hac appellatione affirmaret historiam h. e. mutationem aliquam et profectum *revelationis obiectivae* post Apostolos, atque ita historiam dogmatum confunderet cum historia revelationis; et quamvis gravius adhuc erraret, qui hoc nomine uteretur ad asserendam mutabilitatem sive veritatis revelatae in se sive dogmatis sufficienter iam propositi: non est tamen quod quis offendatur nomine licet recentius invecto *historiae dogmatum;* habet enim nomen praeter illam praeposteram significationem aliam eamque verissimam. Quis enim dixerit, definitionum e. g. Tridentinarum, aut propositionis doctrinae de canone librorum sacrorum, aut definitionis nuper commemoratae de immaculata conceptione B. V. nullam esse historiam? Nihilominus ambiguitas et abusus nominis satis est, ut, ubi potest perperam intelligi, non adhibeatur sine declaratione, et potius dicatur *historia explicationis* quam historia dogmatum. Porro explicatio dogmatum, de qua in thesi egimus, non est idem ac theologia dogmatica seu schola theologica; ergo etiam *historia explicationis dogmatum* et *historia theologiae dogmaticae* distinguuntur.

Denique consideranti patebit, explicationem ac propositionem dogmatum eiusque historiam cohaerere cum historia revelationis ut cum suo fundamento praesupposito; necti intrinsecus cum historia theologiae ut cum suo consequenti, et aliquatenus ut cum aliquo antecedenti elemento praeparationis; copulari extrinsecus cum historia haereseon, a qua non tamquam a causa sed tamquam ab occasione

explicatio et explicationis modus quadam ratione pendet; patebit postremo, eandem historiam explicationis dogmatum constituere partem intimam historiae ecclesiasticae.

THESIS XXVI.

De discrimine explicationis depositi fidei ante et post completam revelationem.

« Explicatio et illustratio revelationis usque ad suum complementum per Christum et per Spiritum Sanctum in Apostolis, facta est a Deo ipso per novas continuo sibi succedentes revelationes. Instituta ergo comparatione inter diversas oeconomias, non autem inter singulas in his oeconomiis personas, dici debet depositum fidei eo fuisse explicatius, quo plenitudini temporis propinquius. Quod vero ait s. Thomas (2. 2. q. 1. a. 7.), quantum ad substantiam articulorum fidei non esse factum eorum augmentum per temporum successionem, sed quantum ad explicationem crevisse numerum articulorum, non eodem sensu intelligendum est, ac quando dicimus, in Ecclesia christiana post Apostolos nullum obiectivum incrementum depositi, eiusdem tamen explicationem locum habere posse. »

I. Sine dubio populus Dei unus est et latiori aliquo sensu una Ecclesia Dei ab initio humani generis usque ad consummationem saeculi, adhaerens Deo per fidem, spem et charitatem, atque ad hanc unionem cum Deo sicque ad aeternam salutem pertingens per merita Christi redemptoris, pro uno statu adhuc futuri, pro alio statu iam praesentis; « non enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (Act. IV. 12.). Vide Gregor. de Valentia Analys. fidei l. VI. c. 2. n. 2. Hinc Deus inde ab initio supernaturaliter seipsum, et redemptionem per Christum revelavit (Gen. III. 15.). In fide autem in Deum et in Christum redemptorem consistit ipsa (ut dici solet a theologis) *substantia fidei,* sine qua Ecclesia Dei numquam fuit: « haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum » (Io. XVII. 3.). Nihilominus discrimen est maximum inter modum revelationis, instituta, et sacramenta, ut se habuerunt ante Christi adventum, et ut completa sunt a Verbo incarnato in sua Ecclesia; sicut discrimen est inter promissionem et praeparationem ac inter rem ipsam promissam et completam. Unde distincta sane est

duplex oeconomia veteris ac novi Testamenti. In ipsa veteri oeconomia secundum ea omnia quae enumeravimus, discrimen non quidem eiusdem rationis sicut inter vetus et novum Testamentum, magnum tamen est inter populum Dei peculiarem collectum et formatum ministerio Moysis, et inter statum praecedentem ante Moysen, qui status pro ceteris gentibus etiam post institutionem populi peculiaris perduravit. Unde altera est distinctio, quae dici solet *legis naturae* et *legis scriptae;* seu oeconomiae patriarchalis et oeconomiae Mosaicae.

Iam si non singulas personas sed status diversos et oeconomias conferamus; primum quidem constat, revelationem patriarchalem, quatenus publica erat et communicanda aliis, penes Israelitas per Moysen collectos et formatos in peculiarem populum Dei conservatam fuisse aut renovatam; deinde vero revelationem eandem tum quoad doctrinam directam de Deo tum quoad veritates alias connexas et quoad doctrinam moralem, maxime autem quoad futurum Messiam fuisse explicatam, illustratam, disertius et instantius propositam per Moysen, prophetas, et inspiratos scriptores novis et moraliter loquendo continuo sibi succedentibus revelationibus usque ad completionem per adventum promissi et exspectati Messiae. Depositum ergo revelationis longe explicatius et amplius erat in lege scripta quam in oeconomia patriarchali, idque non per meram explicationem absque novis revelationibus; sed per incrementum ipsius obiectivi verbi Dei.

Si veteris oeconomiae pars utraque seorsum spectetur, facile patet, incrementum per temporum successionem in utraque fuisse. Nam revelationes et in serie patriarcharum praesertim inde ab Abraham non defuerunt; potissimum vero in oeconomia Mosaica missio prophetarum et inspiratio scriptorum sacrorum usque ad tempora secundi templi luculentissima, ab eo tempore minus quidem perspecta Iudaeis sed tamen realis numquam desiit (1). Hae vero revelationes

(1) Iudaei praeter modum sublimissimum quo Deus cum Moyse « ore ad os loquebatur » Num. XII. 18, distinguunt quatuor gradus: 1°. *prophe-*

novae utique incrementum erant depositi ex praecedentibus aetatibus transmissi. « Fides nostra, inquit s. Thomas, in duobus principaliter consistit; primo quidem in veri Dei cognitione... secundo in mysterio incarnationis... Si ergo de prophetia loquamur, in quantum ordinatur ad fidem deitatis, sic crevit secundum tres temporum distinctiones, scilicet ante legem, sub lege, et sub gratia. Nam ante legem Abraham et alii Patres prophetice sunt instructi de his, quae pertinent ad fidem deitatis. Unde et prophetae nominantur Ps. CIV. 15... Sub lege autem facta est revelatio prophetica de his, quae pertinent ad fidem deitatis, excellentius quam ante; quia iam oportebat circa hoc institui non solum speciales personas aut quasdam familias sed totum populum Exod. VI. 2... Postmodum vero tempore gratiae ab ipso Filio Dei revelatum est mysterium Trinitatis Matth. XXVIII. 19. In singulis tamen statibus prima revelatio excellentior fuit. Prima autem revelatio ante legem facta est Abrahae (computando tempora generis humani velut renovati post Noe, et respiciendo immediatam connexionem cum populo Israël; quoad revelationem ante diluvium posset idem dici de Adam, quod Angelicus hic dicit de Abraham)... Isaac vero facta est inferior revelatio quasi *fundata super revelatione facta Abrahae,* unde dictum est ei: ego sum Deus Abraham patris tui Gen. XXVI. 24; et similiter ad Iacob dictum est: ego sum Deus Abraham patris tui et Deus Isaac Gen. XXVIII. 12. Et similiter

tiam נְבוּאָה quae coniuncta est cum visione aliqua; 2°. *Spiritum Sanctum* רוּחַ הַקֹּדֶשׁ ubi est divina inspiratio interna sine visione (confer contra ordinem graduum S. Th. 2. 2. q. 174. a. 2. coll. a. 3.); 3°. *Urim et Tummim* אוּרִים וְתֻמִּים Lev. VIII. 8; Ecclesi. XLV. 12. (gr. 10.), quo Deus se revelabat sacerdotibus; 4°. *Filiam vocis* בַּת־קֹל quae est revelatio quaedam mediata, et concessa fuisse dicitur sapientibus et piis post tempora Malachiae sub secundo templo. « Praestantiores sapientum, dicitur in libro Kosri P. III. c. 11, durante templo secundo videbant figuras et audiebant *filiam vocis*, qui gradus est piorum, quo gradus prophetarum est superior. » Haec saltem eatenus valent, ut demonstrent, ipsos Iudaeos continuationem supernaturalis revelationis sub templo secundo non negasse.

in statu legis prima revelatio facta Moysi excellentior fuit, supra quam fundatur omnis alia prophetarum revelatio (sicut et ipsa fundatur super eam, quae facta est praecedentibus patriarchis). Ita etiam in tempore gratiae super revelatione facta Apostolis de fide Unitatis ét Trinitatis fundatur tota fides Ecclesiae (ipsa vero revelatio Christi et Spiritus Sancti per Apostolos est completio totius revelationis praecedentis). Quantum vero ad fidem incarnationis Christi, manifestum est, quod quanto fuerunt Christo propinquiores, sive ante sive post, ut plurimum plenius de hoc instructi fuerunt » S. Th. 2. 2. q. 174. a. 6.

Ceterum ne de propinquitate ad Christum difficultas oriatur, *a*) comparatio intelligenda est inter triplicem statum oeconomiae non inter personas singulas; *b*) adverti debet, totum novum Testamentum ut tempus novissimum et temporis plenitudinem esse Christo semper aeque propinquum: « et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. » Itaque saltem loquendo de statu ac fidei deposito et praescindendo a singulis personis indubitatum est, quod eloquentissime prosequitur s. Gregorius M. « Hoc quoque nobis sciendum est, quia et per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus Apostoli quam prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt... quia quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur » in Ezech. l. II. hom. 4. n. 10-12. (al. in Ez. hom. 16.). Vide Suarez de Fide disp. II. sect. 6; de Lugo de Fide disp. III. sect. 5.

II. S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 7. duo docet, quoad substantiam scilicet articulorum fidei non esse factum augmentum, et solum quoad explicationem crevisse numerum articulorum. Constat vero tum ex ipsa explicatione s. Thomae tum ex iis quae hactenus a nobis dicta sunt, hanc duplicem assertionem Angelici non esse intelligendam eo sensu, quo in N. T. post Apostolos nullum incrementum, sed solum explicationem depositi revelati locum habere posse in superioribus demonstravimus.

1°. Quoad negationem augmenti articulorum, distinguan-

tur oportet substantia fidei (obiectivae), et quae ad substantiam accedunt et cum illa connectuntur. Si consideremus fidem in sua completione, fidem inquam christianam, substantia eius est mysterium Dei unius et trini atque redemptionis per Verbum incarnatum: « opus evangelii, *substantia novi Testamenti,* quod exinde Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres crediti unum Deum sistunt... ut coram iam Deus in suis propriis nominibus et personis cognosceretur, qui et retro per Filium et Spiritum Sanctum praedicatus non agnoscebatur » Tertull. contr. Prax. c. 31.

Animadvertatur deinde, credi aliquid posse dupliciter, explicite et in se, tum implicite in alio explicite cognito. Implicitum unum in altero esse potest iterum dupliciter, primo modo ut in principio dirigente (principio formali); ita revelata et revelanda omnia creduntur implicite in auctoritate Dei revelantis, et omnia saltem satis proposita creduntur in fide Ecclesiae. Altero modo potest una veritas contineri in altera ut in principio includente (principio materiali); idque vel solum obiective et in se, ita ut a nobis nonnisi per novam revelationem ea comprehensio cognosci possit; vel etiam logice et quoad nos, ita ut comprehensio vel per analysin et deductionem vel alio modo e. g. ex historicis eventibus sine nova revelatione sit cognoscibilis (vide p. 284. nota).

Quae non aliter in revelatione continentur quam in principio dirigente, vel implicita sunt in principio includente solum obiective, non vero etiam quoad nos; ea revera nobis revelata non sunt, quamvis aliquid revelatum sit, in quo ut in principio illae veritates alterutro modo contineantur. Sunt autem in se revelata, quae continentur in principio includente etiam quoad nos, quamvis comprehensio nondum cognoscatur.

Hisce positis *a*) semper erat aliquid supernaturaliter a fidelibus cognitum, in quo implicite credebantur omnia revelata et revelanda; cognitum nempe erat obiectum formale fidei seu auctoritas Dei, si ei aliquid revelare placuerit. Imprimis ergo virtus seu supernaturalis habitus fidei semper erat eiusdem rationis. Habet enim virtus fidei suam

propriam speciem non ab obiecto materiali *quod creditur*, sed ab obiecto formali, *propter quod creditur;* virtus nimirum est supernaturalis, qua a Deo revelata *vera esse creduntur propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.*

b) Inde ab origine generis humani erant aliquae veritates explicite revelatae, in quibus saltem *obiective* continebatur implicita tota substantia fidei nostrae, et implicitae continebantur veritates aliae multae, quae temporis progressu explicite sunt revelatae. « Omnes articuli (per se ad fidem pertinentes cf. supra p. 283. 284.) implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud Heb. XI. 6: accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit. In Esse enim divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit; in fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via ad beatitudinem » S. Th. 2. 2. q. 1. a. 7. Semper ergo erant aliqui articuli fidei revelati, qui saltem implicite continebant substantiam articulorum totius fidei, et hoc sensu non est factum eorum augmentum per temporum successionem.

c) At pertinentia ad ipsam substantiam, mysterium Trinitatis, incarnatio Verbi et divinitas Messiae, licet cognita explicite hominibus specialiter a Deo illustratis, non tamen semper in revelatione publica et communi continebantur ita clare, ut in V. T. omnes ea credere tenerentur, aut non opus fuisset illustratione per claram revelationem novi Testamenti. Multae deinde veritates particulares de Christo, de modo et mediis sanctificationis etc., ut nihil dicamus de historicis, ita successu temporis revelata sunt, ut prius simpliciter non revelata fuisse dici debeant, cum sine nova revelatione cognosci ut fide credenda non potuerint. Unde simpliciter dicendum est, revelationem veritatum obiectivam in V. T. per temporum successionem incrementa accepisse. Et hoc est discrimen in comparatione ad novum Testamentum, in quo huiusmodi obiectivum incrementum,

post revelationis catholicae completionem per Apostolos, iam locum non habet (th. XXII.).

2°. Altera s. Thomae et reliquorum theologorum propositio erat de *explicatione* revelationis in V. T. « Quantum *ad explicationem* crevit numerus articulorum, quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite » S. Th. l. c. Ex discrimine inter comprehensionem quarumdam veritatum, quae *obiective* quidem erant implicitae in revelatione nondum completa V. T. non tamen ita, ut sine nova revelatione fieri possent explicitae, et inter comprehensionem implicitam veritatum, quae est logica etiam quoad nos in revelatione N. T. iam completa; ex eo inquam discrimine intelligitur quoque differentia inter modum utriusque explicationis. Prior illa nec facta est nec fieri potuit nisi a Deo per revelationem ipsius veritatis explicandae et nondum in se revelatae, quo ipso revelationi continuo novum incrementum accessit; posterior non est nisi veritatis iam pridem in se revelatae clarior propositio per explicationem verbi Dei in Ecclesia conservati et traditi, quae explicatio scientifice etiam opera et industria humana, authentice et infallibiliter per magisterium Ecclesiae sub assistentia Spiritus Sancti absque nova revelatione instituitur ac perficitur.



TRACTATUS DOGMATICUS
DE DIVINIS SCRIPTURIS

SECTIO I.
DE SACRAE SCRIPTURAE INSPIRATIONE.

CAPUT I.
DE EXISTENTIA SCRIPTURAE INSPIRATAE UNIVERSIM, ET DE VERA INSPIRATIONIS NOTIONE.

THESIS I.

Ex Traditione divina veteris Testamenti,
atque ex doctrina Christi ipsius et Apostolorum
libri omnes librorumque partes pertinentes ad s. Scripturam
aequali modo divinae auctoritatis
credi debent.

« Certo constat 1°. tempore Christi et Apostolorum penes Synagogam exstitisse collectionem librorum, in qua nonnisi libros divinos a maioribus acceptos contineri populus Iudaicus universus persuasum habebat; pariterque constat 2°. Christum Dominum ipsum Christique Apostolos hanc Iudaeorum fidem confirmasse ac libros in collectione nomine *Scripturae, Scripturae sacrae, Litterarum sacrarum* comprehensos tamquam divinos Ecclesiae commendasse. »

Quaerimus de nomine et significatione specifica, tum etiam de re *Scripturae sacrae*. Tria autem proponimus hac thesi demonstranda, *a*) hoc nomen *Scripturae* apud populum Dei tum ante Christum tum tempore Christi et Apostolorum et in ore Christi ipsius ac Apostolorum fuisse nomen proprium *unius collectionis librorum,* significans auctoritatem sacram solis et omnibus scriptis inhaerentem, quae hoc nomine *Scripturae* comprehenduntur; *b*) hanc auctoritatem quae nomine *Scripturae sacrae* significabatur, fuisse a Iudaeis creditam libris inesse omnino divinam tamquam *verbo Dei ipsius; c*) hanc ipsam auctoritatem divinam *Scripturae* ut *verbi Dei* Christum ipsum eiusque Apostolos supposuisse et docuisse.

I. Summi momenti est in causa praesenti, ut significatio nominis *Scripturae* apud populum Dei et in ore Christi ac Apostolorum propria uni *soli et toti collectioni* sacrorum librorum bene perspecta habeatur. Si enim certo constant haec duo, a populo Dei, ab ipso Christo Christique Apostolis nomine *Scripturae* fuisse intellecta omnia et sola scripta *unius sacrae collectionis,* et fuisse ipso nomine significatam *auctoritatem sacram ;* tum sane ex ipsa revelatione a Christo et ab Apostolis data et confirmata constabit, *hanc sacram auctoritatem,* quae nomine *Scripturae* significatur, inesse omnibus et solis scriptis, quae pertinere demonstrantur ad istam collectionem *Scripturae.*

Est autem ex his ipsis clarum, dum loquimur de *unitate collectionis librorum,* formam unitatis h. e. formalem rationem sub qua omnes isti libri unum constituere intelliguntur, esse ipsam unam in omnibus parem auctoritatem. Probanda itaque in primis nobis est haec *unitas collectionis librorum,* quae nomine proprio *Scripturae* significetur.

1°. Quod spectat existentiam *collectionis* alicuius antiquissimae librorum sacrorum velut in uno corpore iuris religiosi, sequentia animadvertisse sufficiet.

a) Aliquos ex libris qui inde a remotissima antiquitate nomine *Scripturarum* veteris Testamenti ab omnibus Christianis designantur, penes Iudaeos diu ante Christum, imo ab ipsa prima librorum origine in *una aliqua collectione* publice recepta exstitisse, ex ipso librorum scopo qui ex interna eorum indole elucet, manifestum est, quamdiu de *collectionis* amplitudine non quaeritur, et de numero librorum qui omnes et soli in ea fuerint comprehensi. Sunt enim saltem plures eorum librorum ita comparati, ut manifesto unum velut corpus constituant destinatum ad usum publicum in tota vita religiosa et civili illius populi. Cf. Exod. XVII. 14; XXIV. 4; Deut. IV. 1-15; XVII. 18. 19; XXVIII. 58-61; XXIX. 20; XXX. 10; XXXI. 9-13. 26. (1);

(1) « Scripsit itaque Moyses *legem hanc* אֶת־הַתּוֹרָה הַזֹּאת et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel; praecepitque eis dicens: post septem

1. Reg. X. 25; 3. Reg. II. 3; 4. Reg. XXII. 8. 10. sq.; Dan. IX. 2; 2. Esdr. VIII. 8; 1. Mach. I. 59. 60; 2. Mach. II. 13; Luc. IV. 16. sq.; Act. XIII. 15. 27; XV. 21; 2. Cor. III. 14.

b) Mentio simul cum partitione *unius totius collectionis* occurrit in prologo ad librum Ecclesiastici scripto tertio saeculo ante Christum (1). Partitio ter ibi commemorata est in *Legem, Prophetas*, et *alios libros*, « qui nobis a parentibus nostris traditi sunt. » Simul satis clare (praesertim in textu graeco) indicatur, totam eam collectionem, « *Legem, Prophetas, ceteraque aliorum librorum,* » tum temporis non solum hebraice sed iam etiam in versione graeca exstitisse (2). Simillima est *collectionis* distributio tempore

annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum convenientibus cunctis ex Israel.... leges *verba legis huius* coram omni Israel... ut audientes discant et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant impleantque *omnes sermones legis huius....* Postquam ergo scripsit Moyses *verba legis huius in volumine atque complevit,* praecepit Levitis.... dicens: tollite *librum istum* אֵת סֵפֶר הַתּוֹרָה הַזֶּה et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium » Deut. XXXI. His aliisque locis dum « liber Thorah » « omnia praecepta in libro Thorah » « *foedus scriptum in hoc libro Thorah* » (XXIX. 20. in textu hebraico) memorantur, non solum Deuteronomium sed totum pentateuchum intelligendum esse, vide in Introductione ad libros V. T. edita a Benedicto Welte P. II. sect. I. c. 1. §. 13. Eadem appellatio etiam latius patet 1. Mach. I. 59. 60. τα βιβλια του νομου... βιβλιον διαθηκης (quod apud Iosephum Antiq. XII. c. 5. n. 4. redditur βιβλος ἱερα και νομος). In sacra *bibliotheca* a Nehemia collecta ac tempore Machabaeorum restituta continebantur libri historici, prophetici, et psalmorum: « construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, et prophetarum, et David, et epistolas regum et de donariis » (καταβαλλομενος βιβλιοθηκην ἐπισυνηγαγε τα περι των βασιλεων, και προφητων, και τα του Δαυιδ και ἐπιστολας βασιλεων περι ἀναθεματων) 2. Mach. II. 13.

(1) Ex modo, quo describitur Ecclesi. L. summus sacerdos Simon filius Oniae colligunt eruditi, scriptorem libri, qui erat Iesus filius Sirach avus interpretis prologique auctoris, sub hoc sacerdote Simone adhuc superstite vixisse et sacerdotis maiestatem suis vidisse oculis. Ille autem fere certe est Simon I. cognomento Iustus, qui vixit 300. annis ante Christum. Unde liber scriptus fuerit circa annum 290. vel 280. ante Christum; interpretatio ergo simul cum prologo prodierit a nepote circa annum 230.

(2) Memorans interpres difficultatem transferendi libros sacros ex hebraica in aliam linguam ait: οὐ γαρ ἰσοδυναμεῖ αὐτα ἐν ἑαυτοις ἑβραϊ-

Christi in *Legem, Prophetas,* et *Psalmos* Matth. XXII. 40; Luc. XXIV. 27. 44.

Pariter apud Philonem Iudaeum (de vita contemplativa ed. Francofurth. 1691. p. 893.) divisio est in *leges, sermones per prophetas divinitus editos,* et *hymnos.* Distinctius Iosephus contr. Appion. l. I. n. 8. secundum eandem distributionem numerat libros ipsos. Locum adscribo integrum, quia saepius in sequentibus totum contextum prae oculis habuisse iuvabit. « Apud nos, inquit, nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissidentium et inter se pugnantium; sed *duo dumtaxat et viginti libri* sunt totius temporis descriptionem continentes, qui merito creduntur divini. Ex his *quinque* quidem sunt Moysis, qui et *leges* continent et humanae generationis traditionem usque ad ipsius (Moysis) obitum . . . A Moysis obitu usque ad imperium Artaxerxis regis Persarum post Xerxem *prophetae,* qui Moysi successere, res sua aetate gestas conscripserunt *tredecim libris ; quatuor* vero reliqui *hymnos* in Deum et praecepta vitae hominum complectuntur. Ab Artaxerxe autem usque ad nostram memoriam sunt quidem singula litteris mandata, sed non in aequali auctoritate libri habiti sunt cum praecedentibus, quia non accurate perspecta erat successio prophetarum (δια το μη γενεσθαι την των προφητων ἀκριβῆ διαδοχην). Porro re ipsa manifestum est, quanta nos veneratione libros nostros prosequamur. Cum enim tot iam saecula effluxerint, nemo nec adiicere quidquam nec ab iis demere aut mutare ausus est. Sed omnibus Iudaeis statim a prima nativitate congenitum est, ut haec scripta credant Dei dogmata et eis inhaereant ac pro eis, si opus sit, libenter mortem subeant. » Cum hac distributione librorum ad *unam collectionem* pertinentium convenit etiam ea, quae in Talmude ac penes Massoretas et nunc adhuc in Bibliis hebraicis observatur, in *Legem, Prophetas,* et *Hagiographa* תּוֹרָה נְבִיאִים כְּתוּבִים

στι λεγομενα, και ὁταν μεταχθῃ ἐις ἑτεραν γλωσσαν· ὀυ μονον δε ταυτα (**videlicet non solum hic liber ab ipso translatus**), ἀλλα και ὁ νομος και ἁι προφητειαι και τα λοιπα των βιβλων ὀυ μικραν ἐχει την διαφοραν ἐν ἑαυτοις λεγομενα.

2°. Unitas collectionis tamquam sacrae bibliothecae seiunctae ab omnibus aliis libris profanis iam ex dictis intelligi potest. Sed singillatim demonstrandum est id, in quo cardo praesentis quaestionis versatur, *formam unitatis* a populo Dei, ab ipso Christo Domino eiusque Apostolis fuisse constitutam in una pari auctoritate sacra omnium partium istius *collectionis,* et formalem rationem sacrae auctoritatis fuisse expressam nomine *Scripturae* tamquam proprio scriptis omnibus et solis istius sacrae bibliothecae, adeo ut cuicumque documento nomen *Scripturae* vel huic geminum tribuatur, hoc ipso designetur ut pars istius unius collectionis et eminens auctoritate sacra inhaerente huic toti et soli corpori *Scripturae.*

a) In novo Testamento a Christo et ab Apostolis *libri trium classium (Legis, Prophetarum, Psalmorum),* de quibus diximus, *singulique librorum textus* nomine collectivo *Scripturae, Scripturae sacrae,* et formulâ citationis *scriptum est* vel aliâ aequipollente designantur ita, ut appareat, esse hoc *nomen proprium* alicuius *unius collectionis* librorum notissimae, et esse *nomen excellentiae,* quo exsors et par omnibus illis libris et librorum textibus auctoritas significetur, ita ut appellatio ipsa per se habeatur velut certum pignus et ineluctabilis demonstratio veritatis.

α) A Christo Domino et ab Apostolis nomine *Scripturae* vel *Scripturae sacrae* tamquam auctoritas cui serviat omnis fidelis intellectus, citantur libri ex singulis classibus plus quam trigesies, modo nempe ex prima, modo ex secunda, modo ex tertia classe; eademque *appellatione excellentiae* circiter decies provocatur ad libros sacros in confuso et sine distinctione. Pariter sub formula aequipollente *scriptum est* indiscriminatim appellatur ad libros diversarum classium ferme nonagies. β) In novo Testamento textus ex diversis classibus simul adferuntur ac si essent ex uno eodemque libro sub communi formula *Scriptura dicit.* « Nonne *Scriptura* dicit: quia ex semine David (Ps. LXXXVIII. 5; CXXXI. 11.), et de Bethlehem castello (Mich. V. 2.) venit Christus? » Io. VII. 42. « Continet *Scriptura:* ecce pono in Sion lapidem summum angularem,

electum, pretiosum; et qui crediderit in eum, non confundetur (Is. XXVIII. 16.)... lapis quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli (Ps. CXVII. 22.), et lapis offensionis et petra scandali » (Is. VIII. 14.) 1. Pet. II. 6-8. Adferuntur textus ex diversis libris sub formula: « *una Scriptura, altera Scriptura,* » ut Io. XIX. 36. 37. Sub formula *scriptum est in Lege* citantur loca ex libris diversarum classium (1), atque ita nomine *Legis* proprio uni classi designatur tota collectio Io. X. 34; XII. 34; XV. 25; Rom. III. 19; 1. Cor. XVI. 21. Praeterea γ) diserte omnes tres classes connumerantur uno communi nomine *Scripturarum* Luc. XXIV. 44. 45. coll. 27. et 32. Denique δ) s. Paulus 2. Tim. III. 15. 16. primum totam collectionem appellat *sacras litteras* (τὰ ἱερὰ γράμματα cum articulo), deinde distributive quemvis librum illius collectionis designat ut *Scripturam,* hocque ipso ut eminentem auctoritate ex inspiratione divina, quae proprietas est ipso nomine *Scripturae* significata. De inspiratione et de hoc textu enucleatius postea dicemus; interim vero constat, nomen *Scripturae* esse *nomen proprium* designans exsortem et auctoritate eximiam collectionem librorum velut unum totum, in quo comprehensi libri omnes librorumque singuli textus sunt *Scriptura;* et quia sunt partes aut singularia dicta *Scripturae,* propterea eis omnibus asseritur una eademque auctoritas nomine *Scripturae* designata.

Exstabat igitur tempore Christi et Apostolorum *una collectio* librorum sacrorum, cuius unitatis ratio formalis non aliunde repetitur quam *ab una auctoritate* in toto et in omnibus partibus; hancque ipsam inhaerentem auctoritatem sacram nomen *Scriptura* in ore Christi et Apostolorum significat.

(1) Ita fit etiam a recentioribus magistris Iudaeorum e. g. in Tractatu Sanhedrin (de Iudiciis) fol. 91. col. 2: « dixit R. Iosua, quomodo probatur resurrectio mortuorum *ex Lege?* Quia dicitur Ps. LXXXIV. 5. non laudaverunt, sed laudabunt te. Dixit R. Chaia, dixisse R. Iohanam: quomodo probatur resurrectio mortuorum *ex Lege?* Quia dicitur Is. LII. 8. simul laudabunt, oculo ad oculum videbunt » (Wetsten. ad. Io. X. 34.). Cf. s. Hilar. in Psalm. prolog. n. 8.

b) Quoniam Christus Dominus, et Apostoli fidem Iudaeorum de Scripturis sacris supposuerunt et confirmaverunt ut veram, possumus ad ipsam doctrinam evangelicam et apostolicam distinctius intelligendam inquirere, quid Iudaei de unitate et auctoritate *Scripturae sacrae* tempore quo Christus et Apostoli eorum fidem in hoc capite ratam habebant ac approbabant, senserint et crediderint; haec enim ipsa erit fides confirmata et Ecclesiae tradita ab ipso Christo et Apostolis. Assumemus expositionem istius persuasionis Iudaeorum tum Hellenistarum ex Philone tum Palaestinensium ex Iosepho.

Philo in usu continuo et amplissimo sacrorum librorum qui est in eius operibus, indiscriminatim sive ad omnes sive ad singulos appellat ut ad *Scripturas sacras, libros sacros, sacrum sermonem, sacratissimam litteram, propheticum sermonem, prophetica dicta, oraculum, dicta sanctius edita, eloquium Dei* ἱερας γραφας, ἱερας βιβλους, ἱερον λογον, ἱερωτατον γραμμα, προφητικον λογον, προφητικα ῥηματα, χρησμον, το χρησθεν, τα ἱεροφαντηθεντα, λογιον του θεου (Eichhorn Repertor. T. V. p. 241-246.). Eodem modo Iosephus appellat *sacros libros, illos sacrarum Scripturarum libros, sacras litteras* ἱερας βιβλους, τας των ἱερων γραφων βιβλους, ἱερα γραμματα (Antiquit. praefat. p. 5; l. III. c. 5. n. 2; l. IV. c. 8. n. 48; l. X. c. 4. n. 2; contr. Appion. l. II. n. 4. ed. Haverkamp). Similiter (ut in N. T. fieri vidimus) quae sunt in libris Moysis et in libris Regum, comprehendit sub communi formula, « ita *scriptum esse in sacris libris* » Antiq. IX. c. 2. n. 2. Auctoritatem libri Iosue vindicat, quia est « inter *libros in templo servatos* » Antiq. V. c. 1. n. 17; auctoritatem libri Danielis, quia est « *in sacris Scripturis* » Antiq. X. c. 10. n. 4. Manifesto autem Philo et Iosephus non aliud exprimunt quam communem fidem populi Iudaici; atque adeo ex doctrina Synagogae a Christo et ab Apostolis confirmata nullum est dubium de unitate collectionis, quatenus par est et exsors auctoritas omnium librorum, qui nomine *Scripturae* comprehenduntur. Quae igitur dicuntur et probantur de auctoritate *Scripturae* universim vel de libris *Scripturae* singulis, ea demonstrant

auctoritatem totius collectionis omniumque librorum et omnium partium ad *Scripturam* pertinentium.

II. Diximus de unitate *Scripturarum*, et de sacra eis insita auctoritate tamquam *unitatis forma;* sed quae sit et quanta haec auctoritas significata ipsis nominibus *Scriptura, Scriptura sacra, sacrae litterae,* nondum est explicatum. Huius rei declarationem paulatim sequentibus thesibus perficiemus. Nunc dicimus, in fide populi Iudaici quam Christus Dominus et Apostoli confirmarunt, creditam fuisse, ut dogma fundamentale, *auctoritatem omnino divinam* Scripturae.

Inquiremus hanc fidem Synagogae iterum ex Iosepho et Philone; neque enim inter Iudaeos illius aetatis certiores testes nobis supersunt. Prior Palaestinensis ex genere sacerdotali, alter Iudaeus Hellenista evidenter ita loquuntur ubique, ut circa hoc caput non suam opinionem privatam, sed notoriam et publicam totius populi fidem pro ponere intelligantur.

Ipsae perpetuae appellationes *Scripturae sacrae, librorum sacrorum, librorum Scripturae* atque aliae, quas paullo ante commemoravimus, et modus provocandi ad eas Scripturas tamquam ad divinum corpus iuris iam satis demonstrant, habitos fuisse libros auctoritatis prorsus divinae. Potest tamen propria vis et significatio, qua constanter hisce nominibus excellentiae eos libros designant, ulterius determinari disertis testimoniis.

a) Testimonium Iosephi, cuius verba supra citavimus ex l. I. n. 8. contr. Appionem, ad haec revocatur. α) Eos libros, ait, tam didacticos et historicos quam propheticos non a se solum sed a suo populo credi et merito credi *divinos* (τα δικαιως θεια πεπιστευμενα); esse Iudaeis omnibus velut congenitum credere hos libros et horum librorum doctrinam *divina dogmata,* ita ut pro hac fide prompto animo mortem oppetant. β) Haec divinitas ex eo repetitur, quod libri illi omnes scripti sunt *a prophetis ex inspiratione divina,* nec ullis aliis quam prophetarum libris in ea collectione poterat esse locus. Postquam l. c. contr. Appion. n. 6. 7. dixit, solis « sacerdotibus et prophetis » penes Israelitas fuisse

munus scribendi historiam populi, sacerdotale autem genus semper servari impermixtum, concludit: « neque scribere omnibus fas erat, nec ulla in scriptis est discrepantia; sed *solis prophetis* (1), qui antiquissima quidem et veterrima *ex inspiratione divina* (κατα την ἐπιπνοιαν την ἀπο του θεου) didicerunt, res vero sui temporis clare descripserunt » (cf. Aug. Civ. Dei XVIII. c. 41.). Unde γ) nefas est in illis libris quidquam addere vel demere vel mutare. δ) Hanc fidem et venerationem erga divinos libros servant Iudaei, quatenus manifesta est et perspecta successio prophetarum, qui tum libros scripserunt tum eosdem universo populo tradiderunt.

b) Philo tum modo, quo Scripturis utitur fere semper mystico, demonstrat suae gentis fidem de earum divinitate; tum etiam diserte et frequenter docet, eos libros scriptos esse *a prophetis*, « quorum ore pater universorum oracula edidit » (de profugis p. 479.), « qui in persona Dei oracula ediderunt inspirati » (de Cherubim p. 116), « qui locuti sunt numine inspirati » (de confus. linguar. p. 326.). Quae quidem omnia non solum ad sermones ore prolatos, sed ad ipsa scripta referuntur; unde haec scripta appellat « eximia oracula prophetico ore edita » (de nomin. mutat. p. 1066.). Locus insignis Philonis ad rem praesentem est l. III. de vita Moysis p. 658. 659, ubi libros a LXX. interpretibus in graecam linguam translatos appellat « leges ex oraculis acceptas, in quibus nefas sit (in versione instituenda) quidquam vel demere vel apponere vel transponere. » Hinc ait necesse fuisse, ut LXX. interpretes in vertendis illis libris et ipsi *prophetaverint*: « quasi *numine correpti prophetabant* non alii alia, sed omnes eadem nomina et verba quasi quopiam invisibiliter singulis dictante » (2). Historiam in-

(1) Notio prophetae non solum est specifica, quam indicat etymologia vocis graecae, futura praenuntiantis, sed multo frequentius generica hominis loquentis, agentis, scribentis sub supernaturali extraordinaria operatione et inspiratione Dei ad divina consilia divinasque voluntates manifestandas hominibus, ut clarius indicat ipsum nomen hebraicum נָבִיא cf. P. Patrizi in Evang. l. III. dissert. 13. n. 12.

(2) Eadem quae Philo, narrant de inspiratione LXX. interpretum

terpretationis Philo habet ex Aristea (vide in Bibl. Gallandi T. II.); sed fama illa de modo interpretandi si vera non sit, originem non aliunde habere potuit quam ex communi fide totius populi de divinitate verbi scripti in istis libris. Ne minoris dignitatis et auctoritatis existimaretur versio prae textu hebraico, Hellenistis videbatur necessarium supponere non minus interpretes quam primos scriptores *prophetando* scripsisse. Nimirum sicut textus originalis communi fide populi Dei credebatur *prophetia,* ita ipsa versio vel erat vel ab Hellenistis supponebatur esse *prophetica* in significatione vocis generica, de qua diximus. Etiamsi ergo veritas famae de inspiratione interpretum negari possit, testimonium de fide communi populi Dei

eamque ex divinitate ss. Scripturarum deducunt Patres bene multi, Iustinus cohort. ad Graec. n. 13; Iren. III. c. 21. al. 25; Clemens Alex. Strom. I. p. 342; Hilarius in Pss. praefat. n. 8; Cyrillus Hierosol. catech. IV. n. 34; Epiphanius de mensur. et ponder. c. 6; Augustinus Civ. Dei XVIII. cc. 42. 43; Theodoretus in Pss. praefat. T. I. p. 396; Olympiodorus Catena in Iob prooem. ed. Patrit. Iunii; Chronicon Paschale ed. Paris p. 172; Georg. Syncellus Chronograph. ed. Venet. p. 216. 217.

« Nec mirum, ait Clemens Alexand. l. c., inspiratione Dei qui prophetiam dederat, etiam interpretationem tamquam prophetiam graecam esse effectam. » Augustinus vero ibi c. 42. post expositam interpretum inspirationem: « tam mirabile Dei munus acceperant, inquit, ut illarum Scripturarum non tamquam humanarum sed, sicut erant, tamquam divinarum etiam isto modo commendaretur auctoritas credituris quandoque gentibus profutura. » Sequenti capite 43. declarat, quam facili negotio ita conciliari queat discrepantia inter textum graecum et hebraicum. « Quidquid est in hebraeis codicibus, et non est apud interpretes Septuaginta, noluit ea per istos sed per illos prophetas Dei Spiritus dicere. Quidquid vero est apud Septuaginta, in hebraeis autem codicibus non est, per istos ea maluit quam per illos idem Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse prophetas. » Qui hanc sententiam voluerit tueri, poterit praeter sententiam Patrum in subsidium vocare, quod *a)* circa hoc tempus a primis Ptolomaeis usque ad posteriora tempora Machabaica (sub Ioanne Hircano I. vel eius filiis cf. 2. Mach. I. 10.) plures fuerunt inspirati ad scribendos libros, ut Iesus Sirach, scriptor libri Sapientiae, scriptores primi et secundi libri Mach.; quod *b)* certum est, editionem graecam fuisse adhibitam et non raro eius lectiones diversas a textu hebraico adoptatas ab ipsis Apostolis, atque ab eisdem libros sacros in ea editione et cum multis lectionibus diversis ab hebraica fuisse ut *Scripturas inspiratas* Ecclesiis traditos.

quoad inspirationem ipsius primae scriptionis librorum, ex qua fama illa originem habet, manet integrum ac indubitatum.

Nondum quaerimus hoc loco de specifica notione inspirationis; interim tamen ex dictis evidens est, Iudaeos tempore Christi et Apostolorum communi fide *sacram Scripturam*, ac proinde libros omnes in ea comprehensos et librorum partes (cf. n. I.) credidisse documenta scripta sub operatione Dei supernaturali ita, ut infallibiliter contineant verbum Dei, et documenta sint non humana sed divina, quibus credens ipsi Deo credat.

III. Hanc de dignitate et auctoritate Scripturae in populo Iudaico fidem, quae totam eius religiosam, politicam et domesticam vitam regebat ac sustentabat (cf. 1. Mach. XII. 9.), Christus Dominus ipse et eius Apostoli non modo non improbant vel corrigunt; sed immo dum ex una parte a Iudaeis ita credi et sentiri vel supponunt in usu ipso Scripturarum vel diserte testantur (Io. V. 39.), ex parte altera ipsi fidem eandem confirmant, et cum ea totam suam institutionem connectunt.

1°. Confirmat Christus ipse, dum ad easdem Scripturas appellat tamquam ad testificationem non humanam sed divinam et auctoritatis supremae ac infallibilis contra Iudaeos incredulos. « Ego autem non ab homine testimonium accipio..... Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. » Hoc testimonium maius adfert triplex, opera quae dedit ei Pater ut perficeret ea, vocem Patris, *Scripturas*. Hoc tertium testimonium pluribus declarat. « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me... Si autem illius (Moysis) litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? » Io. V. 34-47. Vide Io. X. 34. 35; Matth. XXI. 42. 43; XXII. 29. 31. etc. Utitur eisdem Scripturis tamquam instrumentis irrefragabilis auctoritatis ad instituendos discipulos fideles; inculcat necessitatem, ut impleantur Scripturae Matth. XXIV. 15; XXVI. 24. 31. 54; Luc. IV. 21; XVI. 29. 31; XVIII. 31; XXIV. 26. 27; Io. XIII. 18. Ipsi tentatori opponit sententias Scripturae *(scriptum est)* Matth. IV. 4. 7. 10.

2°. Confirmant eandem fidem Apostoli usu amplissimo, quo Scripturam adhibent tamquam instrumentum divinae doctrinae et divinae auctoritatis. Ex testificatione enim et auctoritate Scripturae probant divinam missionem et dignitatem Christi ipsius, et suae doctrinae ac praedicationis auctoritatem divinitatemque; quod sane aliis quam divinis testimoniis efficere nec poterant nec volebant. Quam late sese porrigat hic usus Scripturarum, patet vel ex solis citandi formulis *Scriptura dicit, Scriptura continet, scriptum est* etc. quae in N. T. longe plus quam centies occurrunt. Ut vis intelligatur argumenti, quod ex amplissimo hoc usu ducitur, is considerandus est in triplici forma.

a) Apostoli adhibent Scripturas *sensu litterali* tamquam verbum Dei (cf. Marc. VII. 13. coll. 10; Rom. III. 2.), cui serviat omnis intellectus, quodque non vi argumentorum, sed sola sua insita auctoritate valeat; ita ut argumentum divinae et revelatae veritatis et tota vis demonstrationis constituatur in formulis: *Scriptura dicit, scriptum est* Act. I. 16; III. 18. 21; VIII. 32. sqq.; XV. 15; XVII. 2; XVIII. 28; Rom. I. 2; III. 10. sqq.; IV. 23; IX. 17; X. 11; XV. 4; 1. Cor. XV. 3. 4; Gal. III. 8.

b) Utuntur Scripturarum textibus frequentissime secundum *sensum typicum* tamquam non minus verum et auctoritate verbi Dei efficacem ad probationes, quam est sensus litteralis Matth. II. 15. coll. Ps. XI. 1; Matth. XIII. 35. coll. Ps. LXXVII. 2; Io. XIII. 18. coll. Ps. XL. 10; Io. XIX. 36. coll. Exod. XII. 46; Act. I. 16. 20. coll. Ps. LXVIII. 26; CVIII. 8; Gal. IV. 22. 24; Heb. II. 13. coll. Is. VIII. 17. 18. At dum hac significatione typica ad exemplum Christi ipsius verba Scripturarum adhibent Apostoli, eo ipso supponunt et proponunt eas ut librum divinum, quia constat ex ipsa natura sensus typici, solum Deum posse esse eius auctorem. « Spiritualis sensus sacrae Scripturae accipitur ex hoc, inquit s. Thomas, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spiritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod eius solius est, qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est..... Unde in

nulla scientia, humana industria inventa, proprie loquendo potest inveniri nisi litteralis sensus, sed solum in ista Scriptura, cuius Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum » S. Th. Quodlib. VII. a. 16. cf. 1. q. 1. a. 10; cl. P. Patrizi Instit. de Interpret. Scriptur. c. 8; c. 9. a. 4; c. 10. a. 1. Insuper modo ipso, quo Apostoli absque declaratione et praeparatione hoc interpretandi genus adhibent, supponunt et approbant certam persuasionem ac fidem tam in Iudaeis quam in primis Christianis, contineri in Scriptura huiusmodi sensus typicos, proindeque supponunt et confirmant fidem de Scripturae divinitate, cum haec sit primum fundamentum sensus typici.

c) Demonstrant Apostoli, ad exemplum Christi ipsius, Scripturarum divinitatem *argumentandi ratione*, qua eis utuntur. Singulas enim quandoque voces et phrases incidentes urgent tamquam auctoritatem divinam ad gravissima quaeque demonstranda. Generatim Christus Dominus ipse enuntiat principium: « donec transeat coelum et terra, *iota unum aut unus apex* non praeteribit a lege, donec omnia fiant » Matth. V. 18; Luc. XVI. 17. Huic principio innixae argumentationes Apostolorum passim occurrunt. Colligunt veritates fundamentales ac proponunt ut revelationem demonstratam ex particula *adhuc semel* Heb. XII. 17; ex adiecto *novum* Testamentum ib. VIII. 8. coll. 13; ex nominibus *Melchisedech*, *Salem*, et ex omissa huius regis genealogia ib. VII. 2. 3; ex numero singulari in *semine tuo* Gal. III. 16; ex adiectivo *fidelia* πιστα: « dabo vobis sancta (1) David *fidelia* » Act. XIII. 34. Cf. Matth. XXII. 32. 43. coll. Marc. XII. 36; 1. Cor. IX. 9. 10. coll. 1. Tim. V. 18. Atqui talis argumentandi ratio in rebus gravissimis evidenter supponit et declarat sententiam de suprema auctoritate et de divinitate instrumenti. Christus ergo ipse et Christi Apostoli fidem, quam de hac librorum collectione penes Iudaeos fuisse vidimus, multipliciter usu ipso horum librorum confirmarunt; nec ergo potest divina

(1) In textu hebraico Is. LV. 3. nunc est: חַסְדֵי דָוִד הַנֶּאֱמָנִים *gratias* David fideles. Legerunt LXX. probabiliter חֲסָדֵי seu חֲסִידֵי.

auctoritas librorum omnium et partium librorum, quibuscumque nomen proprium *Scripturae* competit, vocari in dubium, quin Christi ipsius et Apostolorum auctoritati et manifestae doctrinae contradicatur.

THESIS II.

Libri Scripturae inspirati sunt ita, ut Deus sit librorum auctor.

« Cum libri non una sed pluribus rationibus divini dici queant;
» ex doctrina catholica tam in scriptis apostolicis quam in perpetua
» Traditione conservata, Scripturae credi debent *divinae* eo, quod sunt
» *libri Dei* et *Deus est librorum auctor* per suam supernaturalem actio-
» nem in conscriptores humanos, quae usu ecclesiastico ex ipsis Scri-
» pturis derivato *inspiratio* dicitur. »

I. Divinus potest dici liber *a*) *ratione materiae,* quod doctrinam continet divinitus revelatam sive ipsi scriptori sive aliis, quamvis scriptio illius doctrinae ex humana solum opera et industria profecta sit. Potest *b*) liber dici divinus *ratione modi scribendi sub assistentia* supernaturali Spiritus Sancti infallibiliter tantummodo *errorem praecavente* in iis saltem, quae ad scopum libri principem pertinent, quamvis ceterum scriptio ita sit ex mente, voluntate et opera humana, ut ipse homo scribens censeri debeat princeps in suo ordine auctor libri. *c*) Liber divinus est sensu strictiori *ratione scriptionis, quae sit efficienter a Deo* per hominem, in quem operetur ad scribendum et in scribendo ita, ut Deus ipse princeps *auctor libri* sensu proprio huius vocabuli censeri debeat. Haec supernaturalis et extraordinaria Dei operatio dicitur *inspiratio.*

Dicimus in thesi, Scripturas non solum primo et secundo sed etiam tertio modo, qui duos priores includit, secundum doctrinam catholicam credendas esse *divinas.*

Sane haec sententia, *Deus est auctor librorum sacrae Scripturae,* solemnibus iudiciis ab Ecclesia est proposita et declarata. In Concilio Florentino decretum pro Iacobitis (cf. Pallavic. Hist. Conc. Trid. l. VI. c. 11. n. 11–15.) ita habet. « Firmissime credit, profitetur et praedicat (sacrosancta Romana Ecclesia) unum verum Deum, Patrem et Filium

et Spiritum Sanctum esse omnium visibilium et invisibilium creatorem... Unum atque eundem *Deum veteris et novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt,* quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur » (enumerantur omnes libri canonici). Hanc definitionem repetit Concilium Trid. sess. IV. « Omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, *cum utriusque unus Deus sit auctor*... (s. synodus) suscipit et veneratur... Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, *pro sacris et canonicis* non susceperit... anathema sit. » Si cui videatur ambiguum, quo sensu hic dicatur Deus *auctor utriusque Testamenti*, attendat ad contextum et conferat decretum Florentinum, quod Patres Tridentini in sua definitione secuti sunt, ut constat ex historia Concilii (Pallavic. l. c.). In contextu incisum, « cum utriusque Testamenti unus Deus sit auctor, » continet rationem, cur libri utriusque Testamenti a Concilio suscipiantur pro sacris et canonicis. Atqui haec solum potest esse ratio ad suscipiendos libros, quatenus Deus vel directe dicitur auctor *librorum* utriusque Testamenti, vel dicitur auctor omnium *institutorum* utriusque Testamenti generatim et in his inclusive *etiam librorum.* Ergo uno vel altero sensu a Concilio Deus declaratur auctor librorum. In Concilio autem Florentino, ad cuius normam decretum Tridentinum conformatum est, locutio « Deus est *auctor* utriusque Testamenti, » diserte declaratur in hunc sensum, ut intelligatur *auctor librorum* utriusque Testamenti; neque enim explicatio adnexa, « i. e. *auctor Legis, Prophetarum atque Evangelii,* » alium sensum admittit, quod quidem evidens est praesertim ex secundo termino, ubi Deus dicitur « *auctor Prophetarum,* » et ex modo, quo auctor esse dicitur in ultimo inciso: « quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit (Ecclesia). » Per verbum *locuti sunt* desumptum ex 2. Pet. I. 21. cum possit in-

telligi *locutio* ore aut scripto edita, significari a Concilio locutionem scriptam patet ex contextu. Eandem fidem (appellationibus classium librorum paulisper mutatis) continet symbolum professionis catholicae Graecis propositum et in Concilio Lugdunensi II. a Michaele eorum Imperatore oblatum saeculo XIII; huic gemina professio saeculo XI. a Leone IX. missa est ad Petrum Episcopum Antiochenum (Hard. T. VI. P. I. p. 954.), saeculo IV. in Concilio Carthaginensi IV. praescripta Episcopis consecrandis (Hard. I. p. 978.), quae adhuc nunc ab Episcopis in sua consecratione editur. Formula in his omnibus documentis est: « credo (credimus) etiam novi et veteris Testamenti, *Legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.* » Brevius sed eodem sensu dicitur in professione ab haeresi Waldensium redeuntibus praescripta ab Innocentio III: « novi et veteris Testamenti unum eundem *auctorem* esse Dominum credimus. » Nunc haec fidei doctrina explicite et verbis disertis definita est ab oecumenico Concilio Vaticano. « Eos vero (veteris et novi Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet.... propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti *Deum habent auctorem,* atque ut tales Ecclesiae traditi sunt » Constit. *Dei Filius* cap. 2.

Formula igitur, *Deus est auctor librorum Scripturae sacrae,* dogmatica est ad exprimendum modum, quo Scriptura haberi debeat *divina.*

II. Iam in quaestione altera, *quomodo* haec fidei doctrina contineatur in revelatione, primum dicimus, hanc esse doctrinam Christi ipsius et Apostolorum, ut exhibetur in scriptis evangelicis et apostolicis. Argumentum ex hisce scriptis adferimus triplex, ex confirmatione scilicet fidei Iudaeorum quoad hoc caput saepe repetita a Christo et ab Apostolis, ex modo citandi Scripturas, ex declaratione diserta.

1°. Si expendantur ea, quae ex Iosepho et Philone prolata sunt in thesi antecedenti n. II, evidens erit, hanc fuisse communem fidem ac professionem gentis Iudaicae tempore

Christi et Apostolorum, scriptores librorum sacrorum in scribendo fuisse sub divina supernaturali actione ita, ut non modo doctrina et res scriptae censeri debeant divinitus propositae, sed etiam scriptio rerum tribuenda sit principaliter operationi Dei in homine et per hominem agentis. Tam Iosephus quam Philo ex fide certissima suae gentis sive in Palaestina sive inter alios populos constitutae testantur, libros sacros haberi *scriptos a prophetis per inspirationem*. Notio autem huius *inspirationis ad scribendum* haec erat, ut non solum prophetae acceperint divinitus doctrinam, quam deinde suo marte conscriberent, sed ut ipsa scriptio esset *per inspirationem divinam*. Id evidenter patet *a*) ex eo, quod ipsam actionem scribendi appellant prophetiam, *scribere est prophetare:* interpretes LXX. in ss. litteris vertendis, inquit Philo, « quasi numine correpti *prophetabant.* » *b*) Patet ex modo, quo factam dicunt scriptionem « quasi alio invisibiliter suggerente. » *c*) Patet ex eo, quod res formaliter ut scriptas adeoque ipsos libros *efficienter* divinae operationi tribuunt; ipsos enim textus scriptos dicunt esse « oracula prophetico ore (1) edita. » Imo *d*) dum supremam auctoritatem librorum inde repetunt, quod scripti sunt *per prophetas*, eo ipso intelligunt, scriptionem ipsam esse a prophetis *formaliter quatenus prophetae sunt*. Notio autem prophetae est et penes Iudaeos erat hominis non suo nomine suisque viribus naturalibus, sed in persona Dei et per supernaturalem divinum impulsum agentis, loquentis, aut scribentis. « Prophetae sunt interpretes Dei, qui illis utitur tamquam organis ad manifestationem eorum, quae vult, » ait Philo de monarch. I. p. 820; « propheta nihil de suo profert, sed omnia aliena alio

(1) *Os* propheticum, ubi de libris sermo est, sane non est materialiter intelligendum, sed est expressio metaphorica significans ipsam actionem manifestationis et prolationis idearum per signa sensibilia, quae in libris sunt verba non dicta sed scripta. Ita est « Scriptura praedicta per os David » Act. I. 16; et Zacharias genitor Baptistae « postulans pugilarem *scripsit, dicens:* Ioannes est nomen eius » Luc. I. 63. Qua eadem figura dicimus: *ait, inquit, clamat* Cicero; *loquitur* Demosthenes ore rotundo etc. Os vero *propheticum* est, quatenus manifestatio idearum procedit ex supernaturali Dei actione, quae inspiratio dicitur.

suggerente » Id. l. quis rerum divin. heres p. 517; « propheta est interpres intus suggerente Deo, quae dicenda sunt » Id. de poen. et praem. p. 918. cf. Exod. VII. 1. coll. IV. 16.

In huiusmodi declarationibus distingui debet utique id, quod pertinet ad ipsam essentiam charismatis, sub quo libri scripti esse dicuntur, quod est *charisma prophetiae,* et distingui debent speciales ac accidentales modi charismatis, qui possunt esse varii et salva ipsa rei essentia possunt abesse. Ad essentiam certe pertinet, ut *locutio prophetica* vel (pro re, de qua agitur) *scriptio prophetica* sit ex supernaturali Dei instinctu ita, ut liber vi ipsius charismatis, sub quo scriptus est, contineat *verbum Dei scriptum,* atque adeo Deus per hominem a se inspiratum ad scribendum sit *auctor libri.* Hoc ergo modo Iudaei tempore Christi et Apostolorum libros Scripturae credebant divinos eo, quod eos credebant scriptos sub inspiratione divina et sub *charismate prophetiae* (1). Atqui Christus et Apostoli fidem Iudaeorum de sanctitate et auctoritate Scripturae luculentissime confirmarunt, ut ostendimus in thesi superiori n. III. Ergo ipsius Christi et Apostolorum haec eadem doctrina est.

2°. Christus et Apostoli ipso modo citandi Scripturas docent, textus quos adferunt, habere Deum auctorem, formaliter *quatenus scripti sunt.* Nam *a*) Deus auctor Scripturae ponitur *in recto,* homo ut instrumentum *in obliquo.*

(1) Ex hac inspirationis notione penes Iudaeos obtinente si praesertim simul conferantur, quae indicat Iosephus de modo, quo in libris Scripturae admittendis postulabant *manifestam successionem prophetarum,* et quae scribit de dubiis circa libros editos post Artaxerxem, demonstratur omnino falsa opinio quorundam recentiorum, qui asseruerunt omnes libros de rebus sacris vel de historia populi Dei tractantes a Iudaeis accensitos fuisse Scripturis sacris (Movers Loci quidam historiae canonis V. T. illustrati; I. A. Nickes de libro Iudith; cf. Folia trimest. Tubingens. 1855. p. 77.). « Omnes libri, ait Movers, qui de rebus divinis, de vita recte instituenda, de Iudaeorum historia singulari numinis providentia ordinata, ad institutionem pietatisque excitationem conscripti erant, divinitus inspirati credebantur. » Atqui ex demonstratis longe diversa sunt, quae postulabant Iudaei ad rationem libri inspirati.

« Oportet impleri *Scripturam*(την γραφην ταυτην), *quam praedixit Spiritus Sanctus per os David* » Act. I. 16; « Domine *qui Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti:* quare fremuerunt gentes etc. » Ib. IV. 25; « *Deus* promiserat (evangelium) ante *per prophetas in Scripturis sanctis* » Rom. I. 2; « *Deus* terminat (definit) diem *in David dicendo* etc. » Heb. IV. 7; « *dicit Deus, dicit Spiritus Sanctus , contestatur nos Spiritus Sanctus* » Heb. I. 6. sq. ; III. 7; X. 15. coll. VIII. 8; « dixit *(Deus) in quodam loco* » Heb. IV. 4. Quod est apud Marc. XII. 26: « non legistis in libro Moysi super rubum (Exod. III. 6.), quomodo dixerit illi Deus inquiens: ego sum Deus Abraham » etc.; id apud Matthaeum declaratur Deus dixisse ipsis Iudaeis, ad quos Christus loquebatur. At istis Iudaeis haec verba non sunt dicta, nisi quatenus scripta sunt; ergo *Deus dixit haec verba, quatenus ea scripta sunt,* sunt *verbum scriptum Dei:* « *non legistis* quod dictum est a Deo *dicente vobis:* ego sum Deus Abraham » etc. Matth. XXII. 31. *b*) Ordine inverso sed eodem sensu declaratur, *scriptorem humanum in Spiritu Sancto* dixisse ipsos textus scriptos. « Quomodo *David in Spiritu vocat* (tempore praesenti , quod non potest intelligi nisi de verbis formaliter ut scriptis) eum Dominum dicens: dixit Dominus Domino meo » etc. Matth. XXII. 43; Marc. XII. 36. Eundem esse sensum hac forma inversa ac quando Deus ponitur *in recto,* per se constat et apparet ex ultimo hymno Davidis, ubi declarat, quid sibi velit *loqui in Spiritu, dicere in Spiritu Sancto:* « Spiritus Domini, inquit, locutus est *per me, et sermò eius per linguam meam* » 2. Reg. XXIII. 2. Denique *c*) simpliciter *Scriptura* ponitur pro ipso Deo loquente, quod fieri nequit, nisi quatenus Deus est auctor Scripturae et loquitur per Scripturam. « *Providens Scriptura* (προϊδουσα δε ή γραφη) *praenuntiavit* Abrahae » Gal. III. 8. His igitur citationum formulis textus Scripturae, formaliter quatenus in Scriptura consignati sunt, tribuuntur a Christo et ab Apostolis Deo auctori. Atqui quod valet de divinitate singularum partium Scripturae, valet etiam de omnibus libris et de collectione librorum, quibus competit excellentia designata

nomine proprio *Scripturae, Scripturae sacrae* (th. I.). Ergo ex doctrina Christi et Apostolorum deducitur, Deum esse *auctorem librorum Scripturae.*

3°. Conficitur idem ex diserta doctrina apostolica. Locus princeps est 2. Tim. III. 16. « Omnis Scriptura divinitus inspirata » πασα γραφη θεοπνευστος.

Vocabulum θεοπνευστος alibi nuspiam occurrit nec in novo Testamento nec apud LXX. interpretes; sed occurrit res ipsa et rei descriptio. Ex huiusmodi ergo locis notionem generalem determinabimus. Propheta dicitur « vir spiritualis » (ἀνθρωπος πνευματοφορος אִישׁ הָרוּחַ) Hos. IX. 7. (1), vir Spiritûs i. e. vir, qui habet Spiritum et habetur ac agitur a Spiritu. Finis et effectus huius actionis Spiritus Sancti in hominem saepe describitur. « Spiritus Dei irruit, insilit in prophetas, » eos « induit » ad hunc finem, ut populo annuntient Dei voluntatem, Dei consilia. Hinc propheta dicitur esse « velut os Domini, » per quem nempe Deus velut movens per suum instrumentum motum loquitur: « quasi os meum eris » Ierem. XV. 19. cf. Exod. IV. 16. Prophetis dicit Deus: « *verba mea in ore tuo* » Ierem. I. 9; V. 14. cf. Is. VI. 7; et quae prophetae loquuntur, « *os Domini locutum est* » Is. LVIII. 14. et alibi. Consequenter quae in virtute Spiritus Sancti loquuntur, ea dicuntur et sunt non hominis verba, sed « *verbum Domini* » Num. XXIV. 2; 1. Reg. X. 6. 10; 2. Reg. XXIII. 2; Mich. III. 8; Zach. VII. 12; 2. Esd. IX. 30. Hoc igitur proprio sensu passim prophetae dicuntur loqui « in Spiritu Dei », i. e. per Spiritum Dei tamquam causam efficientem. Clarissime 2. Pet. I. 21. *loqui voluntate*

(1) Locum hunc Hoseae s. Hieronymus et alii intellexerunt de veris prophetis. « Prophetam tibi vere dicentem et *prophetantem Spiritu Sancto*, stultum et insanum vocabas, iuxta illud quod in Ramoth Galaad principes locuti sunt ad Iehu 4. Reg. IX. 11: quid venit ad te iste vesanus? » Hieronym. in h. l. Quidquid vero de hoc censeas, certe nomen *vir Spiritus* est explicatio seu definitio nominis *propheta*. Hebraica habent: « Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis; sciet (comperiet) Israël. Propheta (reputatus est vel factus est) stultus, vir Spiritûs insanus propter multitudinem iniquitatis tuae, propter magnam praevaricationem » אֱוִיל הַנָּבִיא מְשֻׁגָּע אִישׁ הָרוּחַ

humana opponitur locutioni, quam proferunt sancti Dei homines *inspirati sive singulariter moti et acti* (φερομενοι) *Spiritu Sancto;* exclusio illius prioris et positio huius posterioris constituit propriam rationem inspirationis in homine, et terminative efficit prophetiam. « *Non voluntate humana* allata est (ἠνεχθη) aliquando prophetia, *sed Spiritu Sancto inspirati* (ὑπο πνευματος ἁγιου φερομενοι) locuti sunt sancti Dei homines. »

Ex his satis apparet, inspirationem *active* esse ipsam supernaturalem actionem Dei in hominem, qua eum evehit, promovet et permovet ad manifestandum seu efferendum id, quod Deus vult; *passive* esse ipsum statum hominis ita affecti; denique verbum ipsum, quod homo inspiratus effert sive per actionem symbolicam sive per locutionem sive per scriptionem, esse et dici *inspiratum terminative,* quatenus est effectus divinae operationis et *inspirationis activae.* Consequenter quando Scriptura ipsa dicitur inspirata, inspiratio seu actio Dei intelligi debet *terminative* ut causa efficiens Scripturae, et Scriptura ut effectus Dei inspirantis.

Hac notione inspirationis iam demonstrata (1), Paulus Apostolus docens *Scripturam esse inspiratam,* necessario intelligendus est de supernaturali operatione Dei ad ipsam Scripturam efficiendam seu de inspiratione *terminative* spectata. Docet itaque Apostolus, Scripturam esse opus et effectum supernaturalis actionis divinae in homines inspiratos, ac proinde Deum per homines inspiratos esse efficientem causam et auctorem Scripturae.

Ad horum quae diximus, veritatem parvi interest, utrum in verbis Pauli terminus *divinitus inspirata* (θεοπνευστος) sumatur tamquam praedicatum, ut probabilissime in textu graeco (2), an tamquam *adiectum* subiecto huius proprietatem declarans, ut in versione vulgata: « omnis Scriptura di-

(1) Deduximus generalem notionem inspirationis ex ipsis Scripturis non iam supponendo eas esse instrumentum divinitus inspiratum; sed quatenus in hisce libris doctrina Prophetarum et Apostolorum et Christi ipsius veraciter consignata reperitur. Nulla ergo hic est petitio principii. Cf. tract. de Traditione th. XXI. n. II.

(2) Πασα γραφη (ἐστι) θεοπνευστος και ὠφελιμος προς διδασκαλιαν κ. λ.

vinitus inspirata utilis est ad docendum » etc. Utrovis enim modo proprietas quae iam in ipso nomine *Scriptura* comprehenditur implicite, sive per adiectivum sive per praedicatum explicite affirmatur de eadem Scriptura, esse scilicet inspiratam.

Parvi etiam refert ad rem praesentem, utrum subiectum « omnis Scriptura » sumatur *collective* pro *tota Scriptura*, an *distributive*, ut persuadet phrasis graeca πασα γραφη sine articulo, pro quovis scripto cui nomen *Scriptura* ut proprium atque ut nomen excellentiae conveniat (cf. th. I.). Priori enim modo immediate tota collectio et proinde omnia in collectione comprehensa dicerentur inspirata, altero modo immediate affirmatur inspiratio (terminative nempe *inspiratum esse*) de omnibus et singulis, quae habent nomen excellentiae *Scriptura;* hoc autem nomen, ut constat ex thesi I, proprium est non solum integrae collectioni sed partibus etiam et textibus singulis pertinentibus ad illam collectionem (1). Lege cl. P. Patrizi Commentationem de divinis Scripturis §. V.

III. Doctrina de hac inspiratione Scripturarum, ut Deus librorum sacrorum auctor credi debeat, in perpetua et universali praedicatione ecclesiastica antiquitatis christianae multipliciter proposita et declarata est. Posset ex ipso usu et modo, quo semper et ab omnibus ad Scripturas provocatum est, facile demonstrari, fuisse inde ab aevo apostolico dogma extra controversiam, non solum verbum Dei contineri in Scripturis sed etiam verbum, formaliter ut scriptum, esse ab auctore Deo. Hic tamen disertam

(1) Recole citationum formulas evangelicas et apostolicas. « Nec *Scripturam hanc* legistis: lapidem quem reprobaverunt » etc. Marc. XII. 10; « impleta est *haec Scriptura* » (scilicet locus Is. LXI.) Luc. IV. 21; « oportet impleri *Scripturam* (την γραφην ταυτην), *quam praedixit* Spiritus Sanctus » (scilicet Ps. CVIII. 8.) Act. I. 16; « *locus autem Scripturae* erat hic (Is. LIII. 7.).... et incipiens a *Scriptura ista* » Act. VIII. 32. 35. Porro: « interpretabatur *in omnibus Scripturis,* quae de ipso erant » Luc. XXIV. 27; « *ceteras Scripturas* » 2. Pet. III. 16. Insuper: « ut *Scriptura* (ἡ γραφη) impleretur: os non comminuetis ex eo; et iterum *alia Scriptura* dicit: videbunt in quem transfixerunt » Io. XIX. 36. 37; « *in Elia* (3. Reg. XIX.) quid dicit *Scriptura?* » Rom. XI. 2.

solummodo doctrinam proponemus, quia et luculenta est et adversus omnes exceptiones munitissima. Exhibebimus autem unanimem doctrinam antiquitatis christianae ita, ut non solum res ipsa inspirationis Scripturae auctoritate consensionis universalis demonstretur, *an sit;* sed etiam ex ipsa praedicatione ecclesiastica proponantur elementa omnia ad distinctam notionem inspirationis librorum, quantum eam assequi possumus, *quid sit.* Unde in sequentibus, ubi ultimam tandem conclusionem de notione inspirationis deducemus, ad hanc tum Scripturae ipsius tum Patrum doctrinam praemissam appellabimus. Revocamus totam explicationem Patrum ad haec capita.

1°. Scripturae *conscriptae sunt* per Spiritum Sanctum, per operationem Spiritus Sancti; ideo sunt litterae Dei, epistola Dei ad homines. Inter capita doctrinae quae sunt in manifesta praedicatione ecclesiastica, ponit Origenes, « *quod per Spiritum Sanctum Scripturae conscriptae sunt* » praefat. de Princip. n. 8. coll. 4. Iudaei et Christiani confitentur biblia « *esse scripta Spiritu Sancto* » Id contr. Cels. V. n. 60. « Scripturae divinae utpote *Spiritu Sancto conscriptae* magnum continent thesaurum absconditum » Chrysost. in Genes. hom. 21. n. 1. Nihil refert, quis homo singulos psalmos scripserit, « cum manifestum sit, *omnes esse scriptos per operationem divini Spiritus* » ἐκ της του θεου πνευματος ἐνεργειας Theodoret. praefat. in Pss. In omnibus libris Scripturarum consensus est perfectus, « quia *in eorum conscriptoribus erat idem Spiritus Sanctus* » Theophil. Antioch. ad Autolyc. l. III. n. 12; l. II. n. 9; Athanas. praefat. in Pss. n. 2. 9. 10; et quia « non immerito *cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum* tot tantique populi crediderunt » Aug.Civ.Dei XVIII. c. 41. n. 1. Inter errores Theodori Mopsuesteni in V. synodo recensitos et damnatos etiam hic est, quod libri Salomonis « *scripti sunt non per gratiam propheticam* sed per gratiam prudentiae, quae evidenter altera est praeter illam; » quod reprobavit Theodorus librum Iob « contra *conscriptorem eius id est Spiritum Sanctum* dicens, quod pagana sapiens hunc librum conscripsit; » quod « non oportet collaudare *codicem* Cantici Can-

ticorum sicut habentem *propheticam dictationem* bonorum Ecclesiae » Concil. V. Act. IV. nn. 63. 66. 68. 71. Hard. III. p. 86. sqq.

Universim Scripturae sunt « *epistola omnipotentis Dei* ad creaturam suam » Aug. Serm. II. in Ps. 90. n. 1; Enarrat. in Ps. 149. n. 5; Gregor. M. l. IV. ep. 31. ad Theodor. « Deus velut longe absentibus litteras misit, *quas quidem litteras dedit Deus, adtulit Moyses* » (Deus *auctor* litterarum, Moyses *tabellarius*) Chrysost. in Genes.hom.II.n. 2.

2°. Scripturae *dictae sunt* a Deo. Sane « Scripturae sunt *veraces dictiones Spiritus Sancti* » Clem. Rom. ep. I. ad Cor. n.45; « Scripturae sunt *dictae a Verbo Dei et Spiritu eius* » Iren. l. II. c. 38. n. 2; « sunt infideles, qui negant *Scripturas esse dictas a Spiritu Sancto* » Anonymus (qui censetur Hippolytus) contr. Artemonit. apud Euseb. H. E. l. V. c.28; « *Deus ipse voluit docere per sanctas Scripturas* » Hippolyt. contr. Noet. n. 9; « laudabitur interim *Evangelium et Apostolus pro divinis oraculis* (1) » Theonas Alexandrin. (Routh Reliquiae sacr. T. III. p. 443.).

3°. Deus *condidit, dedit* Scripturas. « Accipitur ut certa demonstratio *vox Dei, qui dedit Scripturas* » Clem. Alexand. Strom. II. p. 362; « Deus prius per prophetas deinde per se ipsum postea per Apostolos locutus etiam *Scripturam condidit,* quae canonica nominatur altissimae auctoritatis » August.Civ.Dei XI. c.3. cf. XVIII. c. 41. In prologo Gelasii Pontificis ad suum decretum « de recipiendis libris sive non recipiendis, » ut exstat in codice Lucensi, ait Pontifex: « ad discutiendas vel intelligendas Scripturas, quas in novo vel veteri Testamento a pluribus editas (*accepimus,* vel *novimus* vel verbum aliud excidit), illud apostolicum nobis convenit servare eloquium: prophetias, inquit, nolite spernere, omnia autem probate; *ut plenius Dei operatione credamus illas esse conditas* » (Mansi Supplement. ad Concilia T. I. p. 357.).

(1) Quemadmodum libri veteris Testamenti ab ipso Christo et Apostolis numerabantur distributi in duas vel tres classes, in « Legem et Prophetas, » vel in « Legem, Prophetas et Psalmos; » ita ad hanc analogiam omnes libri novi Testamenti distingui consueverunt a veteribus in duos ordines, « in Evangelium et Apostolum. »

4°. Protenditur operatio et veracitas perfecta Spiritus Sancti *ad omnes etiam minimas partes Scripturae.* « Nos qui *perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad levem apicem et lineam* extendimus (1), non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus esse temere positas » Gregor. Nazianz. or. II. (de fuga sua) n. 105. T. I. p. 60. Similia habent Origen. de Princip. l. IV. n. 7; Hieronym. ep. 27. al. 102. n. 1 ad Marcell.; praefat. in comment. Philem. T. VII. p. 742; August. ep. 82. al. 19. ad Hieronym. n. 3-7; Chrysostom. in Genes. hom. 15. n. 1; hom. 42. n. 2. etc.

5°. Comparate *tribuitur scriptio Spiritui Sancto, et negatur esse humana.* « Christi conversatio in carne demonstravit, *legem et prophetas scripta esse coelesti gratia, nec hominum esse scriptiones quae creduntur verba Dei* » Orig. de Princip. l. IV. n. 6. (2). Nostri auctores « *non secundum artem scripserunt,* sed secundum gratiam, quae super omnem artem est; *scripserunt enim quae Spiritus iis loqui dabat* » Ambros. ep. 8. ad Iustum n. 1. «Has litteras *non ratio humana reperit, sed hominibus sanctis virtus coelestis infudit* » Cassiodor. de institution. divinar. litter. c. 13. 14.

6°. Hoc intelligendum est ita, quod *Deus est princeps auctor librorum, homines vero sunt instrumenta Dei ad librorum scriptionem.* Sacris scriptoribus non opus erat artificio sermonum, « sed tantummodo se ipsos mundos exhibere operationi divini Spiritus, *ut ipsum divinum plectrum e coelo subiens, ac velut instrumentum citharae vel lyrae adhibens viros sanctos,* nobis revelaret cognitionem rerum divinarum et coelestium » Iustin. cohort. ad Graec. n. 8; Athenagor. Legat. pro Christianis n. 9. cf. Hippolyt. contra Noet. n. 11. 12. « *Cum Spiritum Sanctum auctorem tenemus;* qui scriptorem (sacrorum librorum) quaerimus, quid aliud agi-

(1) Ἡμεις δε οἱ και μεχρι της τυχουσης κεραιας και γραμμης του πνευματος την ἀκριβειαν ἑλκοντες.

(2) Οὐκ ἀνθρωπων εἰναι συγγραμματα τους πεπιστευμενους θεου λογους. **Huius IV. libri de Principiis inscriptio in Philocalia (anthologia a ss. Gregor. Naz. et Basilio ex operibus Origenis collecta) ponitur: « de divina inspiratione divinae Scripturae »** περι του θεοπνευστου της θειας γραφης.

mus, quam legentes litteras *de calamo percontamur?* » Gregor. M. praef. in Iob n. 2. 3. (cf. supra Theodoret.).

7°. Haec *coniunctio specialis* hominum cum Deo inspirante ad scribendum declarantur ex coniunctione analoga in supernaturali ordine *membrorum Christi cum capite Christo,* et per eam illustratur doctrina, quomodo Deus sit auctor princeps librorum, homines vero instrumenta Dei ad scribendum. Prophetae enim et Apostoli etiam *formaliter ad scribendos libros et in scribendo* erant membra Christi capitis. « Itaque cum isti scripserunt, quae ille ostendit ac dixit, *nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit; quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt.* Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, *hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.* Hoc unitatis consortium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, *quam si ipsam manum Dei quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit* » Augustin. de Consensu Evangelist. l. I. n. 54.

Patres quorum luculentam doctrinam et testificationem adduximus, sunt ex diversis Ecclesiis, ex omnibus aetatibus a primo usque ad septimum saeculum. A saeculo I-III. Clemens Romanus, Iustinus M., Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Irenaeus, Hippolytus, Anonymus Eusebii, Clemens Alexandrinus, Origenes, Theonas. A saeculo IV-VII. Athanasius, Gregor. Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, PP. Concilii V, Cassiodorus, Gregorius M. Consensus insuper per symbola fidei et solemnia iudicia quae n. I. citavimus, declaratus est et confirmatus.

Vides autem, in hac perpetua et universali praedicatione ecclesiastica non aliud contineri, nisi declarationem et explicationem doctrinae Christi et Apostolorum, quam in scriptis evangelicis et apostolicis expressam demonstravimus, Scripturas esse efficienter libros Dei, et Deum esse auctorem librorum Scripturae. Universalis ergo consensus apostolicae successionis demonstrat illum quem diximus, esse verum sensum doctrinae evangelicae et apostolicae.

THESIS III.

Declaratur distinctius notio inspirationis per analysin formulae dogmaticae: Deus est auctor librorum *sacrae Scripturae.*

« Instituta analysi revelatae doctrinae qua Deum librorum sacro» rum seu *Scripturae* auctorem esse profitemur, simul collatis eiusdem » doctrinae declarationibus quae in christianae antiquitatis monumen» tis continentur, inspiratio ad scribendos sacros libros essentialiter » constitisse videtur *in charismate gratis dato illustrationis et motionis,* » quo veritates quas Deus *per Scripturam* Ecclesiae tradere voluit, *mens* » hominum inspiratorum *conciperet ad scribendum,* et *voluntas ferretur* » *ad eas omnes et solas scripto consignandas,* sicque elevatus homo tam» quam causa instrumentalis sub actione Dei causae principis consi» lium divinum exsequeretur infallibili veracitate. Unde facta distin» ctione inter *inspirationem* et *assistentiam,* illa ad veritates et verbum » formale, haec etiam ad signa et verba materialia necessario perti» nuisse dicenda est. »

Ad declarationem theseos necesse nobis est in antecessum distinctius definire praenotiones quasdam tum de significatione nominis *auctor libri,* tum de elementis formalem rationem libri constituentibus.

1°. Nomen *auctoris* per se et seorsum sumptum habet utique significationem *genericam,* eoque ipso comprehendit significationes plures *specie* inter se distinctas. Auctor enim generice is dicitur, a quo aliquid originem habet ut a causa efficiente. Cum vero efficientiae sint diversissimae, nec minus diversi effectus, inde fit ut nomen *auctoris* induat significationes inter se specifice diversas. Significatio specifica determinatur vel ex contextu vel etiam simplicius epithetis, quibus efficientiae et effectus species definiatur. Hoc modo terminus complexus *auctor libri* ratam et fixam habet significationem specificam. Ad claritatem notionis *a*) distinguimus *causam primam* sine cuius concursu *causa secunda* agere nequit, *causam per se* deinde, quae etiam dicitur *principalis,* agens nimirum sua inhaerente virtute in distinctione a *causa instrumentali*, quae non inhaerente sibi virtute agit sed dumtaxat ex motione (uti aiunt) h. e. ex virtute derivata et transeunte causae principalis. Iam dum dicitur *auctor*

libri, numquam intelligitur efficientia dumtaxat per concursum generalem *causae primae*, nec sensu proprio efficientia *causae instrumentalis;* sed semper significatur *causa per se,* quae potest esse *prima* vel *secunda.* Habitudo vero inter has causas est huiusmodi. Si Deus (causa prima) dicitur *auctor* (adeoque *per se causa*) *libri,* excluditur *causa secunda* agens ut *causa per se* h. e. virtute propria sibi inhaerente; unde vicissim si homo (causa secunda) sensu proprio est et dicitur *auctor libri,* eo ipso negatur Deum (causam primam) esse *libri auctorem,* non tamen excluditur, ut per se constat, generalis concursus causae primae, qui nullatenus importat Deum esse *auctorem libri,* nisi absurde loquendo Deum dicere velis auctorem omnium librorum. Sive vero Deus sive homo sit *auctor libri,* in neutra hypothesi excluditur *causa instrumentalis,* per quam causa principalis (Deus vel homo) agat et efficiat sui libri existentiam. *b*) Spectando effectum, nomine *libri* intelligimus ampliorem aliquem (1) *contextum sententiarum seu sensuum scripto consignatum.* Unde significatio termini complexi *auctor libri* ea est, quod sit auctor *(causa per se)* tum conceptionis sensuum ad scribendum (2) tum eorum consignationis in scripto.

2°. Quoad formalem rationem libri, quam diximus alteram praenotionem necessariam, in libro quovis vel documento scripto *a*) spectari debent ideae et iudicia horumque totus complexus, quae in libro verbis et propositionibus significantur, atque ab aliis *res et sententiae,* ab aliis *sensa,* in thesi nostra *veritates* dicuntur. Cum enim agatur de ideis et iudiciis sive sententiis quae a Deo sunt, non

(1) Amplitudo in quaestione praesenti de *auctore libri* se habet ut aliquid *accidentale.* Sic epistolas praesertim brevissimas non solemus dicere *libros,* nihilominus illas Apostolorum etiam quae sunt paucorum commatum (ut ad Philem. 1. et 2. Io. et Iud.), accensemus *libris novi Testamenti.* Imo quoad *auctorem* eadem est ratio singularum sententiarum, quae singulae (ut vidimus) dicuntur *Scriptura;* Deus vero sicut librorum ita et *Scripturae* et quidem *cuiusvis Scripturae* (πασης γραφης) *auctor* praedicatur, quod in thesi II. satis demonstravimus.

(2) Ubi de Deo sermo est, haec θεοπρεπως intelligenda esse, opus non est monere.

possunt esse nisi *veritates,* sub ea saltem ratione reflexa, sub qua et quo sensu ex auctoris intentione sunt scripta in libro. Ab ipsis veritatibus et sensibus *b*) distinguuntur *signa*, quibus veritates et sensus exprimuntur, sub ratione grammatica et rhetorica, ad quam etiam pertinere potest ordo et connexio rerum. Haec quae possumus dicere διάταξιν seu dispositionem libri, aliquando ab auctore *per se* intenduntur tamquam suus sensus exprimendus, aliquando non ita pertinent ad intentionem auctoris, sed possunt diversimode se habere salva tota veritate et integris sensibus, quorum expressionem per suum librum auctor intendit. Unde *c*) spectandus est *finis operis,* seu finis ad quem auctor librum suum ex ipsa libri indole directum esse voluit; ab hoc enim pendet, quid ex omnibus in libro comprehensis sit vel non sit ab auctore sapiente per se intentum.

Iam illa omnia quae auctor in libro *per se* intendit, et sine quibus liber non esset talis qualem auctor esse voluit, constituunt ipsam *rationem formalem*, per quam ab ipso inditam liber est et esse merito censetur *opus huius auctoris.* Sunt vero alia quae in genere quidem uno alterove modo debent adesse, cum sine illis ipsa forma ab auctore intenta exprimi nequiret; possunt tamen alio et alio modo se habere, quin liber desinat esse talis qualem auctor esse voluit, quoniam ab auctore ad scopum sui libri non *per se* intenduntur, nec proinde necessario ab ipso singillatim determinantur. Haec itaque quamvis non determinentur ab auctore, et vel uno vel alio modo se habeant, dum tamen apta sint ad illud exprimendum quod auctor in suo libro *per se* intendit, non impediunt, quominus liber vere sit *huius auctoris.* Propterea hanc appellamus *partem materialem* libri ad distinctionem a *ratione formali,* qua constituitur *opus huius auctoris* (1).

(1) Nomina haec *formae* et *materiae* desumpta sunt ex compositis physicis. Quoniam in his *forma* dat ac determinat *esse specificum* in eo ordine sive substantiali sive accidentali, in quo *forma* consideratur; *materia* autem necessario quidem aliqua subest formae, sed ad *esse specificum* indifferenter se habet, an in individuo haec vel illa sit: propter-

Ut concreta aliqua applicatione rem explicemus, e. g. in codice legum, in libro didactico ad docendam veritatem speculativam vel practicam, in libro historico destinato ad docendam aliquam aliam veritatem per facta narrata, id quod ex scopo huiusmodi librorum per se intenditur, et quod ideo *rationem formalem* constituit, sunt *sensa* seu *res et sententiae;* totum vero illud quod ad rationem signorum retulimus, non excepta ipsa dispositione ordinis, non est necessario *per se* intentum, et proinde potest se habere velut *pars materialis.* Haec tamen ipsa quae ad *partem materialem* pertinent, signa inquam ipsa oportet esse apta ad veritates intentas exprimendas; secus ipsum *formale* libri conservari non posset. Dixi signorum electionem *posse* pertinere ad *rationem materialem;* nam si quando ex scopo libri signa ipsa sint per se intenta, in hac hypothesi pertinerent utique ad *rationem formalem* libri. Ita in locis quibusdam dogmaticis praesertim mysteria superrationalia continentibus, certa quaedam vocabula et formulae ad exprimendum conceptum mysterii possunt esse iuxta talium locorum scopum pars *formalis;* pariter in libro, cuius scopus esset rhetoricus et aestheticus, praeter res et sententias stylus quoque pertineret ad *formalem* seu essentialem rationem libri; nec minus ordinis dispositio in historia destinata ad docendam chronologicam rerum successionem, esset ex ipso scopo per se intenta saltem quantum opus foret ad chronologiae veritatem, ac proinde pertinens ad formalem rationem libri.

I. Hisce praenotatis patet, neminem posse esse vero sensu *auctorem libri,* nisi qui efficiat ut saltem id, quod est *formale* libri, a se mente conceptum consignetur litteris. Ut

ea in translatione horum nominum ad alios etiam ordines, illud quod propriam rationem sive rei sive notionis determinat, appellatur *formale;* illud vero quod in individuo ad istam propriam rationem indifferenter se habet, dicitur *materiale.* In praesenti itaque *formale* dicimus id omne, quo liber constituitur talis et sine quo non esset talis, qualem auctor pro libri scopo esse vult; *materiale* vero appellamus, quod potest aliter se habere, quin liber desinat esse, qualem auctor pro eius scopo esse vult. Unde haec eadem, si mavis, poteris dicere *essentialia* et *accidentalia* libri.

quis igitur per alterum tamquam per causam instrumentalem ratione tamen et voluntate agentem libri auctor sit, necesse est, ut alter ipsomet suggerente ad scribendum mente concipiat et ipsomet movente feratur voluntate ad scribendum ea omnia et sola, quae pertinentia ad *formalem rationem* talis libri ipse tamquam auctor princeps scribenda praeconceperat. Neque enim si unum horum deest, auctor libri esse poterit. Non sane est auctor libri, qui sua sensa communicat quidem alteri non tamen in ordine ad scribendum ea, nec alterum inducit ad illa scribenda; neque auctorem se agnoscet libri, si quod ipse voluit comprehendi ut *formale* libri, alter non totum excipiat; neque auctor est saltem totius libri et simpliciter, si rebus et sententiis ab ipso in suo libro intentis alter suo marte aliquid superaddat; certe auctor non est huius partis superadditae.

Quando igitur profitemur Deum *auctorem librorum sacrorum,* auctorem autem per homines inspiratos, hac formula dogmatica exprimitur, quae operatio divina sit et quae non sit essentialis ita, ut ea posita Deus vere sit *auctor libri,* ac proinde liber sit divinitus inspiratus, ea autem negata negetur Deus *auctor libri,* et consequenter negetur librum pertinere ad Scripturam divinitus inspiratam.

1°. In ea formula itaque *positive* affirmatur, Deum effecisse ut, quas veritates ipse Ecclesiae per Scripturam tradendas mente comprehendit, easdem *hominis inspirati mens conciperet scribendas, et voluntas ferretur ad eas omnes ac solas scribendas.*

Dixi eas veritates *omnes et solas* in libro inspirato consignari, quas Deus *auctor libri* mente et voluntate sua comprehendit scribendas. Si enim in libro scriberetur ab homine sententia etiam vera, quam Deus *scribendam* consilio suo non comprehendit et quam proinde homini ad scriptionem non inspiravit, multo magis si in libro Scripturae, quod theologus recentior de iis quae nos dicimus *revelata per accidens,* affirmare ausus est, continerentur aliquae sententiae in se non verae (1); huiusmodi sententiarum pro-

(1) Conferri potest etiam Benedicti XII. elenchus errorum Armeno-

fecto Deus non esset *auctor*, nec proinde illae essent *verbum Dei*, sed omnino verbum humanum. Atqui *a*) dum s. Concilium Vaticanum post alias geminas Conciliorum et Pontificum definitiones declarat libros veteris et novi Testamenti pro sacris et canonicis ab ipsa Ecclesia haberi « propterea, *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*, » profecto haec *conscriptio* intelligitur simpliciter et proinde secundum omnes sententias, quae ab inspirato scriptore in libro consignatae sunt; neque enim inspiratio ad conscriptionem interrupta et per intervalla sed ad totam conscriptionem asseritur. *b*) Quando Ecclesia profitetur Deum auctorem *libri sacri et canonici*, hoc *sacrum et canonicum* non minus late patet, quam significatio nominis *Scriptura*. Atqui *Scripturae* accensentur omnes et solae sententiae, quae ab homine inspirato in libro consignatae sunt, ac porro in doctrina evangelica et apostolica et in communi Patrum praedicatione expresse singulae sententiae, eo quod et ipsae sunt *Scriptura*, tribuuntur Deo auctori, quod utrumque in th. I. et II. demonstravimus. Ergo in professione Ecclesiae et in eius formula synodali, *Deus est auctor libri sacri et canonici*, intelligitur Deus auctor libri secundum omnes partes quae sunt *Scriptura*, ac proinde auctor omnium sententiarum quae primitus ab homine inspirato sunt libro consignatae, quoniam hae omnes et solae sunt *Scriptura*.

2°. Ex eadem notione *auctoris libri* deinde deducitur, quid in ea etiam quoad *partem formalem* libri, de qua nunc loquimur, *non requiratur*. *a*) Non requiritur, ut veritates ipsae quas Deus Scripturis consignari voluit, homini in-

rum, ubi (errore CXIV.) supponitur ut doctrina catholica explorata, subesse *veritatem credendam* in Scriptura consignatis sententiis, etiam iis quae *non propter se* sed *per accidens* revelata dici solent (vide Rainaldi Annales ann. 1341. n. 69.). Apud SS. PP. sententias omnes Scripturae sine discrimine ac nominatim has scriptas de rebus non *propter se* revelatis, haberi divinitus inspiratas, a nemine in dubium vocari potest. Vid. Aug. ep. 82. n. 3; Civ. Dei XI. 3; cont. Faust. XI. 5. 6; Gen. ad litt. I. c. 18-21; VII. c. 28; Hieronym. prolog. ep. Philem.; ep. ad Paul. p. 708.; Apol. l. III. p. 465; Chrysost. in Gen. hom. I. cf. Canum l. II. c. 16. sq.; Bellarmin. de verb. Dei l. I. c. 6. n. 16. sq. et supra p. 344.

spirato aliunde iam cognitae non fuerint vel esse potuerint. Praecedens enim cognitio hominis non potest esse ratio, cur Deus illas veritates suo consilio comprehendere nequeat per Scripturam tradendas Ecclesiae, et cur supernaturali sua operatione efficere nequeat, ut homo veritates ipsas aliunde sibi cognitas mente et voluntate concipiat *ad eas scripto consignandas.*

b) Eadem ratione non excluduntur industria, studium, et praesidia, puta, documentorum et testium ab homine adhibita ad res et sententias seu ad veritates concipiendas, dummodo supernaturalis operatio et directio Dei efficiat, ut mens hominis inquirentis sensa ea omnia et sola ad scribendum concipiat, pariterque ad eadem omnia et sola scribenda voluntas supernaturaliter moveatur, quae Deus ut scribantur, consilio suo comprehendit.

c) Si nomine *revelationis* intelligatur manifestatio rei occultae, patet ex dictis, in inspiratione revelationem non esse elementum essentiale; potest enim esse inspiratio verissima sive ad loquendum sive ad scribendum citra revelationem illo stricto sensu acceptam. Pendet ergo ex ipsa natura et indole veritatis inspiratae, vel ex modo quo veritas se habet ad hominem inspirandum, utrum inspiratio revelationem eo sensu intellectam includat necne (1).

(1) S. Thomas agens de prophetia 2. 2. q. 174. a. 2. distinguit tres gradus principales; nobilissimam dicit esse illam, quae est manifestatio divinae veritatis secundum intellectualem visionem absque visis vel externis per sensus vel imaginariis; alteram esse, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum, hancque licet inferiorem magis proprie dici prophetiam, quam illam primam sublimiorem; tertium gradum esse cognitionem per lumen infusum supernaturale circa ea, quae humana ratione (licet diverso i. e. solum naturali modo) cognosci possunt. Hunc ultimum gradum cognitionis licet non sit proprie prophetia, sufficere docet ad inspiratam locutionem vel scriptionem, si utique simul coniungatur motio voluntatis ad loquendum vel scribendum modo supra explicato. « Magis proprie dicuntur prophetae, inquit (ibi ad 3.), qui vident per imaginariam visionem, quamvis illa prophetia sit nobilior quae est per intellectualem visionem, dummodo tamen sit eadem veritas utrobique revelata. Si vero *lumen intellectuale alicui divinitus infundatur non ad cognoscendum aliqua supernatura-*

At vero si *revelatio* intelligitur sensu minus quidem stricto sed frequentatissimo, veritatis propositio ab ipso Deo facta, sane inspiratio quaevis ad scribendos libros sacros erat revelatio, quae primum quidem fiebat interne in mente hominis inspirati, ut deinde per scriptionem tamquam verbum Dei proponeretur Ecclesiae, et obiectum fidei constitueret tam pro ipso homine inspirato quam pro aliis, quando tamquam veritas inspirata satis propositum erat.

II. Operationem divinam, quam explicuimus necessariam, ut vere sit ac dici possit *liber Dei auctoris,* et sine qua Deus *auctor libri* non esset, non eandem requiri quoad *partem materialem* libri, ex ipsa notione *auctoris libri* clarum videtur. Est enim ex dictis Deus *auctor libri*, quatenus sua operatione in mentem et voluntatem hominis scribentis efficit, ut hic ea omnia et sola scribat, quae Deus ipse in libro scribendo *per se* intendit. Hoc autem obtinebitur, quomodocumque se habeant ab auctore *per se* non intenta, signa inquam et reliqua quae diximus *partem materialem* libri, dummodo haec *apta sint ad sensum ab. auctore intentum exprimendum.* Hoc autem ipsum demonstrat, non illam divinam operationem quae proprie *inspiratio* dicitur, et quae requiritur pro parte formali libri, necessario etiam extendi ad signa et ad alia *partis materialis;* esse tamen aliquam operationem divinam necessariam etiam pro *parte materiali*, ut Deus infallibiliter sit *auctor libri.* Haec divina operatio quae sit, et quae non sit, nunc inquirimus.

1°. Quoad *signa* seu vocabula evidens est, nec res ipsas h. e. sensa auctoris principis posse esse scripto expressa,

lia, sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea, quae humana ratione cognosci possunt, sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem... Qui hagiographa conscripserunt (id est libros tertiae classis secundum divisionem s. Hieronymi in prologo galeato, quamvis haec valeant etiam de libris pluribus aliarum classium), eorum plures *loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt,* non quasi ex persona Dei (i. e. non sicut prophetae proprie dicti, expresse attestantes: haec dicit Dominus) sed ex persona propria, *cum adiutorio tamen divini luminis* » cf. a. 3. O.

nisi signa eligantur apta ad sensum exprimendum. Si ergo Deus sua inspiratione rerum et sensuum ita agit in hominem inspiratum ad scribendum, ut liber scriptus *infallibiliter vi ipsius operationis divinae* vere et sincere contineat sensa Dei, cum ipsa inspiratione cohaereat necesse est seu in ea includatur talis operatio divina, ut homo scribens non solum actu eligat, sed etiam *infallibiliter eligat signa apta* ad res et sententias inspiratas vere et sincere exprimendas, atque adeo in signorum aliorumque quae ad partem materialem pertinent, apta electione reddatur infallibilis. Profecto enim homo mente et voluntate inspiratus quidem ad sensa Dei scribenda, sed in signorum electione plene sibi permissus, maneret fallibilis in exprimendis conceptibus inspiratis; hoc autem ipso non esset infallibiliter consequens, librum sub tali inspiratione scriptum esse Scripturam *terminative* inspiratam et verbum Dei. Atqui ut crederetur esse infallibiliter verbum Dei, numquam aliud argumentum quaesitum est, quam quod scriptor humanus esset inspiratus. Sicut ergo cum inspiratione activa infallibiliter nectitur *inspiratio terminativa* (inspiratum esse) ipsius operis, ita in notione inspirationis activae includitur operatio divina, qua homo efficiatur infallibilis in exprimendis conceptibus inspiratis, h. e. in ipsa aptorum signorum ac terminorum electione.

2°. Ex dictis iam patet, qualis sit haec operatio divina, quam dicimus cum inspiratione connexam. Scopus sacrorum librorum saltem in plerisque talis est, ut *formalis ratio* librorum prae hoc scopo non mutetur, si aliis vocabulis, alio stylo eaedem res et sententiae exprimantur, dummodo termini qui possunt esse alii atque alii, adhibeantur idonei et rebus respondentes. Pertinet ergo saltem in plerisque non ad *rationem formalem* sed ad *rationem materialem* Scripturarum, quod sententiae his potius quam aliis terminis aequipollentibus exprimantur. « Nec putemus *in verbis* Scripturarum esse evangelium *sed in sensu,* non in superficie sed in medulla, non in sermonum foliis sed in radice rationis » s. Hieronym. in Gal. I. 11. 12. T. VII. p. 386. Iam vero ut quis sit auctor libri, requiritur quidem,

ut id omne quod prae libri scopo constituit eius rationem formalem, ab ipso sit tamquam ab auctore principe; non autem requiritur, ut eodem modo ab ipso sit, quod in libro prae eius scopo *materialiter* se habet, nec eius propriam rationem constituit. Ergo potest quis per alium tamquam per causam instrumentalem verissimus auctor esse libri, quin ipse terminos in individuo et stylum totamque constructionem grammaticam et rhetoricam suppeditet. Ut tamen nihilominus per suppeditationem rerum et sententiarum certum efficiatur, librum scribendum fore ipsius tamquam auctoris principis, necesse est, praecaveat errorem scribentis in electione aptorum signorum.

Ergo ex notione inspirationis seu ex eo, quod Deus est auctor Scripturarum per conscriptores humanos ita, ut ex ipsa actione Dei in homines inspiratos infallibiliter certum sit, Scripturas esse libros Dei ut auctoris; *a*) in plerisque, ubi videlicet horum potius signorum prae aliis aequipollentibus electio *materialiter* se habet, nulla est ratio affirmandi, Deum ipsum supernaturali praeveniente actione signa et modum scribendi suppeditasse et in individuo determinasse. Est tamen *b*) ratio evidens affirmandi *assistentiam* Dei, qua scriptoribus humanis in ipsis eligendis signis idoneis ita aderat, ut in conceptibus inspiratis vere et sincere exprimendis essent prorsus infallibiles. *c*) In hac assistentia et directione quoad ipsum modum orationis includitur *gratia sermonis,* « quod quis efficaciter loquatur (scribat) ad instruendum intellectum, ad movendum affectum, ad flectendum auditorem (vel lectorem) » (1), ut eam explicat s. Thomas 2. 2. q. 117. a. 1. Si autem *d*) prae scopo alicuius loci vel contextus verba ipsa et stylus in individuo pertinerent ad *rationem formalem,* tum sane ex ipsa notione *inspirationis* et *auctoris libri* deduceretur, verba et stylum esse suppeditata a Deo non secus ac res et sententias. Quia vero huiusmodi formalis ra-

(1) Per se patet, hanc *gratiam sermonis* pro diverso scopo librorum esse diversam, atque adeo ad ipsam *essentiam* inspirationis hoc charisma non aliter pertinere, nisi quatenus coincidit cum assistentia ad electionem locutionis sufficientis pro scopo libri.

tio difficillime determinari potest, et singularis vis, efficacia ac profunditas ipsorum verborum, et quae Patres praedicant de valore eorumdem singulorum verborum Scripturae, partim magis pertinent ad res significatas et ad verbum *formale,* et partim ex assistentia Spiritus Sancti in selectione verborum satis explicantur; propterea ex notione ipsa inspirationis, nisi aliunde probetur, divina suppeditatio verborum in individuo in locis singulis vix discerni et statui poterit.

Rerum ordo et dispositio pro diverso scopo libri aliquando constituit partem formalem et pertinet ad ipsa sensa auctoris, aliquando computatur ad stylum. Pro hac diversitate ordo rerum in priori hypothesi ad inspirationem proprie dictam, in posteriori secundum paulo ante demonstrata ad assistentiam divinam referendus erit.

3°. Ex his quae diximus, tantummodo demonstratur argumento negativo, divinam suggestionem et velut dictationem verborum in individuo non esse essentialem in notione inspirationis; ac proinde talem dictationem verborum non posse colligi ex eo, quod Deus est auctor Scripturae. Ex hoc autem ipso praesumi debet, ubi non demonstratur oppositum, revera ita factum esse, et Deum qui disponit omnia suaviter, permisisse, ut homines divinis sensis iam collustrati et ad ea scribenda supernaturaliter moti, secundum diversam singulorum indolem et eruditionem ipsi sub divina assistentia reperirent et seligerent idearum inspiratarum signa. Ceterum suppetunt argumenta etiam positiva, ex quibus deducitur, saltem plerumque auctores inspiratos in verbis seligendis et in modo scribendi grammatico ac rhetorico divina assistentia tantum adiutos et munitos, non autem divinitus accepta dictatione ad unum determinatos fuisse. Argumenta haec potissima tria sunt.

a) Evidens est in libris sacris elocutionis et styli diversitas respondens diversae indoli et eruditioni scriptorum. « De Isaia sciendum, inquit s. Hieronymus, quod in sermone suo disertus est, *quippe* (en rationem) *ut vir nobilis et urbanae eloquentiae,* nec habens quidquam in eloquio rusticitatis admistum. » Contra « Ieremias *sermone*

quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse *rusticior*, sed *sensibus par, quippe qui eodem Spiritu prophetaverit*. Porro *simplicitas eloquii a loco ei in quo natus est, accidit*. Fuit enim Anathotites, qui est usque hodie viculus » Hieronym. Praef. in Is. et Ierem.

b) Dum sacri scriptores diversi e. g. plures Evangelistae referunt non solum eandem rem gestam sed etiam eosdem sermones ab aliis e. g. a Christo Domino dictos, utuntur tamen verbis diversis, quamvis certum sit illum, cuius verba recitare se profitentur, idem non aliis et aliis verbis sed uno tantum modo dixisse. Sic verba, quibus usus est Christus in institutione ss. Eucharistiae, referunt quatuor sacri scriptores Matth. XXVI; Marc. XIV; Luc. XXII; 1. Cor. XI. Singuli autem verba eadem Christi exhibent paulo aliter atque aliter; ita tamen, ut Marcus magis conveniat cum Matthaeo, quippe qui huius Evangelium scriptum prae oculis habuisse creditur et ab eruditis probatur, vicissim Lucas propius accedat ad Paulum, cuius discipulus et sectator fuit. Huius discrepantiae rationem s. Augustinus pluribus explicat eandem, quam nos diximus (de Consens. Evangelist. l. II. n. 27. 28.). « Si ergo quaeritur, inquit, quae verba potius Ioannes Baptista dixerit, utrum quae Matthaeus, an quae Lucas eum dixisse commemorat, an quae Marcus... nullo modo hinc laborandum esse iudicat, qui prudenter intelligit, *ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae*. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium; neque illud contrarium est, si alius dicit, quod alius praetermittit. *Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.* » Obiicienti forte, « Evangelistis per Spiritus Sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum nec in ordine nec in numero discreparent, » respondet sanctus doctor, id fieri non debuisse tum ob alias rationes, tum « simul etiam ut, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus *non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem,* quando

eos qui *non eâdem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant,* in eadem veritate constitisse approbamus. »
Ita Augustinus l. c.

c) Denique scriptor 2. Mach. quem sub inspiratione Spiritus Sancti scripsisse omnes catholici credimus, stylum et flexum sermonis satis manifesto sibi suaeque eruditionis modo ac facultati attribuit. « Ego quoque, ita librum concludit, in his faciam finem sermonis. Et si quidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi » (graece: sin autem tenuiter et mediocriter, tantum assequi potui ει δε ευτελως και μετριως, τουτο εφικτον ἠν μοι) 2. Mach. XV. 39. Lege de his opusculum citatum cl. Patris Patrizi (de Scripturis divinis §. IV.) (1).

III. Reliqua quae in thesi enuntiavimus, non indigent, nisi recapitulatione.

1°. Analysis testimoniorum, quae sive evangelica et apostolica sive ex ss. Patribus in superiori thesi adtulimus, demonstrabit, in illis semper vel supponi vel exprimi

(1) Aliqui ex Scholasticis qui videntur asserere singulorum verborum inspirationem, nonnisi modo loquendi discrepant a sententia, quam nos defendimus. Fatentur enim sufficere, ut scriptor in verbis eligendis per assistentiam Spiritus Sancti ab omni errore praeservetur. Ita Suarez de Fide disp. V. sect. 3. n. 4. 5. « Adverto, inquit, duobus modis posse intelligi singula verba Scripturae esse a Spiritu Sancto, per specialem motionem antecedentem vel tantum per assistentiam et quasi custodiam. Prior modus erit, quando Spiritus Sanctus vel imprimit conceptum verbi per species infusas saltem per accidens, vel peculiariter movendo et excitando species praeexistentes... Non videtur autem necessarium, etsi eruditi quidam recentiores id contendant, ut semper dictentur verba hoc peculiari modo. Quando enim auctor canonicus scribit aliquid, quod secundum se humanum est et subiacet sensibus, satis videtur, quod Spiritus illi specialiter assistat, et custodiat ab omni errore et falsitate et ab omnibus verbis, quae non expediunt vel decent talem Scripturam, avertendo scilicet speciali providentia omnia obiecta, quae conceptus talium verborum excitare possunt; et in reliquis permittendo, ut scriptor sua memoria et suis speciebus et sua diligentia utatur in scribendo... satis ergo est, ut uno vel altero modo iuxta exigentiam materiae verba sint a Spiritu Sancto. » Hucusque Suarez. Quoad inspirationem verborum materialium lege etiam Agobardum Lugdunensem l. contra Fredegisum n. 12. 13. in Bibl. Gallandi T. XIII. p. 446..

operationem divinam tam in intellectum quam in voluntatem hominum inspiratorum. Ex una enim parte *a*) Deus declaratur *dixisse Scripturas per prophetas;* commendatur *Scriptura dicta, scripta, condita, mentibus infusa a Spiritu Sancto, operatione Spiritus, gratia coelesti;* sacri scriptores non arte humana opus habuisse, sed *tamquam instrumenta operationi Spiritus sese permisisse* dicuntur; ex parte altera *b*) ipsi scriptores sacri *in Spiritu Sancto, inspiratione Spiritus Sancti, prophetando* h. e. acti supernaturali operatione Spiritus (ὑπο πνευματος ἁγιου φερομενοι) sacros textus ut sunt in Scriptura, edidisse atque adeo scripsisse dicuntur; unde fit *c*) ut ipsi libri et textus, quos Spiritus Sanctus suo charismate inspirans homines, et homines inspirati in virtute Spiritus Sancti scripserunt, sint omnes et singuli *Scriptura divinitus inspirata* (πασα γραφη θεοπνευστος) et *verbum Dei.* Atqui illa *inspiratio activa* Spiritus Sancti in homines, ut sint *prophetae* (sensu biblico latiori) *ad scribendum verbum Dei,* non potest intelligi nisi ut supernaturalis operatio in mentem ad concipienda sensa Dei et motio in voluntatem ad eadem scribenda; nec status hic *inspirationis passivae* in homine propheta potest intelligi nisi ut mentis et voluntatis affectio respondens inspirationi activae, tamquam effectus suae causae; nec denique ipsum *inspiratum esse Scripturae* potest intelligi nisi ut *terminus,* quem respicit et efficit Spiritus inspirans per hominem in mente et voluntate inspiratum. Porro *d*) haec analysis operationis duplicis aliquando diserte ab ipsis Patribus instituitur, ut quando sacri scriptores tum *scribenda* a Christo capite *(illustratione mentis) cognovisse* dicuntur, tum Christus dicitur eis tamquam suis manibus, quod scriberent, *(motione voluntatis) imperasse.*

2°. Cur inspiratio dicatur *charisma,* satis per se evidens est, cum sit donum spiritale indebitum ac supernaturale. Aeque constat, eam pertinere ad charismata, quae nomine generico sed significatione specifica dicuntur *gratis data.* Revocatur enim ad donum prophetiae generice acceptae (cf. Suarez de Fide disp. VIII. sect. 4. n. 6.), et con-

cessum est non ad personalem sanctificationem accipientis, sed ad sanctificationem ac supernaturalem fructum aliorum et totius Ecclesiae (cf. S. Th. 1. 2. q. 111. a. 1.).

Corollarium 1. Patrum doctrina qua ab inspiratis scriptoribus artem humanam in scribendo excludunt, et eorum aliqui Spiritus Sancti operationem ad omnem apicem Scripturarum protendi affirmant, tantummodo demonstrat ideas et sententias esse a Deo inspiratas in ordine ad scribendum, hisque exprimendis nulla signa, quibus aliud significaretur quam Deus voluit, sed ubique signa idonea fuisse adhibita sub assistentia Spiritus Sancti; non autem significat, singula vocabula eodem modo ut sensa esse inspirata. Ex parte vero altera scriptorum sacrorum labor et industria ac studium res scribendas investigandi ex documentis et testibus, immo et excusationes de styli ac sermonis tenuitate ostendunt quidem, homines inspiratos non mortua sed viventia et rationalia fuisse instrumenta, qui et ipsi aliquid agerent; non tamen ostendunt, divinam inspirationem eis defuisse. Potest haec res commode illustrari ex modo, quo Deus generatim in ordine gratiae agere solet. Ad praeparandam et conferendam gratiam hominibus potest et solet Deus etiam uti instrumentis externis et sensibilibus (cuiusmodi sunt omnia media sensibilia salutis in Ecclesia, et inter haec ipsa sacramenta). Praeterea per gratiam elevat et viribus supernaturalibus instruit animam ad eos quoque actus virtutum, qui secundum substantiam possunt edi viribus tantum naturalibus; per vires gratiae autem fit, ut actus iam sint supernaturales et alterius plane ordinis, quam si ederentur ab homine suis naturalibus viribus permisso. Sic igitur intelligi potest, quod Deus ad inspirationem idearum et sententiarum, quas Scripturâ consignari et ita tamquam verbum suum Ecclesiae proponi voluit, quandoque uteretur etiam instrumentis externis, suppeditando hominibus inspirandis documenta, testes, propriam rerum scribendarum inspectionem et naturalem cognitionem, quibuscum adiumentis suam internam illustrationem intellectus et motionem voluntatis coniungeret, atque efficeret, ut ea omnia et sola mente

conciperent et complecterentur voluntate ad scribendum, quae ipse suo consilio comprehendit per Scripturam Ecclesiae communicanda. Hinc nulla adversus inspirationem existit difficultas, quod e. g. scriptor libri 2. Mach. II. 24. 27. ait, se « a Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentasse uno volumine breviare, » hocque in opere « negotium plenum vigiliarum et sudoris se assumpsisse; » quod pariter s. Lucas I. 2. 3. protestatur, sibi assecuto omnia diligenter, a testibus scilicet rerum gestarum, visum esse haec ex ordine scribere; quod Apostoli et nominatim Ioannes XIX. 36; 1. Io. I. 1. appellant, tamquam ad historicum motivum credibilitatis, ad suam propriam rerum inspectionem. Haec de ipsis rebus atque sententiis.

Ad vocabula autem et stylum in scribendo quod spectat, cum in his ut plurimum scriptores suo ingenio et eruditioni permissi, per assistentiam Spiritus Sancti tantummodo contra errores ipsi veritati et sinceritati rerum ac sententiarum obfuturos munirentur, poterat scriptor 2. Mach. XV. 39. excusare tenuitatem et mediocritatem, et poterat Paulus 2. Cor. XI. 6. fateri se « imperitum sermone sed non scientia » (ἰδιωτης τῳ λογῳ ἀλλ' ὀυ τῃ γνωσει). Hoc eodem sensu s. Thomas declarat, quod dicitur in glossa (ordinaria Walafridi Strabonis) de epistola ad Hebraeos: « non est mirandum (ita Walafridus), quod epistola ad Hebraeos maiore relucet facundia quam aliae; cum *naturale sit unicuique* plus in sua quam in aliena lingua valere » (putavit enim cum aliis, epistolam hanc a Paulo hebraice, ceteras vero graece fuisse scriptas). Unde Angelicus obiicit sibi difficultatem contra supernaturale donum linguarum Apostolis concessum, eamque ita solvit: « dicendum quod, sicut dicitur 1. Cor. XII. 7, manifestatio Spiritus datur ad utilitatem, et ideo Paulus et alii Apostoli fuerunt instructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam; sed *quantum ad quaedam quae superadduntur humana arte ad ornatum et elegantiam locutionis, Apostolus instructus erat* (scientia acquisita) *in propria lingua, non autem in aliena* » S. Th. 2. 2. q. 176. a. 1. ad 1. Sermo est, ut patet, de elocutione et stylo in epistolis inspiratis.

Corollarium 2. Sicut charisma prophetiae generatim spectatum ita etiam charisma inspirationis ad scribendum non complectitur velut elementum essentiale sive ecstasin mentis sive suspensionem libertatis (1). Quamvis enim homines inspirati recipiant charisma illustrationis et motionis sine sua libera cooperatione, motio tamen non necessario est huiusmodi, ut voluntatem agat *antecedente necessitate;* sed satis est, ut eam moveat *infallibiliter* ad obsequendum. Vide Bonfrerii Praeloquia c. 8. sect. 2. 4. cf. S. Th. 2. 2. q. 173. a. 3. ad 4.

Corollarium 3. Sicut in instinctu prophetico ad loquendum, quem s. Thomas 2. 2. q. 173. a. 4. et ceteri theologi distinguunt a prophetia completa (cf. Aug. Genes. ad litt. l. III. n. 37.), ita etiam in inspiratione ad scribendum non videtur quidem essentiale, ut homo cognoscat se esse a Deo inspiratum; non tamen facile concedendum est, re ipsa alicui ex sacris scriptoribus suam inspirationem fuisse incompertam. Cf. Io. XI. 49–52. Vide Suarez de Fide disp. V. sect. 3. n. 15; disp. VIII. sect. 4. n. 2. 6; Bonfrerii Praeloq. c. 8. sect. 6. Per se patet, nostrae fidei de facto inspirationis non minus constare posse per revelationem illius a Christo vel Apostolis promulgatam, etiamsi factum ipsi homini inspirato non fuisset compertum (2).

(1) « Dicunt aliqui, prophetas extra se raptos prophetare, humana mente a Spiritu obumbrata. Verum id abhorret a professione divinae praesentiae, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, et cum plenus esse coeperit divinarum doctrinarum, tunc a propria mente excidat... Quin potius neque lumen caecitatem parit, sed videndi facultatem a natura insitam elevat; neque Spiritus tenebras inducit animis, sed ad rerum intelligibilium cognitionem mentem excitat a peccati maculis puram » s. Basilius (vel alius) in Is. n. 5. T. I. p. 381.

(2) Homini inspirato non solum certitudine humana sed certitudine supernaturali constare debet de sua inspiratione, si ipsemet a Deo destinetur ad suum librum tamquam inspiratum proponendum, vel ad veritates sibi inspiratas tamquam revelationem divinam promulgandas. Sed haec ipsius hominis inspirati destinatio ac missio sane non pertinet ad essentiam inspirationis. Imo etiamsi e. g. de inspiratione librorum deuterocanonicorum V. T. nec scriptoribus nec ulli hominum ante Christum et Apostolos certo constitisset, inde omnino nihil sequeretur difficultatis contra eorum verissimam inspirationem nobis a Christo

Corollarium 4. Licet praeter Scripturas alia exstent documenta ecclesiastica, quae et verbum Dei continent et edita sunt sub assistentia Spiritus Sancti errorem infallibiliter praecaventis, non tamen ideo praeter Scripturas alia sunt monumenta inspirata.

Corollarium 5. Cum propositio verbi *per libros* a Deo facta saltem secundum ordinariam librorum destinationem non videatur posse concipi per modum revelationis privatae, sed ex sese publica sit et directa ad populum Dei, vel certe hunc scopum habeant omnes libri, qui possint computari ad *sacram Scripturam* secundum propriam huius nominis significationem (vide th. I.); constat charisma extraordinarium inspirationis ad scribendos libros *sacrae Scripturae* cum ipsa consummatione revelationis catholicae desiisse. Vide tract. de Traditione th. XXII. Licet vero etiam in praesenti oeconomia consummatae revelationis catholicae non absolute repugnet inspiratio ad scriptionem aliquam privatam, huiusmodi tamen scriptio, si exstaret, ad *Scripturam* Ecclesiae consignatam et ab Ecclesia fidelibus proponendam nullatenus pertineret; sed de illa eodem modo sentiendum esset, ut de revelationibus privatis generatim diximus in Corollario ad citatam th. XXII.

vel a Spiritu Sancto per Apostolos revelatam. Quod *prophetia* proprio ac pleno sensu non est aut dicitur, ubi deest homini inspirato conscientia supernaturalis charismatis, non probat, neque *inspirationem* ad scribendum sine hac conscientia posse consistere; quamvis inde possit inferri, non esse admittendam talem hominis inspirati ignorationem, nisi aliunde satis probetur. Huiusmodi autem probatio ignorati charismatis revera non suppetit in ullo ex scriptoribus librorum sacrorum, quos habemus in canone. Confer cl. Denzinger de Cognit. Relig. T. II. l. II. n. 126.

THESIS IV.

Confutatur notio inspirationis quae sit per meram assistentiam divinam, et quae dicitur inspiratio subsequens.

« Falsum est, quod Ioannes Iahn aliique docuerunt, sufficere ad rationem libri inspirati, et re ipsa inspirationem s. Scripturae in eo » tantum esse positam, quod Deus sua assistentia averterit periculum » errandi et homines reddiderit infallibiles in scribendo; idque falsum » est, sive veritates ita scriptae iam prius revelatae fuisse dicantur » sive revelatae non fuerint. Minori adhuc iure aliqui divinum testimonium de plena veracitate libri, humana solum ope scripti, appellarunt *inspirationem subsequentem,* et libros aliquos s. Scripturae praesertim in narrationibus rerum gestarum quae scriptoribus humanitus » erant compertae, hoc modo *subsequenter tantum inspiratos* censere haud » nefas esse putaverunt. »

I. Priorem inspirationis notionem inter duas quas confutamus, absolute et nullo inter libros Scripturae sive propheticos sive historicos facto discrimine statuit Ioannes Iahn. Ita enim ille definit. « *Divinam assistentiam ad praecavendos errores appellamus suggestionem seu inspirationem,* quae appellatio usu loquendi consecrata est, quamvis non valde apta sit; exprimit enim aliquid *positivum,* cum tamen notio ei subiecta sit *negativa.* In hoc ipso quippe haec divina praemunitio ab erroribus differt a revelatione, quod scriptori nullas novas cognitiones suppeditat, eum nihil docet; sed tantummodo impedit immixtionem errorum in iis, quae iam novit; revelatio autem doctrinas, cognitiones et intelligentiam divinorum consiliorum subministrat. Haec definitio inspirationis et distinctio a revelatione diligenter animadvertenda est; frequenter enim una cum altera permiscetur, ex qua confusione magnae deinde oriuntur difficultates. » Haec ille in Introductione ad divinos libros V. T. ed. 2ª. T. I. §. 19.

Bonfrerius obiter legenti eiusdem videri posset sententiae; revera tamen eius opinio multum ab illa Iahnii differt, licet etiam in Bonfreriana explicatione nequeat censeri genuina et integra notio inspirationis expressa esse, nec ea

praesertim post definitionem Vaticanam amplius possit sustineri. Distinguit Bonfrerius modum triplicem, quo se habeat Spiritus Sanctus erga sacros scriptores, *antecedenter, concomitanter,* et *consequenter.* De inspiratione sic dicta *consequente* agemus postea; interim *antecedentem* appellat Bonfrerius, « cum Spiritus Sanctus inspirat, revelat, demonstrat, quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo marteve proprio nihil addat scriptor; sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu Sancto inspirata revelataque sunt. » Hunc modum refert ad eas partes librorum, ubi res inspiratae sunt ex sese supra vim intelligentiae humanae, nec homini naturaliter vel cognitae vel cognoscibiles. *Concomitanter* existimat se habuisse Spiritum Sanctum cum ss. scriptoribus in libris historicis, qua parte narrantur res gestae aliunde scriptoribus compertae: « ita (inquit) Evangèlia, ita Acta Apostolorum, ita Machabaeorum libri, ita ceteri libri historici a prophetis aliisve conscripti. » Videri autem posset hic secundus modus *concomitans* Bonfrerii prorsus idem esse ac inspiratio illa a Iahnio asserta, non tamen est. Ita loquitur: « concomitanter sese habet Spiritus Sanctus, cum non ad modum dictantis et inspirantis (intellige: suppeditantis res incompertas) se habet sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret. Hoc enim modo potest Spiritus Sanctus scriptorem hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare fallive permittat; cum enim praesciat, quid ille scripturus sit, ita ei adstat, *ut sicubi videret eum erraturum, inspiratione sua* (suggestione rei incompertae) *illi esset adfuturus.* » Porro in hominibus sub hac concomitante Spiritus Sancti actione scribentibus « est determinatio quaedam ab extrinseco, ut diversa vel contraria iis quae scribunt, scribere non possint, cum scribentes Spiritus Sanctus non patiatur errare, semper adstet scribentibus *paratus in actu primo illis, quae scribenda sunt, inspirare,* sicubi sibi relicti essent aberraturi; ab intrinseco tamen liberi sunt, cum re ipsa illos Spiritus Sanctus non determinet, nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi *sicubi operatio divina illis est necessaria* » Praeloq. c. 8. sect. 1-4. Vide etiam Richardi Simon Hist.

crit. N. T. P. I. c. 23. 24; Calmet dissert. de Inspirat. art. 2. (ad 2. Pet. I. 21.).

Discrimen itaque huius sententiae ab altera Iahnii potissimum duplex est, quod *a*) Bonfrerius solam assistentiam ad praecavendos errores non extendit ad omnes libros et textus Scripturae; quod *b*) cum assistentia ubique in omnibus libris et locis coniunctam admittit inspirationem positivam *in actu primo,* quae quoties est necessarium, transeat *in actum secundum,* atque scriptori res ipsas et sententias scribendas suggerat; ex quibus tribus notionibus, *assistentia* ad cavendos errores, *parata in actu primo suggestione* scribendorum, *suggestione scribendorum in actu secundo* ubi necessitas postulet, consistit et absolvitur notio integra illius *modi concomitantis;* non ergo haec, ut apud Iahnium, est notio solum *negativa* (1). Quae quamvis ita sint, existimamus tamen hanc etiam Bonfrerii sententiam et explicationem inspirationis concomitantis sine dubio falsam esse. Quamvis enim inspiratio proprie dicta *in actu primo* ubique scriptori parata esse dicatur, re tamen vera in sacris libris multa exstarent scripta, quae in actu secundo proprie inspirata non essent, sed solum humanis viribus licet sub assistentia Dei infallibili conscripta. Unde ex parte convenit cum Iahnii sententia, atque adeo simul cum ea confutabitur. Sententia autem Iahnii confutatur iis omnino omnibus argumentis, quibus II. et III. thesim probavimus.

1°. Ipsemet Iahn fatetur, nomine *inspirationis* significari actum positivum; unde hoc nomen ait minus esse idoneum ad exprimendam notionem *negativam* a se statutam. Atqui nomen est biblicum adhibitum ab Apostolis; eius notio *positiva* manifesto deducitur ex doctrina Christi, prophetarum et Apostolorum, ut ea exhibetur tam in Scripturis veteris

(1) Si quis legat Du Pinii dissertationem praeliminarem in Scripturas T. I. l. I. c. 2. §. 7. et citata ibi verba aliqua detruncata Cornelii a Lapide ex commentario in 2. Tim. III. 16, existimare posset, Cornelium in libris Scripturae historicis et moralibus assistentiam Spiritus Sancti ad scriptionem infallibilem admisisse, non autem inspirationem sensu proprio, quo eam tenendam esse dicimus. At Cornelii doctrina de inspiratione eo ipso in loco est omnino sincera, dummodo contextus integer legatur.

Testamenti quam in scriptis evangelicis et apostolicis; est declarata in universali praedicatione ecclesiastica; expressa in symbolis et in Conciliorum definitionibus (th. II. III). Ergo ex ipsa doctrina revelata quam in superioribus demonstravimus, Scripturae sunt inspiratae sensu proprio et *positivo,* non autem impropria et *negativa* solum significatione.

2°. Ex demonstratis inspiratio talis est actio Dei in homines, et libri Scripturae ita sunt opus hominum inspiratorum, ut Deus credi debeat *librorum auctor.* Atqui si divina assistentia solum impedivit errores, ceterum vero homines proprio marte libros scripserunt, Deus non est *auctor librorum.*

3°. Si ea esset notio inspirationis et si Scripturae eo solum sensu essent inspiratae, oecumenica Concilia et summus Pontifex possent scribere libros vel certe documenta definitionum per inspirationem, et charisma inspirationis proinde esset ordinarium. Re etiam vera alia praeter Scripturas existerent documenta inspirata. Atqui haec omnia oppido falsa sunt.

Per se patet, hanc inspirationis notionem manere falsam, sive agatur de locis Scripturae continentibus doctrinam extra actum inspirationis iam revelatam scriptoribus ipsis vel aliis, sive sermo sit de libris et locis, quorum doctrina et sententiae aliunde revelatae non erant. Si enim doctrina revelata litteris consignetur ab homine marte proprio et Dei assistentiâ solum praecavente errorem; non propterea Deus erit *auctor libri,* licet infallibiliter continentis doctrinam revelatam, ut patet in canonibus et definitionibus Conciliorum, in quibus infallibiliter continetur doctrina revelata, non tamen Deus est *auctor scripti ipsius* eo sensu proprio, quo Deus credendus est *auctor Scripturae inspiratae* (th. II. III.).

4°. Conceptu illo Iahnii de inspiratione supposito multa in Scripturis continerentur explicite, quae tamen non essent verbum Dei, nec a Deo explicite revelata. Si enim s. Lucas exempli gratia (quod idem valet de aliis narrationibus historicis et doctrinis moralibus Bibliorum) in Actis res

gestas Pauli et aliorum narravit tantummodo, quatenus eas novit scientia humana acquisita, et Deus solum impedivit errorem; illa facta in se ipsis non sunt a Deo manifestata sed ab homine tantum, licet ex divina assistentia infallibiliter certum sit, facta accidisse ita, ut ab homine narrantur. Quia igitur haec assistentia supponitur revelata, poterit in revelatione divinae assistentiae censeri implicite revelata *veritas* factorum quae narrantur; non tamen facta erunt revelata explicite et in se ipsis. Qui ergo ea facta negaret, peccaret contra fidem, quia negaret verbum Dei revelantis assistentiam et in assistentia infallibilem veracitatem narrationis, non autem negaret verbum Dei explicite revelantis ipsa facta in se ipsis, quia huiusmodi verbum nullum existeret. Unde divina revelatio ad huiusmodi facta et doctrinas morales sacrae Scripturae eo fere modo se haberet, quo e. g. se habet revelatio ad facta dogmatica, quae ab Ecclesia infallibili veracitate definiuntur. Atqui haec omnia sunt prorsus falsa et absurda. Ergo falsus est ille conceptus inspirationis, ex quo haec consequuntur.

II. In altera parte theseos agimus de opinione aliqua singulari, quae olim a paucissimis quibusdam theologis in Belgio proposita tamquam hypothesis possibilis, nostra aetate in lucem revocari coepit velut thesis de notione inspirationis reipsa obtinentis in quibusdam Scripturae libris. Bonfrerius l. c. sect. 7. describit tertium modum, quo Spiritus Sanctus se habere *posset* in librorum scriptione. « *Consequenter* se habere *posset* Spiritus Sanctus, inquit, si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanctus testaretur, omnia quae in eo scripta essent, vera esse; certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum, et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera, quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus Sancti conscripta essent. »

Librum ita a Spiritu Sancto probatum fore *Scripturam sacram,* persuadere instituit duplici argumento. Nam *a*) decretum quod ab alio proprio marte scriptum rex approbat, fit verbum regis. *b*) Sententiam aliquam ab homine prola-

tam Spiritus Sanctus « potest reddere Scripturam sacram et verbum Dei eam probando et veram esse asserendo; et ita de facto fecit » approbando sententiam aliquam poetarum profanorum Arati Act. XVII. 28. et Epimenidis Tit. I. 12. et Menandri 1. Cor. XV. 33. (vide s. Hieronymum ep. 70. n. 2. ad Magnum). Ergo « pari modo integram historiam vel librum aliquem quamquam initio profano spiritu scriptum posset Spiritus Sanctus Scripturam sacram reddere asserendo, vera esse omnia quae in eo libro haberentur. » Declarat vero Bonfrerius diserte, hanc suam hypothesin se nolle applicatam libro cuicumque Scripturae sacrae, quam nunc habemus. « Hoc tertio modo, inquit, etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis quos habemus sacrae Scripturae libris, absolute tamen nihil vetat uti, vel etiam aliquando usum forte in iis libris nonnullis, quos diximus fuisse Scripturam sacram et postea tamen intercidisse, » quia scilicet in Scriptura quam habemus, ipsa citatione et appellatione ad eos videntur approbati esse ut veraces. Ita etiam ut doctrina *hypothetica* et *possibilitatis* ante Bonfrerium a Lessio et Hamelio thesis proposita est (1): « si aliquod opus pium et salutare humana industria ex divino instinctu compositum (2) publico testimonio Spiritus Sancti approbaretur tamquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem aeque infallibilem, atque (habet) Scriptura sacra, et recte Scripturam sacram et verbum Dei appellatum iri. Nam eiusdem est auctoritatis epistola a rege dictata, et (alia) ab eo subscripta; qui modus, *etsi de facto putem eum non inveniri in aliquo Scripturae canonicae libro, non tamen est impossibilis* » (Hist. Congreg. de Auxil. Livini de Meyer l. I. c. 9. ed. Venet. 1742. p. 24.).

(1) In thesibus ab adversariis obiectis, quas Lessius et Hamelius non agnoverunt ut suas, haec ita erat concepta: « liber aliquis, qualis forte est secundus Machabaeorum, humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra » (Hist. de Auxil. l. I. c. 7. p. 17.).

(2) Si hic instinctus esset ea inspiratio, quam superioribus thesibus descripsimus, theoria haec nihil haberet commune cum altera Bonfrerii; sed revera in contextu non videtur significari illa proprie dicta inspiratio.

At nostris hisce temporibus opinio de approbatione subsequente, qua liber aliquis fiat Scriptura sacra, proposita est formâ longe deteriori a nonnullis eruditis, qui censuerunt reipsa plures seu libros seu librorum textus exstare in nostro canone Scripturarum, qui humana tantum ope scripti postmodum fuerint nihilominus auctoritate et approbatione Ecclesiae accensiti sacris Scripturis. Imo appellando ad Bonfrerium hanc approbationem dicunt *inspirationem subsequentem,* et librum ita approbatum fieri aiunt *inspiratum,* quem quidem modum loquendi valde incommodum et vero ineptum, nec Bonfrerius nec ullus alius ante haec tempora adhibuit. Proponunt itaque et suam faciunt in primis distinctionem inspirationis *antecedentis* et *concomitantis;* tum ita prosequuntur. « Fieri etiam potest, ut scriptum aliquod primitus *solis ordinariis humanis viribus* confectum, eo demum ad dignitatem verbi Dei elevatum esset atque hoc ipso *inspiratum evasisset, quod canoni insertum est* (1). In hac hypothesi scriptum aliquod factum

(1) Insertio in canonem non est nisi testificatio et declaratio librum esse inspiratum, ac proinde inspiratio non efficitur per insertionem in canonem; sed ei praesupponitur ut obiectum declarationis. Est haec doctrina de modo, quo liber inspiratus fieri queat, eo magis mira, quod insertio in canonem seu in elenchum librorum, qui certo et indubitanter ab omnibus credendi sint inspirati, fieri potuit et quoad aliquos libros re ipsa facta est ab Ecclesia post tempora Apostolorum ex Traditione quidem apostolica. Quam insertionem posteriorem auctor non solum non negat, sed videtur non abhorrere a sententia, libros ab Apostolis nondum habitos tamquam inspiratos posse deinceps ab Ecclesia declarari canonicos atque ita reddi inspiratos. Existimat enim libros Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae, Esther post aetatem demum Iosephi Flavii « usu magis magisque consecratos fuisse, » hisque « ab Ecclesia circa idem tempus » additos fuisse libros deuterocanonicos (Histor. revelat. p. 697. 699.). Ex hac opinione consequeretur, Ecclesiam posse efficere, ut liber antea non inspiratus, incipiat esse inspiratus, quod sane dici non potest. Aliquid huiusmodi indicavit Sixtus Senensis Bibl. sacrae l. VIII. haeres. 12. ad obiect. 7. ed. 1742. T. II. p. 1098. « Nec quidquam, inquit, illorum (librorum Mach.) fidei derogatur, etiamsi ab auctore profano scripti sint, cum libri fides non ab auctore sed ab Ecclesiae catholicae auctoritate pendeat, et quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oportet, a quocumque dictum sit auctore, quem (auctorem Mach.) ego neque sacrum neque profanum ausim affirmare. » Debuisset advertere Six-

esset verbum Dei eo modo, quo locus aliquis a Cicerone scriptus fit verbum meum, quando illum in aliqua oratione vel epistola usurpo ad *meum* conceptum exprimendum: haec est *inspiratio subsequens*. Quaenam ex hisce tribus speciebus inspirationis ad hunc vel illum librum, ad hunc vel illum versum referenda sit, vix potest singillatim definiri; dicere tantum possumus, ea loca, in quibus expressum est: haec dicit Dominus vel aliquid simile, probabilius ad primam (antecedentem), *narrationes vero historicas rerum quae subsunt experientiae, ad posteriorem (subsequentem) pertinere posse.* Libri poetici videntur potissimum ad secundam (concomitantem) censendi » (Historia revelationis biblicae auctore D. Daniele Haneberg. 1850. p. 774.).

Haec omnia praesertim post definitionem editam in oecumenico Concilio Vaticano, sustineri nullo modo possunt. Definitio ita habet. « Eos vero (libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Trid. Concilii decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (Constitut. *Dei Filius* cap. 2.). Ut patet, *a*) duplex error hac Concilii declaratione *directe excluditur,* quod libri aliqui Scripturae sint scripti sola humana industria, qui tamen ab Ecclesia deinde approbati et inserti in canonem Scripturarum, hac ratione habeantur sacri et canonici; vel quod aliqui libri Scripturae solum ratione materiae non autem ratione ipsius scriptionis sint libri divini. *b*) Positive docetur, libros Scripturae esse sacros ratione ipsius scri-

tus, Ecclesiam infallibilem tradere hos libros ut auctorum inspiratorum, et ideo quia oportet indubitatum esse, quod illa ex Traditione apostolica accepit, repugnare auctores fuisse profanos; et repugnare, ab Ecclesia infallibili tradi tamquam Scripturam sacram librum scriptum ab auctore profano. Ab Ecclesiae itaque auctoritate pendet nostra cognitio, librum esse inspiratum; non autem ab ea pendet, sed tamquam obiectum Traditionis et definitionis praecedit et praesupponitur ipsum factum inspirationis.

ptionis sub inspiratione Spiritus Sancti ita, ut Deum habeant auctorem. Neque tamen singulae notae, quibus constet inspiratio divina, et quae requirantur, ut Deus sit auctor librorum, a Concilio ipso explicantur. Hinc *c*) theologice demonstrando notionem inspirationis eiusque discrimen ab assistentia divina, atque declarando, quid requiratur vel saltem quid non sufficiat ad illud, ut Deus sit auctor librorum, ex hac definitione Concilii per conclusionem theologicam infertur falsitas illius etiam sententiae, quae solam assistentiam divinam qua Deus scribentibus adfuerit eos praemuniens ab omni errore, sufficere asserit ad rationem Scripturae sacrae, qualem Ecclesia nunc habet, reque ipsa in aliquibus libris sacris aut librorum partibus non aliam inspirationem ab hac assistentia distinctam locum habuisse. *d*) De sententia vero mere hypothetica, ut eam Bonfrerius explicuit, Concilium non loquitur. Revera si tantummodo dicitur, librum humanitus scriptum, cuius in omnibus et singulis veracitatem Deus postmodum revelatione publica revelasset, posse dici sacram Scripturam et habiturum auctoritatem divinam, lis potest esse de verbis, dummodo agnoscatur diversitas huiusmodi libri a Scriptura divinitus inspirata, quam accepit et habet Ecclesia.

Quod spectat ad intestinam fallaciam illius perperam appellatae *inspirationis subsequentis,* ut rerum confusionem extricemus, distinguimus tria haec: liber est inspiratus, liber est Scriptura sacra, liber continet verbum Dei; postremo vero quaeremus, quomodo non absolute repugnet, aliquem librum humanitus scriptum fieri scriptum divinitus seu inspiratum.

1°. Inspiratio est divina supernaturalis actio in hominem scribentem, ex qua liber ab homine inspirato scriptus, est et appellatur *terminative* inspiratus. Atqui divina approbatio et declaratio, in libro aliquo humana solum ope scripto nihil esse non verum, non est actio Dei in scriptorem; nec per hanc declarationem fit, ut actus praeteritus scribendi desinat esse mere humanus, et liber iam pridem conscriptus ope mere humana incipiat esse scriptus divinitus. Ergo talis approbatio non est nec esse potest inspiratio, nec talis liber potest esse inspiratus.

2°. Nomen *Scripturae* et *Scripturae sacrae* est ex usu biblico et christiano nomen proprium designans non aliud quodcumque sacrum monumentum nisi libros et partes librorum, qui sub divina inspiratione scripti sunt. Ergo cum subsequens divina approbatio et declaratio veracitatis non possit efficere librum inspiratum et origine homogeneum libris Scripturae; neque potest efficere, ut pertineat ad s. Scripturam proprio nomine dictam. Si scriptura sacra accipiatur significatione communiori et generica, efficiet utique divina revelatio veracitatis et sanctitatis doctrinae, ut talis scriptura iam sit sacra, sicut definitiones Conciliorum vel Romanorum Pontificum propter infallibilem veracitatem, de qua ex revelatione divina constat, dici possunt scripta sacra.

3°. Ex huiusmodi attestatione veracitatis libri a Deo ipso per revelationem catholicam facta consequeretur sane, ut quae in libro humanae originis continerentur, essent veritates divinitus revelatae et proinde verbum Dei credendum. Sicut enim generatim veritates ab hominibus naturaliter cognitas, ita etiam veritates naturaliter ab aliquo homine cognitas et scriptas posset Deus revelatione supernaturali proponere credendas, idque efficeret hoc ipso, quod per publicam revelationem attestaretur veracitatem libri. At non ideo liber ille humanitus scriptus esset liber inspiratus aut Scriptura sacra proprii nominis, quamvis dici posset liber divinus ratione materiae et veritatum, quas continet (cf. th. II.). De huiusmodi catholica revelatione Dei subsequente locuti sunt illi nonnulli theologi Belgae, de quibus diximus. Quia vero viderunt, libros quos habemus in canone, simpliciter et omnes una ratione esse traditos ut *libros Dei auctoris;* de ista vero revelatione subsequente quoad aliquem eorum nullum esse vestigium; ideo sapienter protestati sunt, se illam suam theoriam hypotheticam nulli prorsus libro canonico applicatam velle. At quod Sixtus Senensis et quidam recentiores dixerunt de susceptione in canone per auctoritatem Ecclesiae, qua liber humana solum industria scriptus fieri possit Scriptura sacra, imo re ipsa aliquos libros vel librorum partes hac insertione in cano-

ne evasisse *Scripturam inspiratam inspiratione subsequente,* longe diversum est. Talis enim libri humani susceptio in canone *a*) ab infallibili Ecclesia fieri nequit, quia esset fallax testimonium de libri inspiratione, qui inspiratus non est. *b*) Infallibilis definitio Ecclesiae de veritate omnium quae in libro aliquo humano continentur, non repugnat quidem; at per eam non solum liber non fieret Scriptura inspirata, sed neque efficeretur, ut veritates in eo libro contentae essent veritates divinitus revelatae. Talis enim definitio eodem modo se haberet ut definitio in factis dogmaticis; constaret scilicet de veritate omnium quae scripta essent in libro, non per immediatam revelationem Dei sed per revelatam infallibilitatem testantis Ecclesiae vel Pontificis; credenda ergo essent fide non immediate sed mediate divinâ (cf. supra p. 124.).

Ceterum illi theologi nonnulli qui locuti sunt de subsequente revelatione Dei, per quam liber humanus fieri posset Scriptura sacra, videntur decepti esse confusione divinitatis libri ratione *materiae* quam continet, et ratione *scriptionis.* Confundunt scilicet comprehensionem verbi Dei et divinam originem seu inspirationem ipsius scriptionis. Quia vident divina revelatione subsequente effici posse, ut quod continetur in libro veraci humanitus scripto, iam sit verbum Dei, concludunt, librum ipsum esse inspiratum et esse Scripturam sacram, quod tamen nullo modo sequitur.

Hinc etiam respondebis ad probationem, quam adferunt ex similitudine diplomatis regii. Si minister regius documentum suo marte scripsit rege nec sensa suppeditante nec movente voluntatem ministri, nulla approbatione rex fieret auctor *scripti operis.* Approbatione tamen regis leges, quae in eo documento scriptae essent, fierent leges regiae, quia lex suam formalem rationem et robur legis obtinet non a iureconsultis qui illam mente conceperunt, et scripserunt, sed ex manifestatione voluntatis regiae et ex approbatione a rege facta. Hoc etiam sensu codices legum tribuuntur principibus e. g. Iustiniano, Theodosio etc., non quod ipsi dicantur *auctores librorum,* sed quod contenta in codicibus ab auctoritate et voluntate principum vim legis habent.

Neque enim eadem est significatio, quando dicitur *auctor libri*, et quando nominatur *codex Theodosianus* vel *diploma regis* vel *testamentum testatoris;* priori illa locutione significatur, ex cuius mente ipse sententiarum complexus emanaverit et conscriptus fuerit; appellationibus posterioribus per se tantummodo dicitur, a quo codex, diploma, testamentum habeat auctoritatem et vim obligandi.

4°. Quia adversarii provocant ad sententias aliquas gentilium, quas dicunt factas esse Scripturam sacram subsequente approbatione veracitatis, et ad similitudinem, quod unus alterius e. g. Ciceronis sententias potest reddere suas; ad huius rei declarationem inquirendum est, quomodo documentum pridem humanitus exaratum possit fieri inspiratum. Ex dictis iam constat, librum inspiratum et proprio nomine Scripturam sacram non posse esse nisi ex actione supernaturali Dei in hominem ad scribendum, ex qua liber existit *origine* inspiratus. Ergo *a*) nulla subsequens *approbatio* potest librum reddere inspiratum. *b*) Nec assumptio sententiae profanae facta ab auctore inspirato eam efficit in se inspiratam, quamvis relatio et applicatio vel narratio illius sententiae ab homine profano dictae sit inspirata. Sic e. g. relatio sermonum amicorum Iob, immo etiam sententiarum hominum impiorum, « qui dixerunt cogitantes apud se non recte... coronemus nos rosis » etc. Sap. II, narratio dicti a caeco sanato: « Deus peccatores non audit » Io. IX. 31, applicatio versuum Arati et Epimenidis Act. XVII. 28; Tit. I. 12. sine dubio inspirata est; at non ideo illae sententiae in se, vel ut exstant in libris poetarum, evaserunt veritas inspirata. Nihilominus *c*) non repugnaret, aliquam sententiam veram sed humanitus scriptam fieri inspiratam. Sicut enim praecedens naturalis cognitio veritatis non est ratio, cur Deus eam non possit inspirare ad scribendum, ita etiam praecedens naturalis scriptio non est ratio, quae ex sese impediat inspirationem eiusdem veritatis ad eam scribendam divinitus; tum vero neque repugnaret, ut ad sententiam eandem inspiratam exprimendam adhiberentur eadem verba, quibus usus est auctor profanus. Sic non repugnat, ut auctor inspiratus 2. Mach. compendium

historiae Iasonis Cyrenaei sibi inspiratum ad scribendum, concepisset verbis ipsius Iasonis, quem supponimus auctorem non inspiratum. Hinc etiam concedimus non absolute repugnare, ut inspirarentur res et sententiae omnes, quae iam exstarent scriptae humanitus in aliquo libro undequaque veraci. Si deinde res illae omnes et sententiae inspiratae ad scribendum exprimerentur iisdem verbis, quibus usus erat auctor non inspiratus; in hac hypothesi idem conceptus vel idem liber integer scriptus esset bis modo valde diverso, semel humanitus et iterum divinitus. Hoc vero licet ex ipsa notione inspirationis per se non repugnans, attamen si de libro integro agatur, fere ludicrum videtur, nec satis conciliandum cum divina maiestate et sapientia.

CAPUT II.

DE MODO QUO LIBRI INSPIRATI NOBIS INNOTESCUNT.

THESIS V.

De inefficacia argumentorum internorum ad demonstrandam inspirationem librorum.

« Nullo iure quidam Protestantes quoad libros novi Testamenti criterium tum positivum tum exclusivum ad dignoscendas Scripturas inspiratas collocarunt in munere apostolatus, quo scriptores fuerint insignes. Fallax pariter est argumentum, quo Protestantes alii eos libros omnes et solos, quos in sua ab Ecclesia defectione ceu unicam fidei regulam conservarunt, tamquam divinitus inspiratos innotescere affirmant ex characteribus internis librorum, tum ex eorum doctrina scilicet et forma tum ex salutari in legentium animos efficacia. »

I. Ioannes David Michaëlis (Introduct. in N. Testam. T. I. cap. 3.) hanc statuit doctrinam. *a*) Nemini Protestantium ex principiis suae Confessionis fas est appellare ad testimonium Ecclesiae sive praesentis sive antecedentis aut etiam apostolicae aetatis ad probandam inspirationem librorum sacrorum, quos suscipiunt velut unicam regulam fidei. Argumentum vero Protestantium ductum ex «*sapore*» et ex utilitate horum librorum inane est et inefficax ad

probandam inspirationem (1). *b*) De inspiratione librorum V. T. possumus certi esse ex testimonio Christi et Apostolorum; huiusmodi vero testimonium disertum nullum exstat pro inspiratione librorum N. T. *c*) Criterium validum pro inspiratione horum librorum unicum est, si sint scripti ab Apostolis. Unde inspiratio librorum N. T., qui ab aliis scripti sunt quam ab Apostolis, ut Evangelii Marci et Lucae, non potest demonstrari. *d*) Apostolos inspiratos fuisse vi muneris apostolici, a Michaëlisio probatur argumentis, quae revocantur ad tria. α) Apostolorum munus et charisma est excellentius quam prophetarum; atqui prophetae erant inspirati; ergo inspirati erant etiam Apostoli. β) Christus promisit et misit Apostolis Spiritum Sanctum, ut doceret eos omnem veritatem. γ) Fides nostra innititur doctrinae Apostolorum: ergo eorum scripta in quibus doctrina fidei ad nos pervenit, debent esse inspirata. Habebant a Christo potestatem legiferam: ergo eorum scripta quae continent doctrinam moralem, sunt inspirata (2). Tandem appendicis

(1) De his argumentis Protestantium ex interna librorum indole ductis paulo post agemus. Interim confessio Michaëlisii non caret suo valore et acumine. In versione gallica ita est. « Une sensation intérieure des effets du St. Esprit et la conviction de l'utilité de ces écrits pour améliorer le cœur et nous purifier, sont des critères aussi incertains que le précédent. Quant à cette sensation intérieure, je dois avouer que je ne l'ai jamais éprouvée, et ceux qui la ressentent, ne sont ni dignes d'envie ni plus près de la verité, puisque les Mahométans l'éprouvent aussi bien que les Chrétiens (haec valent de sensu fanatico pietistarum et aliorum enthusiastarum); et comme cette sensation intérieure est la seule preuve sur laquelle Mahomet ait fondé sa religion, nous devons conclure, qu'elle est trompeuse. L'autre caractère est également insuffisant, puisque de pieux sentiments peuvent être excités par des ouvrages purement humains, par les écrits des philosophes ou même par des doctrines fondées sur l'erreur; et s'il était possible de tirer une conclusion de ces prémisses, les prémisses elles-mêmes sont incertaines, puisqu'on a l'exemple d'hommes souverainement méprisables, qui ont cru avoir atteint le plus haut degré de sainteté » (haec omnia vera sunt, si sistitur in mero sensibili affectu, et vera fides tamquam norma dirigens non praesupponitur).

(2) In verbis Christi Matth. XVI. 18. 19: « tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram,

instar subnectit argumentum ex 2. Pet. III. 16, qui locus iam non agit de munere et charismate proprio apostolatus, cui nostra cognitio inspirationis innitatur; quatenus vero ex illo testimonio inspiratio librorum N. T. probetur, alibi videbimus.

Nisi sciremus, ad quas incitas Protestantes reiecta Traditione ex ipso suo fundamentali principio de Scriptura velut unica fidei regula redacti fuerint, videri posset Michaëlis his argumentis non demonstrare inspirationem librorum N. T. sed ostendere voluisse, eam a Protestantibus nullo modo demonstrari posse; tam ea sunt inepta et a re prorsus aliena. Examinabimus criterium quod statuitur primum in suo sensu *affirmante,* deinde in sensu *excludente.*

1°. Quod spectat affirmationem, munus apostolatus esse *criterium positivum inspirationis ad scribendum,* sequentia animadvertenda sunt. Inspiratio ad scribendum non secus ac donum prophetiae et inspiratio ad loquendum est charisma *gratis datum* non permanens per modum habitus, sed transiens per modum actus (cf. S. Th. 2.2. q. 171. a. 2.). Est autem inspiratio ad scribendum charisma distinctum tum a revelatione quae homini fiat immediate a Deo, tum ab infallibilitate ad revelationem seu voce seu scripto annuntiandam, tum etiam ab inspiratione ad loquendum, ut evidens est ex ipsa notione inspirationis ad scribendum superius demonstrata. Sane enim hisce omnibus positis, nondum habetur inspiratio ad scribendum; unde videmus multos prophetas et Apostolos, quibus illa charismata non deerant, tamen ad libros scribendos non fuisse inspiratos. Vicissim potest esse inspiratio ad scribendum citra revelationem strictissimo sensu dictam (supra th. III. n. I.), imo etiam citra missionem hominis inspirati ad revelationem simpliciter appellatam *voce et praedicatione* annuntiandam, et citra inspira-

erit solutum et in coelis; » quibus Petri primatus super Ecclesiam Christi clarissime enuntiatur, de inspiratione autem librorum nulla est mentio, Michaëlis illam significationem manifestissimam negat, hanc alteram intrudit. Haec scilicet est ars hermeneutica « immunis a praeiudiciis, » ut sensum obvium qui non congruit praeiudiciis, tenebris involvant; sensum qui placet, confingant.

tionem *ad loquendum*. Quomodo enim probabitur, scriptorem e. g. libri Esther, quem et Protestantes in canone retinuerunt, necessario instructum fuisse aut omnibus illis donis aut eorum aliquo? Est ergo charisma inspirationis ad scribendum ita ab illis donis distinctum et separabile, ut nec in illis includatur nec ex illis consequatur.

Iam vero demonstrari potest et argumenta Michaëlisii, si quid probant, demonstrant hoc unum, apostolatui secundum Christi institutionem propria fuisse et connexa charismata immediatae revelationis et infallibilitatis in praedicatione; nullum autem est argumentum, quo demonstretur ex Christi promissione et institutione muneri eidem essentiale seu cum illo necessario nexum fuisse charisma inspirationis ad libros scribendos. Nam *a*) sicut mandata omnia a Christo versante in terris facta Apostolis ad praedicationem referuntur, nullum autem ad scriptionem pertinet; ita eodem etiam pertinent promissa cum mandatis coniuncta, et ex his promissis charismata apostolatui essentialia (vide tract. de Tradit. th. IV. V. VII.). Unde *b*) Apostoli qui sane omnes munere iniuncto fungebantur erantque instructi charismatibus cum eo nexis, non omnes tamen scripserunt libros inspiratos. Ergo *c*) ex charismate apostolatus sequitur quidem Apostolos, si doctrinam revelatam vellent scripto proponere, fuisse infallibiles sicut in praedicanda ita in scribenda doctrina Christi; at ex munere apostolatus per se spectato non sequitur, ipsam scriptionem esse inspiratam; nec sequitur, *non potuisse* Apostolos scribere alia ad doctrinam Christi nihil pertinentia, in quibus non solum non inspirati, sed neque infallibiles essent. Ex *genuinitate* igitur libri apostolici sequitur quidem divinitas revelatae doctrinae, quae in eo proponitur, et infallibilitas in proponenda aut scribenda doctrina; non tamen per se consequitur, librum eo ipso, quod est genuinus et scriptorem habet Apostolum, esse *inspiratum* (cf. tract. de Tradit.th.XXI.n.II.). *d*) Argumentum assumptum a Michaëlisio ex inspiratione prophetarum, non est aliud quam petitio principii, si genuina habeatur notio inspirationis ad scribendum. Si enim dicuntur prophetae ad scribendum inspi-

rati fuisse ex ipso munere prophetico, hoc ipsum versatur in quaestione, dum negamus huiusmodi inspirationem essentialiter connexam esse cum munere sive prophetico sive apostolico per se spectato. Si vero *scriptio prophetica* in sensu biblico nominis dicitur scriptio inspirata, hoc utique verum est (supra th. II. n. II.); sed hoc charisma nulli muneri aut statui est alligatum. Idem enim quod de Apostolis novi Testamenti diximus, valet etiam de prophetis veteris Testamenti; fuerunt nempe multi prophetae, quin essent inspirati ad scribendum, et vicissim erant aut poterant esse scriptores inspirati, quin essent insigniti munere prophetarum. Hinc *e*) charisma inspirationis *extraordinarium* est non solum in comparatione cum successoribus eo, quod non esset ordinaria aliqua successione propagandum; sed etiam in comparatione cum ipso apostolatu, quatenus cum munere apostolico non erat necessario nexum. Propterea inspiratio libri etiam apostolici non certo innotescere potest, nisi de ea constet speciali testimonio fide digno; et siquidem liber proponatur *fide divina* credendus ut pertinens ad Scripturam inspiratam, nonnisi *testimonio divino* seu revelatione sufficienter constare potest de facto inspirationis. Neque enim fide divina creditur, nisi propter auctoritatem Dei revelantis.

Posset forte aliquis hanc doctrinam in dubium vocare eo, quod inquisitio in auctoritatem canonicam seu inspirationem quorundam librorum N. T. e. g. epistolae ad Hebraeos, epistolarum quarundam ex septem sic dictis catholicis et Apocalypseos apud veteres scriptores coincidere videatur cum inquisitione in eorundem librorum apostolicam originem et genuinitatem, ita ut *positive* eo ipso haberentur libri inspirati, quod constaret eos habere auctores Apostolos; et vicissim *negative,* si liber non esset originis apostolicae, etiam de auctoritate canonica dubitaretur. Quin imo absurdum videtur fateri librum aliquem esse scriptum ab Apostolo, et tamen negare esse inspiratum.

At in primis falsum est, sensu *negativo* has duas quaestiones apud veteres habitas fuisse velut ita connexas, ut necessario ex negatione apostolicae originis sequeretur ne-

gatio inspirationis. Non enim deerant, qui dubitarent de scriptore epistolae ad Hebraeos sicut etiam Apocalypseos, utrum hic esset Ioannes Apostolus an alius Ioannes presbyter, quin ideo in dubium vocarent inspirationem. Et quis umquam nisi haereticus de inspiratione Evangelii Marci et Lucae ac libri Actuum Apostolorum dubitavit? In sensu deinde *positivo* non simpliciter ex apostolica origine inferebatur inspiratio; sed illa origo et genuinitas adhibebatur tamquam confirmatio *existentis Traditionis* de inspiratione libri, et ad removenda dubia *de hac existente Traditione.* Agebatur scilicet de libris qui, ut postea demonstrabimus, universali usu, consuetudine et lectione habebantur tamquam pertinentes ad *Scripturam sacram* ab Apostolis traditam. Si qui ergo hanc ipsam Traditionem apostolicam de aliquo libro tamquam *Scriptura sacra* in dubium vocabant, iis nihil magis pronum erat, quam ut valorem existentis consuetudinis et usus Ecclesiarum infirmare conarentur dubiis excitatis de ipsa libri genuinitate, vel ut orto iam dubio de valore existentis Traditionis etiam dubitaretur de genuinitate libri. Imo aliquando non simpliciter libros abiudicabant scriptoribus Apostolis, sed eos adtribuebant impostoribus haereticis, ut Apocalypsim Cerintho; ex quo sane consequens fuisset, eam non esse inspiratam. Status igitur controversiae is erat, ut valor existentis Traditionis, qua hi libri transmissi erant tamquam *Scriptura sacra,* impugnaretur suspicione, quod libri essent supposititii. In his ergo rerum adiunctis merito Patres vel diserte vel implicite ita argumentari poterant: hi libri quos Ecclesiae acceperunt et retinent ut Scripturam sacram, sunt scripti ab ipsis Apostolis, non autem sub eorum nomine irrepserunt in Scripturas Ecclesiarum; ergo ea Traditio Ecclesiarum est legitima et suum retinet valorem. Quae argumentatio non simpliciter et generatim tamquam per consequentiam intrinsecus necessariam ex apostolica origine concludit ad inspirationem librorum; sed ex apostolica origine librorum confirmat valorem Traditionis, qua traditi sunt tamquam libri inspirati. Praeterea utique semper viguit communis persuasio instar principii, quod nulli Apostolorum libri scripti exstant vel certe nulli

traditi sunt Ecclesiae nisi inspirati. Hoc autem erat testimonium non velut *de rei essentia* ex ipsa natura apostolatus, sed velut *de facto historico* ex Traditione consensu ecclesiastico confirmata.

2°. Multo absurdius et sane haereticum est Michaëlisii criterium sensu *excludente,* quod nulli libri N. T. probari possint inspirati, nisi qui scripti sint ab Apostolis. Charisma enim extraordinarium inspirationis ad scribendum nulli muneri aut conditioni personarum est alligatum, sed si ullo alio maxime hoc dono, quamdiu revelatio non est completa, « Spiritus ubi vult, spirat. » Sicut ergo ex nullo munere, quo scriptor functus sit in Ecclesia, potest demonstrari libri inspiratio; ita etiam muneris sive apostolici sive cuiusvis alterius defectus nihil obest demonstrationi, quae aliunde ex divino scilicet testimonio et revelatione petenda est.

II. Facile intellexerunt Protestantes, suum principium fundamentale de verbo scripto velut immediata locutione Spiritus Sancti, et de Scriptura velut unica regula fidei consistere non posse, nisi de inspiratione Scripturarum quas in suo canone retinuerunt, certo constet, et nisi de ea constet ex aliis fundamentis quam ex Traditione apostolica per Ecclesiam catholicam conservata et declarata. Ut ergo a necessitate reperiendi *testimonium praeter Scripturas,* quo de earundem inspiratione constaret, aliqua ratione se expedirent, quia viderunt illud testimonium nullum esse posse nisi in Traditione conservata et declarata per successionem apostolicam in Ecclesia catholica, receperunt se ad argumenta et criteria ipsis libris canonicis internis, ex quibus eorum divina origo et inspiratio innotesceret. Distinguunt autem criterium triplex, *a*) *historicum* quod constituunt in miraculis et prophetiis in Scriptura comprehensis; *b*) alterum quod ipsi appellant *internum,* et quod melius dici posset *dogmaticum,* collocatum in sanctitate, sublimitate, et consensione doctrinae hisce libris contentae; *c*) aliud quod dicunt *empiricum,* quodque repetunt ex miris effectibus, quos animi legentium ex vi et efficacia verbi Dei experiantur (vide Card. Wiseman De praecipuis doctrinis Ecclesiae catholicae

Lect. 2ª.). Addunt aliqui *d*) quod possumus dicere argumentum *aestheticum,* coniungendum cum criterio *dogmatico,* illudque ponunt in sublimitate et simplicitate dictionis. Atqui vel obiter inspicienti evidens est, argumenta haec omnia non posse constituere principia ex quibus, sive generatim spectentur sive singula examinentur, legitime inferatur, libros eos omnes et solos esse divinitus inspiratos.

1°. Spectemus ea *generatim.* Ut ex huiusmodi characteribus certo innotescat librorum inspiratio, *a*) constare debet, harum notarum non posse esse aliam causam quam inspirationem. Atqui hoc falsum est vel certe demonstrari et a nobis sciri nullo modo potest. Pone enim librum continere doctrinam revelatam, et iam nulla amplius inveniri potest ratio, cur illis omnibus notis liber humanitus scriptus insignis esse nequeat, ut apparet facile tum ex ipsa rei natura tum ex multis libris sanctorum auctorum minime inspiratis. *b*) Vel characteres enumerati omnes simul sumpti et quatenus insint gradu eminenti, dicuntur tamquam effectus demonstrare inspirationem ut sui causam, vel id praestare possunt etiam singuli et quovis gradu libris insint. Atqui hoc alterum est evidenter absurdum, et eo posito libri inspirati essent non solum illi comprehensi in canone, sed prorsus innumerabiles. Si autem dicitur primum, determinari deberet ante omnia eminens ille gradus et modus quo hae notae inesse debeant, quod nec *a priori* et ex ipsa rei natura, nec *a posteriori* et ex aliqua positiva ipsius Dei revelatione fieri potest, cum huiusmodi revelationis de notis internis, ex quibus cognoscenda sit librorum inspiratio, nullum exstet vestigium. Sed omissa etiam hac determinatione, characteres illi enumerati omnes simul sumpti non omnibus insunt libris, quos etiam Protestantes habent in canone; et quatenus eis insunt, non insunt iis solis. Ut enim nihil dicam de plerisque libris historicis veteris Testamenti eorumque partibus, quomodo quaeso inspiratione nondum supposita demonstrabunt, illas notas in illo gradu requisito inesse epistolis e. g. 2ªᵉ. et 3ⁱᵃᵉ. Ioannis, epistolae Iudae, illis Pauli ad Titum et Philemonem; contra vero mirabiles epistolas e. g. Ignatii vel Polycarpi e[v

illam Clementis vel alteram ad Diognetum etc. his notis inspirationis carere? Neque dicant, has epistolas aliunde innotescere minime inspiratas, quippe quae scriptae sint post aetatem apostolicam. Nam praeter quam quod id de iis omnibus verum non est, nunc non quaeritur de harum epistolarum inspiratione; sed imo supponitur eas non esse inspiratas; cum tamen non appareat, notas quas dicunt indices inspirationis, his aliisque scriptis humanis minus inesse, imo cum longe magis inesse videantur, quam-pluribus libris librorumque partibus, quos etiam Protestantes retinuerunt ut inspiratos, evidens est, per notas internas quas proferunt, hos libros canonicos a libris humanis distingui non posse. Evidens ergo est, ex iis characteribus cognosci non posse, libros qui a Protestantibus retenti sunt in canone, omnes et solos esse inspiratos.

Ab hac de criteriis internis doctrina Protestantium longe diversum est, quod apologetae catholici adversus incredulos appellare solent ad sanctitatem, sublimitatem et puritatem doctrinae in Scripturis comparando eam cum indole, tempore et adiunctis sacrorum scriptorum, et ad alia criteria interna. Apologetae enim in primis de revelatione agunt non de inspiratione librorum; tum quatenus forte de inspiratione agunt, nemo eorum umquam huiusmodi internis criteriis probandum suscepit, *omnes* et *solos* libros quos habemus inter Scripturas, esse divinitus inspiratos; sed adhibent loca quaedam singularia Scripturarum ad persuadendam existentiam alicuius inspirationis; in hac vero ipsa probatione, et generatim in demonstratione veritatis christianae criteria interna habent nec ut unica nec ut praecipua motiva credibilitatis; imo iis utuntur magis sensu *negativo,* ut ostendant nihil esse in doctrina repugnans facto revelationis, quod verum demonstrant aliis criteriis positivis.

Hoc sensu adhiberi possunt et aliquando a Patribus et theologis catholicis adhibentur etiam criteria interna ad defendendam ab oppugnationibus veritatem inspirationis librorum. *Supposita scilicet demonstratione* inspirationis quae aliunde conficitur, consideratio internorum characterum

tum hominum qui scripserunt, tum librorum sacrorum potest suppeditare motivum credibilitatis aliquatenus et in nonnullis locis sensu *positivo,* potissimum vero sensu *negativo,* quod in libris nihil est repugnans facto inspirationis; atque ita haec consideratio intestinae indolis librorum potest removere praeiudicia et difficultates, quae impedire possent intelligentiam demonstrationis a testimoniis repetendam. Ita e. g. Augustinus, qui ubique divinitatem et inspirationem librorum ex Traditione demonstrat, nihilominus ad doctrinae consensionem appellat in oppositione ad dissensiones et contradictiones philosophorum, ut rationabilem persuadeat fidem populorum. « Auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum... cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt » Civ. Dei XVIII. c. 41. n. 1.

Ita etiam Ecclesia *in examine Traditionis* de aliquo libro inspirato, utrum ea genuina sit et apostolica, potuit *in subsidium* vocare considerationem characterum internorum, concentum doctrinae et similitudinem libri cum aliis, de quorum inspiratione ex constanti et certa Traditione nullum erat dubium. Multo etiam directius poterat rationem habere *sensus* populi christiani de huiusmodi libro; *sensus* enim ille est unum ex criteriis ad dignoscendam *Traditionem,* ut tract. de Trad. th. XII. demostravimus, et longe alterius rationis quam *gustus* Lutheri, qui libros inspiratos admittebat aut repudiabat, prout in iis ex sua privata interpretatione sibi *gustare* videbatur conformitatem vel difformitatem cum suo praeconcepto systemate doctrinae repugnante universali consensioni. Hoc igitur modo intelligi debet doctrina Bellarmini, quando ait (de verbo Dei l. I. c. 10. ad 2.): « Ecclesia potest declarare, quis sit liber habendus canonicus, et hoc non temere nec pro arbitratu, sed *ex veterum testimoniis,* et *similitudine librorum* de quibus ambigitur, cum illis de quibus non ambigitur, ac demum *ex communi sensu et quasi gustu populi christiani.* »

2°. Si quatuor commemorata criteria *singillatim* spectentur; quoad primum, quod dicunt *historicum*, absurde confunditur narratio miraculorum et prophetiarum quae in libro descripta sit, cum patratione miraculorum et editione verarum prophetiarum ad comprobandam veritatem alicuius doctrinae. Miracula et prophetiae non ideo, quia referuntur in Scripturis, iam patrata sunt vel patrata intelliguntur ad comprobandam doctrinam de inspiratione; et si ad hunc finem patrata essent, praerequireretur ipsum divinum testimonium de inspiratione, quod deinde confirmaretur supernaturalibus illis signis. Tum vero tota maneret quaestio, quomodo illud testimonium conservatum sit et ad nos usque pervenerit. Ceterum argumentum ut a Protestantibus adhibetur (apud Em. Wiseman l. c.), dum ex narratione et relatione miraculorum et prophetiarum inferunt librum in quo scripta sunt, esse inspiratum, evidenter est absurdum. Argumentum secundum *(dogmaticum)* et tertium *(empiricum)*, si omnia concedantur, quae argumenti auctores postulant, ad summum probare posset, hos libros in aliquibus partibus continere doctrinam revelatam. At ne id quidem probant illa duo argumenta per se sumpta, nisi alia coniungantur, quibus librorum scriptores veraces et infallibiles fuisse demonstretur. Certe nullo modo demonstrant inspirationem ipsius scriptionis, imo neque veritatem narrationum et doctrinae in omnibus partibus librorum, qui in canone comprehenduntur. Ex argumento denique ultimo (quod dici potest *aestheticum*) nihil umquam aliud efficias, nisi quod res et doctrinae seu revelatae seu aliunde cognitae verbis et locutionibus aptis expressae sunt; hoc autem non nisi per inspirationem fieri potuisse, neque evidens est nec demonstrari potest, quin illud ipsum praesupponas, quod est in quaestione.

THESIS VI.

De necessitate testimonii, quo innotescat inspiratio.

« **Ex ipsa rei natura de facto inspirationis aliis praeter hominem » inspiratum constare nequit nisi testimonio; hoc autem testimonium » quoad Scripturas, quae in Ecclesia ut verbum Dei inspiratum susci- » piuntur et creduntur, non potest esse nisi testimonium divinum.** »

I. Inspiratio est factum supernaturale psychologicum in mente hominis, quod sicut alia facta interna immediate Deo notum est, et ipsi tantummodo homini inspirato; quamvis ne huic quidem sub formali ratione inspirationis et quatenus est supernaturale, necessario innotescat (vid. th. III. Coroll. 3.). « Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? » 1. Cor. II. 11. Non potest itaque inspiratio aliis hominibus innotescere, nisi vel ex suis effectibus externis vel ex testimonio fide digno. Effectus externus inspirationis de qua loquimur, non est alius quam ipsa scriptio et liber scriptus. Atqui in his nulla est nota insita, quae ex sese manifestet inspirationem tamquam causam necessariam, ut paulo ante demonstratum est. Ergo non nisi testimonio fide digno factum inspirationis aliis hominibus innotescere potest.

Hoc testimonium vel est mere humanum vel est divinum. Si est testimonium humanum dumtaxat, necessario in serie testantium, quaecumque illa supponatur, primus testis a quo ceterorum auctoritas pendet, est ipsemet homo inspiratus, quia illi soli immediate, ceteris vero, praescindendo a testimonio divino, non nisi ex ipsius testimonio innotescere potest.

Quamvis testimonium humanum de facto interno supernaturali, cuiusmodi est inspiratio, longe difficilius fidem mereatur quam testificatio de factis externis sensibus obnoxiis, et quamvis tale factum internum eodem fere modo sicut veritas speculativa, non sit *proprium obiectum* humani testimonii propter facilitatem illusionis in testante et difficultatem in aliis certo cognoscendi illusionis exclu-

sionem; nolim tamen affirmare, absolute loquendo non posse esse talem auctoritatem testantis, ut humanam fidem mereretur.

II. Quidquid vero de hac re sit, factum inspirationis ex hypothesi non a Deo sive immediate per se ipsum sive mediate per legatum divinum proponitur, sed proponitur testimonio mere humano (1); unde non propter auctoritatem Dei revelantis (qui supponitur minime revelasse hoc factum) sed unice propter auctoritatem hominis attestantis, atque adeo *non divina sed humana et fallibili fide* creditur, ea quae sunt scripta in libro, esse verbum Dei. Quare si liber ita suscipiendus est, ut haec una ratio, quod aliqua sententia scripta sit in eo libro, satis esse debeat et obligationem inducat *fide divina* credendi illam sententiam esse verbum Dei, multoque magis si hoc modo et ut talis auctoritatis liber propositus sit universae Ecclesiae; tum sane humanum testimonium de facto inspirationis non sufficit (2), sed prorsus requiritur testimonium divinum.

Iam vero *a*) Scripturae sacrae ab universali Ecclesia, imo ab omnibus qui Christiani aliquo iure appellantur, suscipiuntur et suscipiendae sunt tamquam inspiratae, ita ut ex hac sola ratione, quod sententia aliqua in his libris continetur, *fide divina* credatur et credi debeat verbum Dei per ipsam scriptionem revelatum. Ergo etiam factum inspirationis continens rationem, cur comprehensa in libro verbum Dei esse, sit *fide divina* credendum, credatur oportet *fide divina;* ac proinde de eo constare debet non hu-

(1) In hac thesi praescindimus ab infallibilitate Ecclesiae, ex cuius definitione infallibiliter constare posset de facto etiam in se non revelato sed cum revelatione connexo. Huiusmodi definitio Ecclesiae non est testimonium *mere humanum;* si autem factum inspirationis s. Scripturae spectatur, quatenus illud ab Ecclesia proponitur ac praedicatur, iam etiam constat de testimonio divino, quia Ecclesia illud non solum ut verum sed ut *a Deo revelatum* proponit credendum fide divina h. e. propter auctoritatem *Dei testantis inspirationem.*

(2) Loquimur de testimonio *mere humano;* si vero testificatio hominis confirmaretur miraculis vel aliis signis divinis tamquam motivis credibilitatis a Deo ipso positis, illud iam non humanum sed divinum esset testimonium.

mana dumtaxat sed divina testificatione. Si enim auctoritate tantum humana constaret librum esse a Deo inspiratum, non solum existentia verbi Dei in eo libro constaret fide mere humana propter auctoritatem hominis dumtaxat; sed etiam fides in veritatem eorum quae scripta sunt in libro, resolveretur ultimatim in assensum propter auctoritatem hominis. Etiamsi namque quis diceret se credere illa vera esse, quia credit esse in libro verbum a Deo inspiratum, atque adeo se credere propter auctoritatem Dei per librum loquentis; cum tamen hoc ipsum, Deum in eo libro loqui, non aliunde sive cognoscat sive credat nisi unice ex auctoritate et testimonio hominis, evidens est ultimum fundamentum talis fidei in veritatem eorum quae scripta sunt in libro, fore auctoritatem mere humanam (1). *b*) Si quaestio spectetur polemice in controversia cum iis Protestantibus, qui adhuc revelationem admittunt, ratio non est minus evidens. Illi enim postulant propositionem per librum inspiratum tamquam conditionem necessariam ad praestandam fidem divinam veritati propositae, quia per librum inspiratum Spiritus Sanctus nobis loquitur. Si ergo humano solum testimonio crederetur librum esse inspiratum, eo ipso etiam veritates contentae in libro tamquam inspirata verba Spiritus Sancti credi non possent nisi testimonio humano; inniteretur ergo tota fides auctoritati hominis testantis de libri inspiratione, non autem auctoritati divinae. Hoc ipsimet fatentur, atque idcirco quae-

(1) Aliud omnino est, quod revelatio divina seu existens divinum testimonium potest nobis *applicari*, ut dici solet, per testimonium humanum. Hoc enim nihil est aliud, quam quod per hominem possumus venire in notitiam testimonii divini seu divinae locutionis insignitae et velut obsignatae divinis factis ac motivis credibilitatis a Deo ipso positis, ut suam locutionem redderet cognoscibilem tamquam vere divinam. Tum supernaturali firmitate primum assentimur ac inhaeremus ipsi existentiae locutionis divinae, atque inde propter auctoritatem Dei loquentis, nullo autem modo propter auctoritatem hominis cuius ope pervenimus in notitiam existentis locutionis Dei, credimus eadem firmitate supernaturali veritates illa divina locutione revelatas ac propositas. Sed de hac re alibi dicemus, ubi instituemus analysin actus fidei. Cf. tract. de Deo uno th. IX. n. III.

runt alias rationes praeter testimonium humanum, ex quibus suscipiant libros tamquam inspiratos. At illae rationes nullae sunt; sed sunt vel gratuitae assumptiones vel ad summum coniecturae, ut demonstratum est in thesi praecedenti. Cum ergo ex dictis in hac thesi de inspiratione librorum constare nequeat nisi per testimonium, hoc autem relate ad Scripturas ut fundamentum fidei divinae non possit esse mere humanum; restat, ut omnes fateantur, de facto inspirationis Scripturarum, sicut oportet, constare non posse nisi testimonio divino.

Per se patet, non esse sermonem de necessitate testimonii divini immediati sed sufficere testimonium Dei mediatum per legatum divinum a Deo motivis credibilitatis insignitum, sive primus divinae attestationis promulgator sit ipsemet homo inspiratus, sive alius cui Deus libri inspirationem immediate revelaverit.

Pariter constat, ubi agitur de criterio ad cognoscendam non iam essentiam sed existentiam inspirationis, sermonem non esse de inspiratione abstracte spectata *quid ea sit,* de quo superius dictum est, sed in concreto de ipsis libris inspiratis, *quinam illi sint*. De singulis ergo libris inspiratis valent omnia, quae diximus de modo, quo inspiratio innotescit; neque aliter quam ex testimonio divino librorum numerus et libri singuli Scripturae inspiratae, sicut oportet, cognosci possunt.

THESIS VII.

De duplici modo, quo testimonium divinum de libris inspiratis nobis conservatum est.

« Testimonium divinum de inspiratione quam plurium ex iis libris » qui inter *Scripturas* a Christianis communi consensione suscipiuntur, » scriptis etiam apostolicis conservatum nobis est; non tamen de *integro canone* librorum quos etiam Protestantes retinuerunt, constare » potest nisi testimonio *sola Traditione* conservato. »

Eo ipso quod agitur de ss. Scripturis ab universa Ecclesia suscipiendis et credendis, *testimonium divinum* de his Scripturis certe pertinet ad depositum revelationis catholicae. Revelatio autem catholica completa est per Chri-

stum et per Spiritum Sanctum in Apostolis (de Tradit. th. XXII.). Hoc ergo testimonium, haec revelatio de Scripturis inspiratis et Scripturarum libris non subsequenti demum aetate Ecclesiae tradi potuit, sed ab ipsis Apostolis ad Ecclesiam pervenisse necesse est. Nulli ergo possunt esse libri pro ipsa Ecclesia inspirati, de quorum inspiratione nunc in novo Testamento revelatione iam completa testimonium divinum aut nondum existat in deposito revelationis, aut non iam aetate apostolica exstiterit; poterant tamen per se loquendo in veteri Testamento, cum depositum fidei adhuc complendum et explicandum erat per novas succedentes revelationes (de Tradit. th. XXV.), exstare libri inspirati, quorum inspirationis revelatio a Christo demum vel a Spiritu Sancto per Apostolos facta sit et Ecclesiae christianae tradita (supra th. III. Coroll. 3.).

Hisce suppositis testimonium illud divinum nobis conservari non potuit nisi vel in sola Traditione vel praeter Traditionem (stricto sensu dictam cf. de Trad. th. II.) etiam in scriptis apostolicis.

I. Iam dicimus, testimonium divinum de inspiratione plurium librorum quos habemus in canone, conservatum esse etiam in scriptis apostolicis. Id evidenter constat ex dictis in superioribus thesibus I. et II. Ex iis enim conficitur, universam saltem Scripturam tempore Christi et Apostolorum a Synagoga admissam confirmari et proponi ut inspiratam testimonio Christi ipsius et Apostolorum in scriptis etiam evangelicis et apostolicis conservato, seu canonem Iudaeorum eo tempore existentem, quatenus *affirmans* est, divino testimonio scripto confirmari.

Licet vero in controversiam vocatum sit, qui fuerint libri omnes et soli in canone Iudaeorum comprehensi; de multis tamen ex his libris quos habemus in canone christiano, nullum est aut esse potest dubium, quin iidem tempore Christi et Apostolorum fuerint in canone Iudaeorum, ad quos proinde certo pertinet divinum testimonium in scriptis apostolicis conservatum, proponens et confirmans Scripturas sacras Iudaeorum tamquam inspiratas. Est hoc ita evidens, ut nulla indigeat probatione; quid enim nisi mul-

tos certe ex libris qui in nostro canone sunt, indicat divisio in tres classes, et appellatio diserta ad libros singulos, ac citatio textuum ex eisdem (1), quae facta a Christo et ab Apostolis in scriptis apostolicis prostat?

Imo cum in scriptis apostolicis disertum exstet testimonium (2. Tim. III. 15. 16.) pro inspiratione totius collectionis librorum, qui tum temporis a Iudaeis agnoscebantur pertinentes ad Scripturam, definiri potest nominatim, ad quos libros *omnes* licet non propterea iam etiam *ad solos* scriptum illud testimonium certo referatur, si constet, quinam fuerint libri tum temporis comprehensi in *Scriptura* a Iudaeis agnita tamquam divina. Atqui constat historicis argumentis, quantum satis est, in collectione Iudaeorum tum temporis exstitisse saltem eos omnes libros, quos adhuc nunc habent in suo canone, et qui protocanonici vocari solent.

1°. Ex Patribus a II. ad V. saeculum, qui describunt singillatim libros canonis Iudaici, ut Melito (apud Euseb. IV. 26.), Origenes (Euseb. IV. 25.), Epiphanius (de mensur. et pond. n. 4. 22. 23; Haeres. VIII. n. 6.), Hilarius (Prolog. in Pss. n. 15.), Hieronymus (Prolog. galeat. et alibi); pariter ex scriptis Iudaicis illius temporis (vide Buxtorf. in l. Tiberias c. 11.) certissimum est, saltem a christiano saeculo II. hos omnes libros fuisse in canone Iudaeorum. Est autem incredibile, Iudaeos intra tempus quod effluxit a Christo et ab Apostolis usque ad illam aetatem, suscepisse aliquos libros in canonem, quos tempore Christi et Apostolorum in eo nondum habuissent, quin tamen huius rei ullum in historia exstet vestigium. Incredibile id est, si spectes extensionem huius mutationis, quae nullo reclamante fieri debuisset per universum orbem, ubi Iudaei

(1) Patet facile, hoc totum argumentum esse dumtaxat *affirmans*, libros scilicet ita citatos esse certe propositos ut sacram Scripturam; non esse argumentum *excludens*, ac si aliunde constare non posset, etiam alios praeter sic citatos fuisse a Christo et ab Apostolis agnitos et traditos Ecclesiae; de qua re postea dicemus. Ceterum in N. T. disertae citationes neque omnium librorum protocanonicorum V. T. occurrunt; numquam citantur libri Iudic. Eccles. Cantic. Esth. 1. et 2. Esdr.

erant dispersi; idque multo etiam fit minus credibile, si simul computetur maxima eorum veneratio erga sacros libros, in quibus aliquid addere vel demere vel mutare summum nefas censebant (1).

2°. Accedit, quod canon iste prout illum primorum saeculorum christiani Patres diligenter a Iudaeis exquisitum, ipsique magistri Iudaici recensent, facile ostenditur convenire cum eo ipso, quem Iosephus ex persuasione ac fide suae gentis refert paulo post Hierosolymorum eversionem, et quem ex longo iam tempore eundem sine mutatione permansisse testatur (cf. supra th. I.). Numerantur a Iosepho viginti duo libri, videlicet quinque Moysis, tredecim prophetarum, quatuor qui hymnos continent et praecepta morum. Iam si inspiciatur appellatio et divisio librorum penes Iudaeos, ut exhibentur a Melitone, Origene, Hilario, Hieronymo, Epiphanio, Talmudistis, ubique secundum numerum litterarum hebraicarum numerantur viginti duo libri ita, ut praeter quinque Moysis et quatuor morales (Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis, Cantici Canticorum) remaneant tredecim prophetarum hac censione: 1. Iosue, 2. Iudicum cum Ruth, 3. Samuel (1. et 2. Reg.), 4. Regum (3. et 4. Reg.), 5. Chronicon (1. et 2. Paralip.), 6. Esdras (1. et 2. Esd.), 7. Esther (2), 8. Isaias, 9. Ieremias cum Threnis, 10. Ezechiel, 11. Daniel, 12. Prophetae duodecim minores (3), 13. Iob. Qui existimant, libros duos Paralipome-

(1) Quanta fuerit circa illud ipsum tempus sollicitudo Iudaeorum in servandis suis libris vel ex eo uno apparet, quod singulorum librorum non modo versus et vocabula sed ipsas litteras numerarunt, diligenter adnotantes, quot sint vocabula, quot litterarum formae diversae, quae sit littera media in toto libro etc., quam ἀκρίβειαν Iudaei ad suos *antiquos scribas* referunt (vide Buxtorf. l. Tiberias c. 8.).

(2) In catalogo Melitonis liber Esther omissus est. Huius rei ratio optima redditur ex eo, quod initium libri secundum editionem graecam (cap. XI. et XII. nostrae Vulgatae) in hebraico et penes Iudaeos non habetur. Inde etiam liber idem desideratur in catalogis Athanasii, Synopsis Athanasianae, Nazianzeni, Amphilochii, Leontii, Nicephori, ut alibi explicabimus.

(3) Apud Origenem hic liber XII. Prophetarum excidit, ut evidens est ex eo, quod promittit numerationem 22 librorum, tum vero hoc

non, duos Esdrae, et Esther non posse comprehendi apud Iosephum inter tredecim libros prophetarum, sed hos quinque libros serius fuisse susceptos, assertionisque rationem adferunt, quod hi libri prophetici non sunt (Haneberg Hist. revel. bibl. p. 696. cf. supra p. 316.), omnino videntur negligere testimonia veterum Patrum ac Iudaeorum, nec adtendere ad alias rationes contrarias, quod nimirum Iosephus hisce libris non secus utitur quam ceteris, et quod nomen *prophetarum* sumit sensu biblico ac theologico pro hominibus inspiratis, quod postremo huiusmodi tarda insertio in canonem ineluctabilibus argumentis falsa ostenditur. Vide th. IV. n. II.

Quae cum ita sint, satis constat libros saltem eos, qui adhuc pertinent ad Hebraeorum canonem, in collectione Scripturarum comprehensos iam fuisse tempore Christi et Apostolorum. Atqui Christus et Apostoli eam collectionem tamquam librorum inspiratorum approbarunt testimonio consignato in scriptis etiam apostolicis, ut patet ex testimoniis allatis th. I. et II. et nominatim ex 2. Tim. III. 15. 16. (de quo loco vide th. II. n. II. 3°.). Ergo testimonium divinum de inspiratione quam plurium librorum quos in canone habemus, etiam scriptis apostolicis ad nos usque conservatum est. Cf. cl. Welte in Periodic. trimest Tübing. 1855. p. 68. sqq.

II. Scripto illo divino testimonio constare quidem potest, eos libros V. T. pertinere ad Scripturas, et esse proinde inspiratos (cf. th. II.); at idem testimonium minime certiores nos facit, eos *solos* esse Scripturam inspiratam, nec quidquam docet de libris inspiratis novi Testamenti.

1°. Ex illo testimonio non constat, utrum Christus et Apostoli in completione ac consummatione revelationis praeter eas non adhuc alias quasdam Scripturas tradiderint; testimonium enim *affirmans* est, hos libros esse inspiratos, non autem *excludens*, nullos alios esse libros V. T. inspiratos. Unde ex illa scripta attestatione non potest de-

eraso non reperiuntur nominati nisi 21; praeterea in versione Rufini et apud Hilarium, qui suam numerationem desumpsit ex Origene, liber idem est expressus.

finiri, utrum canon Iudaeorum fuerit completus et conclusus, an vero incompletus et nova revelatione a Christo et Apostolis supplendus. Quae res eo minus definita censeri potest ex testimonio *affirmante,* quamdiu illud solum spectatur, quod *a*) omnes Christiani, etiam Protestantes ipsi, fatentur Apostolos libros alios, videlicet Scripturas novi Testamenti licet harum in illo testimonio nulla sit mentio, tradidisse Ecclesiis tamquam inspiratos; quod *b*) certo constat, apud Iudaeos praeter commemoratos fuisse libros alios in magna veneratione, de quibus utrum eiusdem rationis et auctoritatis essent cum illis prioribus, dubii manebant propterea, quod « successio prophetarum non satis erat perspecta et continua » (p. 324.); imo *c*) saltem probabile censeri debet, Iudaeos Hellenistas, quorum Bibliis graecis Apostolos usos fuisse constat, habuisse inter Scripturas libros alios praeter numeratos. Ergo in primis Protestantes testimonio in scriptis apostolicis consignato certi esse nequeunt, utrum ipsorum canon in quo solos libros protocanonicos V. T. retinuerunt, non sit mancus, et ita pars aliqua verbi revelati, quod in solis Scripturis haberi putant, sibi desit. At de hoc canone inferius dicetur.

2°. Protestantes et Christiani omnes, qui hoc nomen aliqua ratione verosimili sibi vindicant, habent in canone libros novi Testamenti saltem protocanonicos (1). De horum igitur inspiratione testimonio divino ad nos usque conservato et nobis proposito constare debet (th. VI.), quod, ut iam diximus, non potest conservatum esse nisi vel *sola Traditione* vel simul etiam scriptis apostolicis. Atqui de inspiratione horum librorum, si non solum in confuso quaeritur de existentia aliquot Scripturarum novi Testamenti, sed si tota collectio et libri omnes ac singuli determinate spectentur, nullum exstat testimonium in scriptis aposto-

(1) Protestantes plerique secum asportarunt velut viaticum in suo a paterna domo Ecclesiae discessu libros N. T. omnes, quos habuit et habet Ecclesia catholica; alii facta etiam in hac re haeresi ac selectione retinuerunt solos protocanonicos, si ita appellari possunt; multi inconstantes ac dubii fluctuabant inter libros deuterocanonicos N. T. retinendos vel reiiciendos.

licis. Ergo de inspiratione Scripturarum omnium, quas etiam Protestantes retinuerunt, constare nequit nisi testimonio divino *sola Traditione* conservato.

Libri aliqui novi Testamenti in scriptis apostolicis tamquam *ad Scripturas* pertinentes adeoque (ex demonstratis th. I. et II.) inspirati memorantur semel tantum vel summum bis. Locus certior est 2. Petr. III. 16, ubi epistolae Pauli a Petro adnumerantur Scripturis. « Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis (Ecclesiis Asiae), sicut et in *omnibus epistolis* loquens in eis de his (ut expectantes adventum Domini satagant immaculati inveniri, et Domini longanimitatem salutem arbitrentur), in quibus (1) sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, *sicut et ceteras Scripturas* (ὡς και τας λοιπας γραφας) ad suam ipsorum perditionem. » Dum ait Petrus, indoctos homines depravare ea quae sunt *in epistolis Pauli,* sicut *ceteras Scripturas,* sane epistolas easdem connumerat *Scripturis;* hanc enim vim connumerationis habet partitivum *ceterae.* Concedam igitur, epistolas Pauli tum temporis iam scriptas (quae erant vel plane omnes vel omnes una 2. Tim. excepta) testimonio divino in epistola apostolica conservato adnumerari Scripturis. Hanc vero *Scripturae* appellationem sufficere ad testandam inspirationem, ex aliis scriptis testimoniis confici potest et in superioribus demonstratum est.

Verum *a*) quî quaeso suadebis, alios omnes libros novi Testamenti hoc testimonio Petri adnumerari Scripturis? Imo non omnes libros iis verbis comprehendi posse, plane evidens est, cum omnes ne scripti quidem adhuc fuerint. Petrus enim hanc 2^am^ epistolam paulo ante martyrium scripsit anno 66 vel 67 aerae vulgaris, cum Ioannis scri-

(1) In textu graeco recepto relativum refertur ad immediate antecedens pronomen neutrum *de his,* non ad epistolas; legitur enim περι τουτων, ἐν οἱς, *in quibus rebus* sunt quaedam difficilia. Sed ad sensum parvi interest; sermo enim semper est de rebus et sententiis, quatenus sunt in epistolis Pauli. Praeterea haec lectio graeca minime certa est; habent quippe ἐν αἱς codd. non pauci, inter quos vetustissimi A. B. et Sinaiticus.

pta tam Evangelium scilicet quam epistolae et Apocalypsis non nisi viginti fere annis post prodierint. Insuper *b*) epistola ipsa haec Petri est ex illis libris, quorum genuinitas et origo apostolica certo probari et extra controversiam poni solum potest ex Traditione sensu catholico intellecta; unde divinitas ipsa et valor testimonii scripti, quod ad aliorum librorum inspirationem probandam assumitur, et consequenter etiam haec aliorum librorum inspiratio ultimo ad probationem ex Traditione revocari debet. Hinc denique *c*) illi Protestantes, qui hanc epistolam 2am Petri repudiarunt, etiam testimonio hoc scripto ad probandam Scripturarum novi Testamenti inspirationem destituti sunt.

Alterum testimonium scriptum posset esse 1. Tim. V. 18, ubi ita legitur. « Dicit enim *Scriptura:* non alligabis os bovi trituranti; et: *dignus est operarius mercede sua.* » Prior sententia est desumpta ex Deut. XXV. 4; altera autem, quae iuxta interpretationem Vulgatae est citatio alicuius loci Scripturae, his verbis concepta nullibi occurrit nisi Luc. X. 7. Quod si ita est, et nisi forte Apostolus solum applicet quoad sensum, quae de mercede operariis reddenda Deut. XXIV. 14. praescribuntur, s. Paulus hic adnumerat Evangelium Lucae *Scripturis.* At res haec non est satis certa, et si admittitur, nihil inde convinces pro inspiratione omnium librorum canonis novi Testamenti. Ad hanc igitur probandam testimonium in scriptis apostolicis nullum reperire est; sed illud non aliter quam sola Traditione ad nos usque pervenit.

Scholion. Nisi dicta rite intelligantur, videbuntur quae asserimus de libris novi Testamenti, non satis cohaerere cum iis, quae concedimus de libris veteris Testamenti. Non nemini vero minus adtendenti ad sensum, quo Traditionem hic intelligimus, videbimur praeterea nimis multa concedentes etiam contradictoria scripsisse.

1°. Quoad libros veteris Testamenti, solum historice probato numero et canone librorum, qui penes Iudaeos tempore Christi et Apostolorum in auctoritate erant, concedimus, scriptis apostolicis consignatum testimonium Christi et Apostolorum de tota collectione in communi sufficere,

ut ex ipso testimonio scripto revelata censeri debeat inspiratio horum omnium librorum. Quare ergo historice probata collectione librorum novi Testamenti, non eodem modo satis est testimonium Petri ad inspirationem omnium librorum huius collectionis demonstrandam?

Responsio non est difficilis. Nam tum scripta divina testimonia tum historica probatio quoad libros V. T. valde diversa sunt ab historia et divino testimonio scripto quoad libros N. T. Quoad illos priores diserta prostant testimonia in scriptis apostolicis, quibus omnes libri tum temporis in canone Synagogae exstantes a Christo et ab Apostolis confirmantur ut inspirati, et ad Scripturam inspiratam computantur. Expendantur testimonia allata th. I. et II. maxime 2. Tim. III. 15. 16. Tum vero historicâ evidentiâ demonstratur, saltem hos libros omnes quos Iudaei adhuc habent in canone, iam eo tempore in eodem fuisse. Unde divinum testimonium scriptum evidenter ad hos omnes libros pertinet. Qua in argumentatione demonstratio historica est tantum applicatio propositionis revelatae universalis ad singularia obiecta, quae sub universali propositione comprehendi demonstrantur. Si huiusmodi applicatio impediret, quominus obiectum singulare esset revelatum et tamquam revelatum satis propositum, revelatio mediata et fides universim subverteretur: « nisi rationales animas haberemus, credere non possemus. » Ita in universali propositione, qua revelatum est omnes posteros Adae contrahere peccatum originale (excepto utique Christo et excepta sanctissima Dei matre), iam etiam revelatum est, singulos determinatos homines contraxisse peccatum. Cognitio enim naturalis, quod et ipsi homines sunt ab Adam originem trahentes, est tantum (ut dixi) propositionis universalis ac revelatae applicatio ad singularia obiecta. Testimonio divino scripto revelatum est, libros omnes tempore Christi et Apostolorum comprehensos in collectione Scripturarum Synagogae esse libros Scripturae inspiratae; atqui in ea collectione evidenter comprehendebantur saltem hi libri omnes, quos Iudaei adhuc habent in canone; ergo scripto testimonio divino revelatum est, hos libros omnes esse li-

bros Scripturae inspiratae. Huius syllogismi conclusio continetur tota in maiori; minor tantum evidenter ostendit consequentis comprehensionem in maiori. Imo si propositio minor ita enuntiatur: atqui in ea collectione comprehendebantur saltem multi ex libris, qui adhuc sunt in canone; haec ipsa minor habet pro se divinum testimonium scriptum, ut constat ex citationibus a Christo et ab Apostolis frequentissime factis.

At vero quoad libros novi Testamenti testimonium scriptum 2. Pet. III. 16. non potest referri nisi ad libros tum iam existentes in collectione Scripturarum. Atqui *a*) aliqui ex libris N. T. quos habemus in canone, tum neque adhuc erant scripti; *b*) de aliis pluribus non potest evidenter probari solis argumentis historicis et seposita Traditione sensu catholico intellecta, eos iam tum fuisse habitos in censu *Scripturarum*. Ergo ex illo *testimonio scripto* non potest probarí inspiratio totius collectionis librorum N. T. quam nunc habemus, et quam etiam Protestantes retinuerunt.

2°. Altera difficultas quae sese offerre potest, est sequens. Videmur concedere, ex Scripturis ipsis probari posse quam plurium librorum inspirationem praecisione facta a Traditione; id autem quî fieri potest, cum et libri probandi et libri probantes nonnisi Traditione nobis sint conservati, et tantummodo Traditione de eorum genuinitate et integritate constare queat? Insuper videri posset hic concedi maior vis probationum ex Scripturis independenter a Traditione, quam concessa sit in tractatu de Traditione. Responsio ad haec desumi potest ex iis, quae diximus de Tradit. th. XXI. n. II.

a) Conservatio, probatio genuinitatis et integritatis librorum intelligi certe nequit, nisi ex Traditione saltem *historica;* potest tamen institui haec probatio, et quoad plures libros inter quos certe sunt Evangelia et Pauli epistolae, evidens reddi praescindendo a *Traditione authentica sensu catholico* intellecta. Probata autem horum librorum genuinitate consequitur veritas et divinitas doctrinae in illis consignatae. Unde ex testimoniis Christi et Apostolorum, quae ex probata genuinitate librorum pro-

bantur esse testimonia vera et divina, potest aliorum librorum inspiratio probari praescindendo a Traditione sensu catholico intellecta.

b) Non autem supponuntur libri ex quibus testimonia desumuntur, necessario ut inspirati; sed sufficit, ut probentur esse genuini h. e. scripti ab Evangelistis et Apostolis, quibus adtribuuntur; ex hoc enim ipso veracitas et divinitas doctrinae satis constat.

c) Non dicimus, hanc demonstrationem inspirationis librorum ex testimoniis scriptis esse *accommodatam omnibus, pro omnibus adiunctis* ad finiendas controversias, *pro omnibus libris*. Hic tantum quaerimus, utrum adsint apostolica testimonia scripta, in quibus *aliquorum librorum* inspirationem enuntiari demonstretur pro iis, *qui demonstrationi capiendae sint idonei*, et *qui doctrinam apostolicam ut revelationem divinam sine controversia se admittere profitentur*. Hoc utique concedimus; simul tamen firma manent, quae dicta sunt in tractatu de Traditione. Videlicet sicut generatim quoad alia dogmata, ita et quoad hoc dogma de inspiratione et inspiratorum librorum numero propositio necessaria ad unitatem fidei in catholicitate servandam est per authenticam Traditionem sensu catholico intellectam, haecque est oeconomia ordinaria a Christo instituta ad fidei conservationem et propagationem. Imo vero, ut ex dictis in hac thesi constat, inspiratio *omnium* librorum, qui sive in canone catholico continentur sive etiam a Protestantibus retenti sunt, est unum ex illis doctrinae capitibus, quae scripta non sunt, sed per *solam Traditionem* sub assistentia Spiritus Sancti ad nos usque conservata.

THESIS VIII.

Principia Protestantismi repugnant probationi canonis Scripturarum, quem Reformatores retinuerunt.

« Protestantibus de hoc divino testimonio ac proinde de suo integro Scripturarum canone, sicut ad doctrinae fidei fundamentum oportet, neque ex ipsa Traditione constare potest, quamdiu hanc eo solum sensu admittunt, quam ipsi dicunt *traditionem historicam*, et quae tota iudicanda et exigenda sit ad Scripturam ceu unicam fidei regulam. »

In suis libris symbolicis haec tria principia profitentur sic dicti Protestantes orthodoxi: 1° libros quos habent in canone, omnes et solos credendos esse verbum Dei scriptum et divinitus inspiratos; 2° testificationem divinam nullam fuisse conservatam aut conservari potuisse sola Traditione ita, ut ex ea de aliquo dogmate certo constare possit, et ut obiectum fidei constituat; 3° Traditionem circa dogmata et circa intelligentiam verbi Dei admitti dumtaxat posse *historicam* hoc sensu, quod ex Traditione tamquam ex testimonio historico discitur, quomodo verbum Dei diversis aetatibus a Christianis fuerit intellectum; quae quidem Traditio per se nullius sit auctoritatis, sed exigenda et iudicanda a singulis ad normam unicam, quae est Scriptura.

Nihilominus tamen iidem Protestantes plerique saltem disputando cum antichristis, quos habent in sua communione, ubi ratio exigitur, qua hos omnes libros habeant in canone tamquam inspiratos, ad Traditionem appellant, quia vident aliam viam demonstrationis nullam patere. Dicimus iam, demonstrationem hanc institui non posse, nisi reiectis principiis quae tamquam fundamentalia a Protestantibus statuta sunt, admittatur catholicum principium Traditionis, atque adeo ex principiis Protestantismi viam nullam patere ad inspirationem librorum novi Testamenti saltem plerorumque demonstrandam, quos tamen libros ut verbum Dei inspiratum habent ceu unicam fidei regulam.

Sane Traditio ex eorum principiis tantummodo refert sententiam veterum Christianorum, hocque unum docere potest, hos libros omnes habitos fuisse a veteri Ecclesia velut per-

tinentes ad Scripturam sacram atque inspiratos. Haec autem veterum sententia, utrum vera sit an falsa, a singulis iudicanda est ad unicam normam verbi Dei in Scripturis consignati. Iam hanc normam unicam iudicii si intelligerent solum negative ita, ut nihil possit admitti in Traditione, quod repugnet verbo Dei scripto; hoc esset utique verissimum, sed nihil confert ad demonstrationem, de qua agitur. Nam Traditionem veteris Ecclesiae de inspiratione librorum novi Testamenti quos habent in suo canone, non repugnare verbo scripto facile quidem convincent; at nec magis repugnat Traditio de libris aliis, quos tamen Protestantes repudiarunt; et generatim ex sola non repugnantia cum verbo scripto non possunt concludere veritatem testimonii, quod in Traditione continetur de suorum librorum inspiratione; sed haec veritas testimonii debet desumi ex auctoritate ipsius Traditionis. Tum vero Scriptura iam non est norma unica, ad quam omnia dogmata iudicanda sint; nec iam verum est, nullum posse esse aut esse dogma *sola Traditione* transmissum, sed relicto principio Protestantismi admittatur oportet *principium Traditionis catholicum*, et ex hoc adoptetur cum ceteris dogmatibus etiam integer canon Scripturarum secundum Traditionem Ecclesiae catholicae.

Si autem, quod revera habet principium Protestantismi, Scriptura unica sit regula fidei, et si Traditio ac veteris Ecclesiae sententia generatim, et consequenter etiam Traditio de inspiratione librorum N. T. iudicanda sit ad normam Scripturae ita, ut positivum postuletur testimonium Scripturae ad probandum dogma contentum in Traditione et in sententia veteris Ecclesiae, atque adeo silentium Scripturae sufficiat ad repudiandam Traditionem et ad iudicandam falsam aut saltem dubiam sententiam veteris Ecclesiae; tum profecto inspirationem horum librorum neque ex Traditione probare possunt. Scriptura enim de numero et canone librorum N. T., quos Protestantes adoptarunt, omnino silet. Ergo si silentium Scripturae est ratio iudicandi Traditionem falsam vel dubiam, iam pro eis nullus potest esse valor illius suae *Traditionis histo-*

ricae ad probandam inspirationem librorum novi Testamenti.

Porro ex hoc ipso, quod in antecedente thesi demonstravimus, testimonium de inspiratione omnium librorum canonis etiam a Protestantibus admissi sola Traditione ad nos usque servatum esse, facile videbis evidentem contradictionem in tribus principiis Deformatorum, quae initio commemoravimus. In primo enim principio continetur implicite affirmatio illius, quod in secundo principio explicite negatur, esse scilicet dogma aliquod *sola Traditione* transmissum. Pariter in tertio principio statuitur norma ad iudicandam Traditionem, qua eiusdem Traditionis valor explicite negatur, qui in principio primo implicite affirmatur. Vide de Tradit. th. XX. n. III.



SECTIO II.

DE CANONE SCRIPTURARUM SACRARUM EX TRADITIONE ECCLESIAE CATHOLICAE.

CAPUT I.

DE LIBRIS SACRIS ET CANONICIS VETERIS TESTAMENTI.

THESIS IX.

Traditio apostolica de omnibus libris Scripturae declarata est a Concilio Tridentino.

« Suppositis principiis catholicis de divina Traditione, Concilii Tri- » dentini solemnis definitio sess. IV. per se sola satis est, ut libri omnes » in canonè eiusdem s. synodi enumerati demonstrentur ab Apostolis » traditi tamquam pertinentes ad sacram Scripturam et divinitus in- » spirati; nulla enim veri specie dici potest, quod non nemo asserere » ausus est, ex s. Concilii sententia supponi et admitti posse discrimen » inter libros protocanonicos, ut vocant, eosdemque inspiratos et inter » deuterocanonicos, qui sint libri ecclesiastici inferioris auctoritatis. »

I. Demonstratio primae partis huius theseos continetur, ut in enuntiatione ipsa indicamus, in toto nostro tractatu de Traditione. Complectemur recapitulationem paucis verbis argumento *generali* de doctrina tradita, in qua includitur doctrina a Concilio definita de libris inspiratis, et argumento *speciali* pro Traditione huius doctrinae a Patribus Tridentinis definitae.

1°. *Argumentum generale* deducitur ex statutis principiis de Traditione. Demonstratum est, universam doctrinam a Christo et ab Apostolis traditam ex Christi institutione conservari a successione apostolica; ideo iudicium infallibile sub assistentia Spiritus Sancti tum de genuinitate Traditionis tum de vero sensu doctrinae traditae esse penes eandem apostolicam successionem; criterium denique assistentis Spiritus Sancti et inde consequentis infallibilitatis esse consensum, qui sive alio modo sive modo ceteris clariori per solemne iudicium (1) manifestetur (vide

(1) Solemne iudicium seu definitio saltem per se et essentialiter non refertur ad consensum iam existentem velut effectus ad causam,

de Tradit. praesertim th. V; VIII; XIV. n. I. 2°). In fidei autem deposito continetur tamquam pars in toto etiam divinum testimonium de libris inspiratis, quot et quinam illi sint (cf. de Trad. th. XXI. n. II.). Ergo custodia huius testimonii et exortis dubiis infallibile iudicium de genuinitate Traditionis qua transmissum est, pertinet ad functionem custodum et doctorum fidei in successione apostolica sub assistentia promissa Spiritus Sancti; proindeque sive per consensum sive per solemne iudicium quod ad illum tamquam causa refertur, infallibiliter manifestatur divinum testimonium de libris inspiratis et genuinitas Traditionis, qua illud transmissum est. Atqui solemne hoc iudicium in Concilio Tridentino latum est; est enim ea definitio non solum disciplinaris et mutabilis dispositio sed definitio fidei irreformabilis, ut tum ex rei natura tum ex scopo praefixo evidenter constat. Ergo demonstratis iam principiis catholicis de Traditione, decretum Tridentinum per se solum satis est, quo ducamur in cognitionem genuinae Traditionis de libris inspiratis.

2°. Subiungere possumus *argumentum speciale.* Quamvis non semper omnibus de omnibus libris exploratum erat, utrum ab Ecclesia revera traderentur tamquam pertinentes ad Scripturam inspiratam, principium tamen ipsum semper, ubique, apud omnes Ecclesiae filios erat inconcussum, ab ipsa Ecclesia discendum esse, qui sint libri Scripturae. « Agnitio vera est Apostolorum doctrina... per successiones Episcoporum, quae pervenit ad nos *custoditione sine fictione Scripturarum.* » « Omnis sermo ei constabit, *si et Scripturas diligenter legerit apud eos qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina* » Iren. IV. c. 32. n. 1; c. 33. n. 8. Vide et Origenem ep. ad African. n. 4.

sed refertur ad consensum efficiendum velut causa ad effectum. Ideo criterium ad cognoscendam infallibilitatem *iudicii* sub assistentia promissa Spiritus Sancti per se non est iam existens consensus universalis; sed ut in tractatu de Traditione saepe ostendimus, criterium est ipsa potestas magisterii super universam Ecclesiam in definiente, et huius potestatis actus per definitionem, quae exigat assensum Ecclesiae. (Vide Scholion I. post th. XII. de Tradit.)

Ubi Cyrillus Hierosolym. agit de libris canonicis, statuit principium: « eos solos (libros) studiose meditare, *quos etiam in Ecclesia certa cum persuasione legimus... tu igitur filius Ecclesiae ne transponas terminos* » (ab ea positos) Catèches. IV. n. 34. sqq. Disertissime id declarat Augustinus. « In canonicis Scripturis, inquit, *Ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur* (solers indagator), inter quas sane illae sunt, quae apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quae ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, praeponat eis, quas quaedam non accipiunt » etc. Doctrin. Christ. l. II. c. 8. Generatim Patres statuunt criterium, ex quo cognoscendi et credendi sint libri *certo* ad Scripturas inspiratas pertinentes, quod sunt *libri agniti ab omnibus Ecclesiis* (ὁμολογουμενοι); cum contra, nondum solemni iudicio Ecclesiae pronuntiato et de quibusdam libris in nonnullis Ecclesiis adhuc vigente haesitatione et inquisitione aliquorum Doctorum, de his minus eliquata res esset, quia minus manifestus consensus, qui ideo dicebantur ἀμφιβαλλομενοι, ἀντιλεγομενοι, h. e. libri qui in controversiam seu in dubium vocantur a nonnullis (1). Origenes apud Euseb. VI. 25; Athanas. ep. festali; Cyrill. Hieros. l. c.; Synops. Athanasiana; et data opera Euseb. III. 25. Clarum est igitur, hoc semper ratum fuisse principium, libros Scripturae a consensu et iudicio ipsius Ecclesiae esse discendos. Nihil ergo aliud egerunt Patres Tridentini, quam quod omni tempore ad munus ac magisterium custodum fidei sub charismate Spiritus Sancti imprimis pertinere agnoscebàtur, quando dogmatica definitione librorum inspiratorum canonem proposuerunt.

II. In altera parte theseos defendimus verum sensum decreti Tridentini contra falsam interpretationem Ioannis Iahn (Introduct. ad libr. V. T. T. I. §. 30.). Postquam

(1) Dubia haec nonnullorum tantum fuisse patet manifesto inde, quod libri communi aut fere communi consensu relegati ex censu Scripturarum non ἀντιλεγομενοι ac dubii vocabantur, sed constituebantur in tertia classe dicti *apocryphi* seu spurii (νοθοι), a quibus iterum distincti erant libri perniciosi ab haereticis intrusi. Sed de his paulo post dicetur.

narravit, aliquos Patres Concilii proposuisse, ut duplex classis librorum distingueretur, prima eorum qui semper ab omnibus recepti, altera eorum qui aliquando in dubium vocati erant, Iahnius haec subiungit. « Reliqui vero (Patres Concilii) censebant, exemplum veterum Conciliorum esse sequendum, et libros sacros indiscriminatim in una serie collocandos; discrimen enim inter duplex librorum genus supponebant alioquin esse notum, et consequenter in hoc decreto non minus quam in vetustioribus Conciliis per se intelligi; unde omnes concesserunt in hanc sententiam... Ergo iuxta ipsam Patrum Tridentinorum asseverationem discrimen inter libros deuterocanonicos et protocanonicos non est sublatum; nec etiam potuit auferri, ut Patres Tridentini optime intelligebant, sicut nec factum ipsum, in quo illud discrimen fundatur, quod scilicet libri deuterocanonici antiquitus non ubique et non ab omnibus suscepti erant. Unde Bernardus Lamy suam tractationem de hac re in Apparat. Biblic. l. II. c. 5. p. 333. ed. Lugd. 1723. concludit his verbis: idcirco libri, qui in secundo canone sunt, licet coniuncti cum ceteris primi canonis, tamen non sunt eiusdem auctoritatis » (1). Ita Iahnius appellans confidenter pro veritate suae narrationis ad Historiam Pauli Sarpi l. II. et Cardin. Pallavicini l. VI.

Atqui tota haec narratio componitur mendaciis, doctrina vero ipsa est evidenter falsa. Tam Pallavicinus l. VI. c. 11. quam ipsemet Sarpius l. II. p. 149. 150. ed. Londin. 1619. diserte testantur (2), inter opiniones quae in

(1) In editione operis Lamiani anni 1696. haec verba non comparent; habetur tamen aliquid simile l. II. c. 2. p. 335. In posterioribus editionibus posthumis verba a Iahnio citata leguntur quidem (ed. 1771. l. II. c. 5. p. 375.), sed ita, ut non satis manifestum sit, utrum referantur ad statum quaestionis, qui erat saeculo IV. et V, an vero ad aetatem etiam praesentem post editam definitionem Tridentinam. Sine dubio tamen nominatim in illo capite 5° plura sunt ambigue dicta et suspecta.

(2) « La terza (sentenza) fu di fare un solo catalogo ponendo tutti i libri d'*ugual autorità*.... La terza (in congregatione generali) fu approvata dalla maggior parte » Sarpi l. c.

« Tal divisione quantunque fatta innanzi da qualche autore ed allora promossa dal Seripando in una scrittura eruditissima ch'egli com-

congregationibus particularibus in medium proferebantur, praevaluisse et in congregatione generali adoptatam fuisse ac tandem in sessione definitam sententiam, ut libri omnes sine discrimine haberentur eiusdem auctoritatis. Qua de causa Sarpius more suo calumnias struit definitioni, ac si contraria esset antiquae doctrinae; et Pallavicinus ait, opinionem quae discrimen aliquod statuebat, Patribus Concilii nec verisimilem visam et reiectam fuisse. Sane inspiciatur ipsum decretum Tridentinum; ex eo enim evidenter constat, eandem rationem Scripturae sacrae et eandem auctoritatem verbi Dei scripti omnibus libris ibi enumeratis assertam esse.

1°. Id evidenter constat ex iis quae antecedunt librorum enumerationem. Ait synodus, se suscipere pari pietate ac reverentia *omnes libros tam veteris quam novi Testamenti,* nec non Traditiones ipsas. Ad utrumque obiectum definitionis addit rationem; ad Traditiones quidem, quia sunt vel a Christo vel a Spiritu Sancto dictatae et continua successione conservatae; *ad omnes libros* veteris et novi Testamenti, quia *unus Deus est auctor* utriusque Testamenti (cf. supra th. II.). Ita Deus non distinctim aliquorum librorum esse, aliorum non esse, sed sine discrimine *omnium librorum auctor* declaratur.

2°. In enumeratione ipsa libri deuterocanonici intermiscentur protocanonicis secundum ordinem materiae vel temporis sine ulla distinctione dignitatis; tum subditur: « si quis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. » Est hic prorsus evidens, praedicata quibus definiuntur *libri sacri et canonici*, non habere nec posse habere pro diversis libris diversam significationem, unam ab omnibus semper intellectam, alteram saltem quoad epitheton *canonici* numquam in Ecclesia auditam. Imo si ita esset, tota definitio inanis evaderet. Cum enim Concilium non distinguat ullo modo, quinam libri sint *canonici* significatione usita-

pose per esaminazione di tutti i libri canonici, come in verità non avea sussistenza, così non ebbe apparenza; onde appena ritrovò approvatore » Pallavic. l. c. n. 4.

ta, et quinam significatione illa alia supposita, quod scilicet sint libri quamvis non inspirati, tamen utiles ad aedificationem fidelium, vi huius definitionis non excluderetur dubium etiam de protocanonicis singulis, utrum sint inspirati; atque adeo huc tandem rediret definitio, ut inter omnes hos libros credamus alios inspiratos, alios solum pios ac utiles, quantum ex nostra eruditione nostroque ingenio nobis persuaserimus. Qui sensus definitionis in oecumenico Concilio editae sine ingenti absurditate supponi non potest.

3[io]. Sensus verus decreti praeterea apparet etiam ex eius scopo. Aiunt enim Patres in ipso decreto, voluisse se Traditionem, et Scripturam omnibus libris enumeratis constantem definire tamquam principia cognitionis christianae et velut canales, quibus revelatio pridem promulgata ad nos usque derivata est, et ideo se praemisisse hanc definitionem de Traditione et de libris omnibus Scripturam canonicam constituentibus, ut « omnes intelligant, quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (s. synodus) sit usura. » His verbis evidenter libri omnes sine discrimine in eadem auctoritate infallibilis verbi Dei scripti constituuntur, et testimonia ex iis omnibus declarantur irrefragabilia ad confirmationem dogmatum. Hunc ipsum scopum declaravit primus legatus Pontificis in proponendo decreto, videri necessariam enumerationem singulorum librorum, ut catholici certi reddantur, quinam libri sint scripti divinitus et ideo regula fidei (1).

Sine ullo igitur dubio sub poena anathematis proponitur credendum, libros omnes enumeratos esse canonicos, eo quod sunt libri divinitus inspirati. Quare fateor, me non

(1) « Il legato espose: parergli ottimo consiglio, che in primo luogo s'accertassero e si annoverassero i libri cononici della Scrittura, per istabilire con quali armi si dovesse *pugnare contro gli Eretici*, ed in qual base dovessero *fondare la loro credenza i Cattolici;* alcuni de' quali vivevano sopra ciò in perplessità miserabile, veggendo che in uno stesso libro era da molti adorato *il dito dello Spirito Santo* e da altri esecrato il dito d'un falsatore della Divinità » Pallavic. l. VI. c. 11. n. 4.

intelligere, quomodo Melchiori Cano (de Locis l. II. c. 9; l. XII. c. 7. ed. Lovan. 1564. pp. 63. 718.) visum sit minus gravi censura dignum, si quis librum Baruch quam si ceteros libros deuterocanonicos veteris Testamenti repudiaret; et iterum, si quis hos V. T. deuterocanonicos, quam si protocanonicos vel deuterocanonicos novi Testamenti ad censum Scripturarum inspiratarum pertinere negaret. Sensus decreti Tridentini, quem diximus, nunc solemniter definitus est ab oecumenico Concilio Vaticano Constit. *Dei Filius* cap. II. et can. IV.

Corollarium. Distinctio librorum Scripturae in protocanonicos et deuterocanonicos satis commoda est et post saeculum XVI (1) passim a catholicis scriptoribus usurpata ad indicandam historiam definitionis canonis; esse scilicet libros alios de quibus numquam in Ecclesia ortum erat dubium, quin pertinerent ad canonem Scripturarum, et esse alios de quibus aliquando dubitatum est, et post aliquas haesitationes demum eliquata quaestione inter omnes catholicos certo constare coepit. At appellatio et distinctio eadem falsa prorsus et intolerabilis evadit, si per eam internum discrimen librorum et diversus gradus auctoritatis designetur, ut duplex statuatur canon, primus in quo libri inspirati, secundus in quo alii libri ecclesia-

(1) Ante saeculum XVI. sane res ipsa designata his nominibus erat nota, nomina vero non erant in usu, et haud scio, utrum ante Sixtum Senensem (defunctum 1569) fuerint adhibita. « Libri canonici primi ordinis, inquit, *quos protocanonicos appellare libet,* sunt indubitatae fidei libri, h. e. de quorum auctoritate nulla umquam in Ecclesia catholica fuit dubitatio... Canonici secundi ordinis, qui olim ecclesiastici vocabantur, *et nunc a nobis deuterocanonici dicuntur,* illi sunt, de quibus... inter catholicos fuit aliquando sententia anceps » Bibl. Sanct. l. I. sect. 1.

Libri deuterocanonici numerantur septem V. T. et septem N. T. Baruch, Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici, 1. et 2. Machabaeorum; Epistolae sex N. T. Heb. Iac. 2. Pet. 2. et 3. Io. Iud. et Apocalypsis. Praeter haec sunt deuterocanonicae aliquot partes librorum Danielis (in Vulgata III. 24–90; XIII. XIV.) et Esther (in Vulgata X.4–XVI.24); ab aliquibus huc etiam numerantur fragmenta Evangeliorum illa, quae in quibusdam codicibus exciderunt. Ceterum appellatio *deuterocanonici* magis in usu est pro libris veteris quam pro iis novi Testamenti.

stici inferioris auctoritatis comprehendantur, ad quam significationem a Ioanne Iahn et fortasse a Bernardo Lamy illa nomina detorta esse vidimus.

THESIS X.

Demonstratur Traditio apostolica de canone librorum sacrorum ex constanti et universali usu Ecclesiae.

« Si ad vindicandam suisque in fundamentis distinctius intelligen- » dam Patrum Tridentinorum definitionem inquiratur modus, quo prae- » dicatio ecclesiastica de canone ss. librorum diversis aetatibus se ha- » buit; certissimis conficitur argumentis, 1°. ecclesiastico usu et univer- » sali consuetudine ad ipsa tempora apostolica pertingente praeter Scri- » pturas censionis hebraicae etiam reliquos veteris Testamenti libros qui » canone Tridentino comprehenduntur, in Ecclesiis christianis susceptos » fuisse; 2°. consuetudinem, quam diximus, ecclesiasticam iis insignem » esse characteribus, ut hos libros omnes tamquam ad s. Scripturam » pertinentes ab Apostolis Ecclesiae traditos fuisse demonstret. »

Praemittimus factum *historice* indubitatum, quod *dogmatice* in se continet totam veritatem, quam in thesi enuntiamus. Huius itaque facti distincta explicatio constituet ipsam demonstrationem theseos. Factum historicum indubitatum est, tribus primis saeculis censionem Scripturarum penes Ecclesias christianas fuisse in multis diversam a censione, ut exstabat penes Iudaeos; quae diversitas non tantum ad singularia incisa sed etiam ad ampliores partes librorum et ad libros integros referebatur, non secus ac nunc adhuc existit idem discrimen. Hic autem Ecclesiarum usus vi assistentiae, qua Deus adest Ecclesiae suae, ita auctoritate eminens credebatur a christianis doctoribus, ut eis absurdum videretur a Iudaeis discere velle genuinum Scripturarum canonem. Habes haec pluribus disputata apud Origenem in epistola ad Africanum. Quoniam Africanus dubium moverat de partibus deuterocanonicis Danielis, Origenes et has partes Danielis et alias in libro Esther apud Hebraeos non esse, atque in multis aliis nostros libros ab iis quos Iudaei habent, differre fatetur n. 2-6; imo agnoscit etiam libros integros ut Tobiae et Iudith, quibus utitur Ecclesia, a Iudaeis non admitti n. 13. At vero apud Christianos inau-

ditum et non ferendum esse significat, imo crimen fore contra ipsa promissa facta Ecclesiae sanguine Christi emptae, ideo de hisce Scripturarum nostrarum partibus velle dubitare. « Tempus est igitur, exclamat, si haec nos non latent, abrogare *quae in Ecclesiis feruntur exemplaria,* et fratribus lege praecipere, ut abiectis *quos penes se habent, sacris libris,* adulando Iudaeis persuadeant, ut nobis puros et qui nihil habeant figmenti, impertiant. An etiam providentiae, quae in sacris Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis aedificationem, curae non fuerunt empti pretio, pro quibus Christus mortuus est? » n. 4. Ceterum ad usum polemicum, ait, oportere novisse discrimina inter utrumque canonem, idque se ipsum diligenti comparatione investigasse, « *ut cum Iudaeis disserentes non proferamus ea, quae in eorum exemplaribus desunt,* sed simul utamur iis, quae penes se habent, licet in nostris desiderentur » n. 5.

Discrimina haec inter collectionem Scripturarum ut exstabat penes Ecclesiam, et inter illam Iudaeorum commemorat etiam Iustinus medio saeculo secundo paulo post aetatem apostolicam in dialogo cum Tryphone Iudaeo n. 71-73. Quamvis enim directe ibi agat de singularibus textibus vel corruptis vel truncatis a Iudaeorum magistris, quia non erat ei propositum de ipso diverso canone Scripturarum disputare; conqueritur tamen, a Iudaeis Scripturas aliquas penitus esse sublatas, quae exstant in exemplaribus Christianorum. His vero Scripturis quae penes Christianos et non etiam apud Iudaeos sunt, pollicetur non se usurum ad scopum polemicum, eodem modo ut post Iustini tempora Origenem id commendasse vidimus. « Quod (magistri Iudaeorum) *multas Scripturas,* ait Iustinus, *omnino sustulerunt* (1) ex interpretatione apud Ptolomaeum facta a senioribus... scire vos volo. Quas quia ab omnibus generis vestri negari scio, huiusmodi quaestionibus non implicabor; sed ex iis quae etiam apud vos in confesso sunt, disputationes instituam » n.71. Hoc loco accusatio *ablationis multarum Scripturarum* ita generalis est, ut non ad singulares

(1) Ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον περιεῖλον.

textus dumtaxat, sed ad libros etiam integros protendatur, quos in canone Iudaico non comprehensos penes Ecclesias fuisse luculenter deinceps demonstrabimus, et in quibus discrimen inter utramque censionem Iustinus sane non ignorabat; licet in sequentibus deinde exempli causa afferat tantum textus singulares, quos de Salvatore Christo propheticos a Iudaeis corruptos fuisse queritur.

Iam si librorum veteris Testamenti qui in canone Hebraeorum desunt, et quos ideo (ut iam monui) ad compendium deuterocanonicos appellabimus, usum et frequentationem in Ecclesiis christianis investigemus, facile apparebit, eos inde a temporibus apostolicis non secus ac libros protocanonicos in censu Scripturarum sacrarum habitos, et ut *Scripturas sacras* usurpatos fuisse. Conficiemus id triplici argumento, 1° ex modo quo libri hi omnes citantur a ss. doctoribus; 2° ex codicibus et versionibus; 3° ex publica eorum lectione; ex quibus demonstratis deinde 4° sequetur sponte sua, non aliud in hoc universali usu ecclesiastico exhiberi quam eorundem librorum transmissionem et traditionem ab Apostolis ad Ecclesias.

I. Usque ad initia saeculi IV. nulla comparet (1) de his libris controversia alicuius momenti; sed deuterocanonici sicut protocanonici eodem prorsus modo absque ullo discrimine citantur, ut manifestum sit, omnes habitos fuisse libros sacrae Scripturae et unius collectionis. Citant enim Patres illi vetusti textus deuterocanonicos permixtos cum protocanonicis, et citant iisdem formulis solemnibus: *scriptum est, dicit* (φησι), *secundum illud* (κατα το), *Scriptura, sacra Scriptura, divina Scriptura, Spiritus Sanctus in divina*

(1) Dubitatio, cuiusmodi proposita est Origeni ab Africano, potius clare demonstrat, nullam adhuc inter catholicos motam fuisse controversiam. Africanus proponit dubium solvendum Origeni ut novum et ut suum, non ut commune aliis; dubium deinde ex indiciis quibusdam internis ortum refertur ad solas partes deuterocanonicas Danielis, maxime ad historiam Susannae; nec adhuc videtur novisse Africanus, alios etiam libros qui sunt penes Ecclesiam, hebraice non exstare. Unde Origenes de hac utriusque censionis diversitate eum docere in sua responsione opus habuit. Quae quidem clare ostendunt, de hisce libris qui penes Hebraeos desunt, nullam adhuc in Ecclesia auditam fuisse dubitationem.

Scriptura dicit, dicit prophetia, dicit propheta, dicit lex, dicit Deus.

a) Patres ipsi apostolici, quamvis in paucis monumentis quae supersunt, copia citationum exspectari nequeat, adferunt tamen non secus ac protocanonicos etiam libros deuterocanonicos, quantum satis est, ut hos aeque ac illos in usu fuisse et Scripturis adnumeratos intelligamus, praesertim si simul respiciamus citationes solemnes et plenissimas sequentis aetatis, de quibus mox dicemus. Ita adhibentur apud Clementem Romanum ep. I. ad Cor. partes deuterocanonicae *Esther* n. 55; liber *Iudith* ibid.; *Sapientiae* n. 27; tum in epist. II. ad Virgines n. 13. liber *Ecclesi.* et partes deuterocanonicae *Danielis;* in ep. Barnabae n. 19. liber *Ecclesi.;* in ep. Polycarpi n. 10. *Tobiae;* in Pastore Hermae l. III. similitud. 9. n. 23. *Sap.* et *Ecclesi.*

b) Frequentissimae et solemnes citationes librorum deuterocanonicorum eo modo, quo diximus, sine ulla distinctione a libris protocanonicis in oculos incurrunt apud omnes scriptores saeculi II. exeuntis et saeculi III, quorum opera prolixiora supersunt. Quod si alii aliis frequentius citati reperiuntur, id provenit non ex diversa librorum auctoritate sed ex diversa materia, qua pro scopo Patrum magis aut minus citationibus opportuni erant. Haec librorum diversitas per se satis intelligitur, et non minus in citandis etiam protocanonicis usuvenit. Unde frequentissime libros Sapientiae et Ecclesiastici, minus frequenter libros historicos Tobiae, Iudith, Machabaeorum citatos reperimus, quod (ut diximus) non ex diversa auctoritate libris tributa, sed ex diversitate argumenti repetendum est.

Modo quo indicavimus promiscuo, occurrunt citati apud Clementem Alex. libri omnes deuterocanonici; *Sapientiae* plus quam vigesies, *Ecclesiastici* quinquagies et amplius, *Baruch* (nomine Ieremiae) quater (1), *Tobiae* ter, *Iu-*

(1) Baruch citant veteres frequentissime sub nomine Ieremiae, cuius ille scriba erat; ita praeter Clementem Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Methodius, Lactantius, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Leontius aliique.

dith semel, 2. *Machabaeorum* semel (1). Eodem modo libri adferuntur in Opp. Origenis (ed. De la Rue), *Sapientiae* fere vigesies, *Ecclesiastici* plus quam septuagies, *Baruch* (nomine Ieremiae) quinquies, *Tobiae* amplius quam decies, *Iudith* ter, 1. *Machabaeorum* semel, 2. *Machabaeorum* decies et quinquies. Apud utrumque citantur etiam cum protocanonicis partes deuterocanonicae *Danielis* et *Esther*. Pariter occurrunt citationes omnium librorum (exceptis Tob. et Esther) apud Tertullianum; omnium (excepto l. Iudith) apud Cyprianum; omnium (exceptis Ecclesi. et Esther) in Operibus Hippolyti (ed. Fabricii et in Bibl. Gallandi T. II.). Citantur libri *Baruch, Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici* a s. Melitone (saeculo II.) in Clavi s. Scripturae (si opus genuinum est), quam primus edidit Emus Pitra (Spicileg. Solesm. T. III.); libri *Sapientiae, Baruch* (nomine Ieremiae), partes deuterocanonicae *Danielis* a s. Irenaeo; *Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch, Tobiae* in Operibus Dionysii Alexandrini (ed. de Magistris); *Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch* (nomine Ieremiae) a Methodio; *Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch, Tobiae, Iudith*, partes deuterocanonicae *Danielis* in sex primis libris Constitutionum apostolicarum, qui a recentioribus criticis censentur scripti saeculo III; *Sapientiae* et *Ecclesiastici* in Testamento duodecim patriarcharum; item *Sapientiae* in disput. Archelai cum Manete; item *Ecclesiastici* ab anonymo contra Novatianum (Galland. III. p. 376.), a Petro Alexandrino Fragm. de paschate n. 5. (2) et ab Alexandro Alexandrino ep. ad Alexandrum CP. n. 5; item *1. Machabaeorum* in Concilio II. Carthaginensi anni 253 (Hard. I. p. 152.); item *Sapientiae, Ecclesiastici* (uterque nomine Salomonis), *Baruch* (nomine Ieremiae) a Lactantio (Divin. instit. IV. n. 8. 13. 16.) etc.

(1) Habet insuper Clemens quandam synopsim totius Scripturae Strom. I. p. 323–329. edit. Paris. 1641, ubi omnes omnino libros recenset excepto l. Iudith, cuius tamen historiam enarrat l. IV. p. 521. Nomine Ieremiae comprehendisse et Baruch, patet etiam ex Paedagog. I. c. 10; II. c. 3.

(2) De genuinitate huius fragmenti vide C. I. Hefele in Lexico Eccles. Friburgensi T. VIII. p. 341.

c) Hic indiscriminatus ss. librorum usus perseveravit omnino idem saeculo IV. et V, postquam exorta erat nonnulla haesitatio de libris, qui penes Hebraeos non sunt recepti. Imo quo ampliora supersunt ex hac aetate Patrum et scriptorum ecclesiasticorum monumenta, eo evidentius demonstratur universalis et constans librorum deuterocanonicorum auctoritas tamquam ad sacram Scripturam pertinentium, quin inter eos et libros protocanonicos in publico usu ullum factum fuerit discrimen. Affirmari enim tuto potest, ex omnibus Patribus quorum scripta satis ampla supersint, nullum esse, qui libros deuterocanonicos tamquam Scripturam sacram non usurpaverit. Nos hic eos solos appellabimus Patres, qui ut postea videbimus, in suspicionem vocari possent truncati canonis.

Athanasius citat librum *Tobiae* sub formula *scriptum est* una cum textibus protocanonicis (ed. Maur. Paris. 1698.) T. I. p. 133. 305. Sub eadem formula, *scriptum est*, *Scriptura* (ἡ γραφη) *dicit*, cum aliis textibus protocanonicis p. 11. 125, et ad probandam divinitatem Spiritus Sancti p. 674. 675. adfert librum *Sapientiae*. Tum citat *Ecclesi.* sub formula *a Spiritu Sancto dictum est, iuxta illud, sacra Scriptura dicit* p. 183. (1) 272. 1204. 1210. 1214. Ad *Baruch* appellat sub nomine Ieremiae p. 188. et ad eundem textum nomine proprio Baruch p. 517; ad partes deuteras *Dan.* sub ipso Danielis nomine p. 417. et alibi.

Gregorius Nazianzenus sub una formula, *ait Scriptura*, adfert *Sap.* simul cum textu Ps. (or. 28. al. 34. n. 8.); sub formula *inquit* (φησι) citat *Ecclesi.* cum Proverb. (or. 7. al. 10. n. 1.); *Baruch* (ep. 102. ad Cledon. al. or. 51.); partes deuterocanonicas *Dan.* (or. 36. al. 27. n. 3.).

Amphilochius nomine *prophetae* citat *Baruch*, et admittit *Ecclesi.* ut Scripturam veteris Testamenti (Galland. T. VI. p. 510.).

Cyrillus Hierosolymitanus adfert *Sap.* nomine Salomonis; simplici citatione *Ecclesi.* et partes deuterocanonicas *Dan.* (Catech. IX. n. 2. cf. n. 16; VI. n. 4; XVI. n. 31.).

(1) Hic locus est Alexandri Thessalonicensis in ep. ad Athanas., quam ipse Athanasius recitat.

Epiphanius sub formulis *divina Scriptura* (το θειον γραμμα), *Scriptura, Dominus per Salomonem*, *praestantissimus prophetarum* citat saepius *Sap.* et *Ecclesi.*; sub formula *Scriptura, propheta dicit* aliquoties adfert *Baruch; Iudithae* mentionem facit cum aliis rebus et personis Scripturae, quarum ibi numeros disponit: « tres mulieres prophetissae Maria, Debora, *Iudith* » (de mysterio numeror. T.II.p. 305.).

Hilarius nomine *vocis propheticae* et *prophetae* citat *Sap.* in Ps. 135. n. 11; Trin. I. n. 7; sub formula *dicit* (Scriptura) et sub inscriptione *Salomonis* adfert *Ecclesi.* Prolog. in Pss. n. 20; in Ps. 140. n. 5; *Baruch* nomine Ieremiae in Ps. 68. n. 19; *Tob.* in Ps. 118. litt. 2ª. n. 6; Ps. 129. n. 7; denique l. *Iudith* citat ut *librum Legis* in Ps. 125. n. 6; ibi enim promittens testimonium « ex Lege et Prophetis et Evangeliis et Apostolis, » ex *Lege* non adfert nisi unicum textum Iudith XVI. 3.

Hieronymus maiorem quam ceteri omnes Patres hac in quaestione difficultatem creare solet, quando prae oculis habens canonem Iudaeorum loquitur de libris in eo non receptis, ut inferius videbimus. At vero Traditio ac consuetudo Ecclesiarum firmior erat et universalior, quam ut ipsemet in usu quotidiano horum librorum ab ea recedere potuisset. Videtur itaque Hieronymus respiciendo canonem Iudaeorum de librorum deuterocanonicorum aequali cum protocanonicis auctoritate privatim minus certus fuisse; in usu tamen et praxi secutus communem Ecclesiae consuetudinem nullum ponit discrimen inter libros utriusque ordinis. Hoc autem ipsum argumentum est evidens constantis ac universalis consuetudinis Ecclesiae, quaecumque fuerit privata s. doctoris opinio et haesitatio tempore, quo res nondum undique eliquata erat et solemni Ecclesiae iudicio definita. Operae igitur pretium erit diligentius considerasse modum, quo s. Pater libris deuterocanonicis utitur.

Imprimis usurpat librum *Sap.* in suis operibus saltem 12ies, *Ecclesi.* saltem 19ies. iis citandi modis, qui non possunt adhiberi nisi de libris s. Scripturae. Utrumque enim citat frequenter sub formula *scriptum est* simul cum textibus ex

libris protocanonicis, vel post huiusmodi textus sub formula: *in alio loco*, aut *alibi dictum est* ep. 66. n. 5. ad Pammach. (ed. Vallarsi); ep. 125. n.19. ad Rustic.; contra Pelag. dialog. l. II. n. 11; in Ezech. T. V. p. 207; in Is. T. IV. p. 27. 48; idque ad probanda dogmata, sicut e. g. divinitatem Spiritus Sancti probat ex libro *Sapientiae* aeque ac ex aliis textibus biblicis in Gal. III. T. VII. p. 420. Citat *Ecclesi.* cum Proverb. sub una formula in *nostris libris* legimus in Is. T. IV. p. 50; in textibus huius libri agnoscit *datum nobis praeceptum* T. III. p. 462; T. IV. p. 55; imo ad eundem *Ecclesi.* provocat sub diserta appellatione Scripturae sanctae et divinae Scripturae: « *divina Scriptura loquitur* » ep. 118. n. 1. ad Iulian. (T. I. p. 786.); « dicente *Scriptura sancta* » in Is. T. IV. p. 57. Librum utrumque adfert sub nomine *Salomonis; Sap.* quidem ep. 58. n. 1. ad Paulin. (« Salomone testante »), *Ecclesi.* in cap. X. Eccl. T. III. p. 472. (1).

Librum *Iudith* computat ut sacrum cum protocanonicis Ruth et Esther. « Ruth et Esther et *Iudith* tantae gloriae sunt, ut *sacris voluminibus* nomina indiderint » ep. 65. n. 1. ad Principiam T. I. p. 372; iterum citat ep. 79. n. 11. ad Salvin. p. 504. et cum aliqua significatione dubii ep. 54. n. 16. ad Fort. p. 291; in Agg. I. T. VI. p. 745. Librum *Tobiae* adfert in Eccl. VIII. T. III. p. 451; illum testatur esse in usu Ecclesiae, licet non sit in canone Iudaeorum: « liber Tobiae licet non habeatur in canone, tamen usurpatur ab ecclesiasticis viris » (in Ion. T. VI. p. 390.). Partibus deuterocanonicis *Esther* utitur non secus ac protocanonicis in Is. T. IV. p. 763. 774; in Ez. T. V. p. 302; in Amos T. VI. p. 319; ita et partibus deuterocanonicis *Danielis* in Os. T. VI. p. 75; in Nahum ib. p. 574. Ad libros *Machabaeorum* appellat sub nomine *Scripturae* in Is. T. IV. p. 227. cf. in Dan. T. V. p. 675.

(1) Disputans cum Pelagianis semel indicat suspicionem, ne forte Ecclesi. ab haereticis reiiciatur eo, quod circa illum aliqua erat ambiguitas. « Ac ne forte huic volumini contradicas, audi Apostolum.... Et Ecclesiastes (protocanonicus) de quo certe libro nulla est *ambiguitas*, inquit » etc. Dialog. l. I. n. 33. T. II. Simile aliquid de Semipelagianis habet Augustinus (de Praedestin. SS. c. 14.) quoad librum *Sap.*

Denique in utraque praefatione ad libros *Tobiae* et *Iudith* satis diserte declarat diversitatem consuetudinis et sententiae ecclesiasticae a canone Iudaeorum quoad hos libros, quos ipse e chaldaica in latinam linguam transtulerat rogatu Episcoporum. « Arguunt nos Hebraeorum studia, inquit in Tob., et imputant nobis contra *suum canonem* latinis auribus ista transferri. Sed melius esse iudicans Pharisaeorum displicere iudicio et *Episcoporum iussionibus* deservire, instititi ut potui. » Et in Iudith: « quia hunc librum synodus Nicaena in numero *sanctarum Scripturarum* legitur computasse, acquievi postulationi vestrae. » In Apologia contra Rufinum indignabundus accusationem repellit, ac si ipse veterem editionem LXX. interpretum, quae eousque in Ecclesiis legebatur, non magni faceret, vel nominatim in *Daniele* quae in hebraico textu non exstant, reiiceret (Apolog. contra Rufin. l. II. n. 24. 33. T. II. p. 518. 527.).

Ex his omnibus clarum est, reperisse Hieronymum hos libros deuterocanonicos usu et consuetudine Ecclesiae consecratos ac inter Scripturas sacras receptos. Cum tamen ex altera parte eos videret in canone Hebraeorum non exstare, hinc orta est aliqua in eius privata opinione fluctuatio, cum solemne Ecclesiae iudicium nondum latum erat. Ad cuius explicationis confirmationem animadverte, epistolam 53iam. ad Paulinum non serius anno 394, praefationes in libros Regum (prologum galeatum), in libros Salomonis, in Esdram, ex quibus locis maiores difficultates petuntur, editas fuisse ab Hieronymo ante annum 393. (Vide praefat. Benedictinorum in s. Bibliothecam Hieronymi ed. Vallarsi T. IX. p. 21.). S. doctoris dubia igitur vel certe difficiles modi loquendi de libris deuterocanonicis pertinent ad tempus, quo canon omnes hos libros comprehendens ab Hipponensi Concilio totius Africae (anno 393.) et a Carthaginensi (anno 397.) nondum erat editus, vel Hieronymo nondum innotuerat. At commendationes magnificae eorundem librorum ut pertinentium ad Scripturam sacram, quas ex Hieronymo recitavimus, exstant omnes vel fere omnes in libris, quos scripsit aliquamdiu post illud Concilium celebratum, quando propositus canon

Scripturarum ei iam innotuisse potuit. Nam epistolae datae sunt ad Paulinum 58*. anno 395; ad Pammachium et ad Principiam anno 397; ad Salvinam anno 399; ad Iulianum anno 406; ad Rusticum anno 411; Commentarii in Is. non absoluti ante annum 410, post illos editi alii in Ezech.; in Ionam scripsit anno 397; in Oseam 406; contra Rufinum anno 402; contra Pelagianos anno 415.

Prosequimur scriptores adhuc reliquos, de quibus dubium moveri posset.

Rufini pauca proprio marte scripta, sed interpretationes supersunt multorum Operum Origenis, in quibus Scripturae deuterocanonicae eodem in censu habentur ac protocanonicae. In Operibus suis propriis citat *Ecclesi.* sub formula *« sanctae Scripturae* sententia est, *» « Scriptura dicit »* (de benediction. patriarch. p. 38. 46. ed. Vallarsi). In ipsa expositione symboli, ex qua creari solet difficultas, citat *Baruch prophetam* n. 5, et sententiam conflatam ex *Sap.* et protocanonico Dan. sub formula: « prophetae praedicarunt » n. 46. Partes deuterocanonicas *Danielis* data opera tuetur ut Scripturam sacram in l. II. n. 33. 35.

Leontius Byzantinus citat *Ecclesi. « ut ait Scriptura,»* et *Baruch* nomine Ieremiae (Galland. XII. p. 630. 664.).

Ioannes Damascenus in sacris Parallelis cum ceteris libris tamquam pertinentes « ad veterem *sacrorum oraculorum Scripturam »* (T. II. p. 279.) enumerat frequentissime libros *Sap.* (nomine Salomonis), *Ecclesi. Baruch*, partes deuteras *Danielis.* Diserte ut *divina Scriptura* (ἡ θεια γραφη) citantur *Sap.* (Fid. Orthod. IV. c. 15.) et libri *Mach.* (or. de defunctis n. 3. T. I. p. 585.).

Apud alios Patres occidentales et orientales diversarum Ecclesiarum usus et citationes horum librorum sunt adhuc frequentiores (cf. cl. Vincenzi sess. IV. Trid. Conc. vindicata). Nobis sufficit appellasse eos, quos inferius videbimus quaestionem movisse de certitudine canonicae auctoritatis eorundem librorum. Ex ceteris unum adhuc testem saeculi IV. adfero pro Ecclesia syriaca s. Ephrem. Is in Operibus quae tantum habemus graece et latine, sub formula *scriptum est* frequentat *Sap. Ecclesi.* partes deuteras *Dan.*

In paraenesi 39. (inter edita a Vossio T. II. p. 175.) citat 1.*Tobiae*. In Ezech. T. II.Opp. syr. lat. p.193.inducit *Iudith*. In suo testamento Opp. syr. lat. T. I. p. 401, qui locus expressior exstat in Bibl. Orient. Assemani T. I. p. 143, adhibet 2. *Machabaeorum* ad probandum dogma de offerendis sacrificiis et suffragiis pro defunctis, et diserte testatur, eos libros legi apud Syros inter Scripturas. Ait suis Syris: « si filii Mathathiae, qui solum in figura celebrabant festa et commemorationes, *quemadmodum legistis in Scripturis* (2. Mach. XII. 43.) (1), oblationibus expiabant debita eorum qui in bello ceciderant... quanto magis sacerdotes Filii Dei expiabunt debita defunctorum oblationibus suis?» Item inducit 1. Mach. T. II. syr. lat. p. 228; 2. Mach. ibidem p. 308. (2). Saeculo igitur IV. non eos solos libros habebant Syri in sua versione ecclesiastica, qui nunc adhuc exstant in versione Peschito seu *simplici* sic dicta (3), sed

(1) ܐܝܟ ܕܩܪܝܬܘܢ ܒܟܬܒܐ

(2) Quoniam non ita frequens erat occasio usurpandi textus ex libris Mach. sicut ex aliis nonnullis, et ideo rariores sunt horum librorum citationes, in unum conspectum colligam aliquot PP. loca, quibus ad Mach. appellant. *Clemens Alex.* Strom. I. p. 329; *Tertull.* adv. Iudaeos ed. Rigalt. p. 210; *Hippolyt.* de Antichrist. ed. Fabricii p. 24; *Origenes* (ed. De La Rue) Exhortat. martyr. T. I. p. 287. sq.; de Orat. ib. p. 213; de Princip. l. I. c. 1. n. 5. p. 79; in Exod. X. 27. T. II. p. 113; in Cant. Cantic. T. III. p. 75; in Ioan. T. IV. p. 273; in Rom. p. 540. 621; *Cyprianus* ep. 55. ad Cornel. p. 80. (ed. Baluz. Paris. 1726); ad Fortunat. de Exhort. martyr. p. 270; *Concilium Carthag. II.* Harduin. T. I. p. 152; *Eusebius* Praepar. Evang. l. XIII. c. 3; *Athanasius* in Ps. 78; *Lucifer Calarit.* (ed. Colet. Venet. 1778.) De non conven. cum haeret. p. 15. 23; De non parcendo in Deum delinquentibus p. 190. 197. 211. 236; *Ephrem Syrus* ll. cc.; *Hilarius* (ed. Veron. 1730.) in Ps. 134. n. 25. T. I. p. 537; contr. Constant. T. II. n. 6. p. 505; *Gregorius Naz.* tota or. 15. al. 22; *Ambrosius* de Iacob. l. II. c. 10-12, et idem vel alius auctor De excidio Hierosolym. Galland. T.VII. p. 655; *Q. Iulius Hilarianus* (Hilarion in Bibl. Max. PP. T. VI.) De mundi durat. Galland. T. VIII. p. 237; *Chrysostomus* in homiliis in Machabaeos T. II. p. 622. sqq.; *Augustinus* Civ. Dei XVIII. c. 36; de cura gerend. pro mortuis n. 3; contra Gaudent. l. I. n. 36–39; ep. 204. ad Dulcitium etc.; *Idacius Clarus* (vel alius) contr. Varimad. Bibl. Max. PP. T. V. p. 735. 742; *Cassiodorus* Instit. div. litt. c. 6; *Ioannes Damascenus* de dormientib. n. 3. T. I. p. 585.

(3) Si verum est, quod contendit I. L. Hug et confirmat cl. Le Hir

etiam deuterocanonicos, quos habebant et habent ceterae Ecclesiae.

II. Usus librorum deuterocanonicorum tam constans et universalis etiam eo tempore quo dubitationes aliquae induci videbantur, et penes eos etiam doctores omnes qui has dubitationes commemorant, manifesto iam per se solus demonstrat, hos libros publica Ecclesiarum consuetudine habitos fuisse cum libris ceteris in collectione Scripturarum sacrarum, et inter Scripturas recensitos. Hoc idem argumento ducto ex codicibus et versionibus ecclesiasticis constat.

Certum est, Scripturarum codices publica auctoritate in Ecclesiis diligentissime fuisse custoditos; unde memorantur *archiva* (1) Ecclesiae ab Ignatio (ep. ad Philadelph. n. 8.); *digesta* Ecclesiae a Tertulliano (cont. Marc. IV. c. 3.); *exemplaria* Ecclesiae ab Origene (ep. ad Afric. n. 4.); *codicum divinarum Scripturarum apparatus Ecclesiae maxime necessarius* a Constantino M. (apud Euseb. vita Constant. l. IV. c. 36.); *Ecclesiarum bibliothecae* ab Hieronymo (ep. ad Augustin. inter Augustinianas 75. n. 19.). Iam vero in his Scripturarum sacrarum collectionibus publicis et ecclesiasticis tam orientis quam occidentis omnes continebantur libri, quos adhuc nunc servat Ecclesia catholica, et ad Scripturas inspiratas pertinere in Concilio Tridentino ac Vaticano iterum definivit. Nam praeter usum et modum citandi omnium Patrum de quo diximus, et praeter catalogos seu canones ecclesiasticos Scripturarum de quibus postea dicemus, constat id ex monumentis, quibus immediate sistitur ipsa ecclesiastica editio Scripturarum eiusque indoles et velut facies exhibetur, qualis fuerit inde ab antiquissimis temporibus.

Cassiodorus Institut. divinar. litt. c. 12-14. describit triplicem divisionem librorum Scripturae. Tertia est « secundum *antiquam translationem,* » quam inter codices alios le-

(Études Bibliques T. I. P. II. art. 3. n. 4.), versionem syriacam V. T. esse profectam a Iudaeis interpretibus ante Christi adventum, facile patet, quomodo in ea primitus non nisi libri canonis hebraici fuerint comprehensi.

(1) Fere certa lectio apud Ignatium est ἐν ἀρχείοις, non ἐν ἀρχαίοις.

gavit suo monasterio Vivariensi « in codice grandiore... in quo *septuaginta Interpretum translatio veteris Testamenti in libris quadraginta quatuor continetur;* cui subiuncti sunt novi Testamenti libri viginti sex, fiuntque simul libri septuaginta. » Ordinem librorum V. T. secundum hanc « antiquam translationem » ita describit. « Dividitur in Genesim, Exodum, Leviticum, Numerorum, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudicum, Ruth, Regum libros quatuor, Paralipomenon libros duos, Psalterii librum unum, Salomonis libros quinque, id est Proverbia, *Sapientiam, Ecclesiasticum,* Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Prophetas, id est Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, Osee, Amos, Michaeam, Ioel, Abdiam, Ionam, Nahum, Habacuc, Sephoniam, Aggaeum, Zachariam, Malachiam qui et Angelus, Iob, *Tobiam,* Esther, *Iudith,* Esdrae *duos, Machabaeorum duos.»* Igitur in « antiqua translatione » et editione Scripturae habebantur libri deuterocanonici non forte solum adiuncti, sed sine ullo discrimine permixti cum protocanonicis, quod ipsum observatur in omnibus catalogis inferius adferendis, et in codicibus qui adhuc supersunt.

Codices graeci vel praeseferunt collectionem totius Scripturae, vel sunt fragmentarii continentes solum aliquos libros. Inter priores nullus exstat, qui solos habeat libros protocanonicos; sed omnes continent intermixtos etiam deuterocanonicos. Vetustissimi sunt Vaticanus (apud criticos B) et Alexandrinus (Londini, apud criticos A), Sinaiticus Tischendorfii, qui omnes continent libros nostros (1), nisi quod praeterea habent l. apocryphum 3. Esdr. (ibi 1.

(1) In Vaticano post ll. Esd. sequuntur *Tobiae, Iudith,* tum Esther; post Cantica Canticorum sequuntur ll. *Sapientiae, Ecclesiastici,* tum Prophetae minores postea maiores, ubi *Baruch* inter Ieremiae prophetiam et Lamentationes.

In Alexandrino post ll. Moysis, Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon sequuntur Prophetae minores, tum maiores, ubi eodem modo ut in Vaticano et in aliis codd. *Baruch* inter prophetiam et Lamentationes Ieremiae, licet in indiculo codici praefixo Baruch non nominetur, comprehensus scilicet pro more sub Ieremiae nomine. Post Prophetas l. Esther, *Tobiae, Iudith,* ll. Esdra, *Machabaeorum,* Psalmi, Iob, Prov. Eccles. Cantic. Canticor. *Sapientiae, Ecclesiastici.*

Esdr.), et Alexandrinus ac Sinaiticus 3. et 4. Mach. In Vaticano autem sicut initio totus fere liber Genesis vetustate periit, ita in fine desunt libri Mach. Codices fragmentarii, inter quos vetustissimi Parisiensis (dictus Ephremi C) et Friderico-Augustaeus Tischendorfii, siquidem plures continent libros, cum libris Salomonis coniungunt fere semper *Sap.* et *Ecclesi.;* inter ll. historicos protocanonicis commiscent deuterocanonicos omnes vel saltem aliquos *Tob. Iudith* et (plerumque nisi mutili sint) *Mach.;* inter Prophetas iungunt *Baruch* cum Ieremia.

Hinc omnes antiquae versiones et editiones ecclesiasticae Scripturarum, quae fluxerunt ex editione graeca, continent eodem modo permixtos sine discrimine libros deuterocanonicos cum protocanonicis; ita versio aethiopica (saeculi IV.) (1), armena (saeculi V.), syriaca hexaplaris (2) (ex editione hexaplari Origenis derivata), slavonica etiam ut servatur a schismaticis (3).

In versione ecclesiastica latina, facta « primis fidei temporibus » (ut Augustinus ait) ex graeca LXX., constat libros

(1) Vide Hodium (de Bibliorum textibus p. 650.); I. A. Fabricium (l. Lux Evangelica p. 717.).

(2) Versio *simplex* continet tantum libros, quorum textus hebraicus exstat; sed tempore s. Ephrem Syros in sua editione habuisse ll. deuterocanonicos, constat ex superius dictis. Exstat versio syriaca alia, quae ineunte saeculo VII. ex graeca LXX. derivata continet etiam libros deuterocanonicos, quos apud Syros haberi et ab eorum scriptoribus usurpari alioquin certum est (Assemani B. O. pluribus locis). Ad distinctionem a vetere *simplici* haec aliquando dicebatur *figurata;* nec alia est quoad substantiam quam hexaplaris. Hexaplaris istius versionis syriacae codex Mediolani servatur in Ambrosiana descriptus a pluribus (vid. Repertor. Eichhorn. T. III. p. 166. sqq.). Sed codex iste Ambrosianus est tantum pars II^a. continens ll. Pss. Iob, Prov. Eccl. Cantic. *Sapientiae, Ecclesiastici*, Prophetas minores, Ierem. cum *Baruch*, Threnos, Dan. *cum partibus deuterocanonicis*, Ezech. Isai. Saeculo XVI apud Masium servabatur pars prior huius recensionis, ex qua ipse latine versum edidit librum Iosue; eaque ipso Masio testante continebat postrema capita Deuteronomii et ceteros ll. historicos atque inter hos *Iudith* et *Tobiae*. Sicut initio perierant ll. Pentateuchi, ita in fine ll. Mach. desiderabantur.

(3) V. Hodium l. c.

omnes exstitisse sine distinctione duplicis ordinis; imo haec latina versio a veteribus (Hieronymo, Augustino, Cassiodoro) appellatur ipsamet « *Septuaginta interpretum* » a suo exemplari, ex quo erat expressa. Ex illa libri, qui hebraice non exstant atque ideo a s. Hieronymo in sua translatione erant omissi (Baruch, Ecclesiastici, Sapientiae, 1. 2. Machabaeorum), suscepti sunt in vulgatam Hieronymianam, quamprimum haec usu communi coepit esse editio ecclesiastica.

Hinc codices continentes editionem Hieronymianam tum vetustissimi ante recensionem Alcuini, tum qui eam recensionem consequuntur, habent omnes nostros libros, si excipias quod in nonnullis desideratur liber Baruch. Quae ἀνομαλια consuetudini Patrum et codicum graecorum imo totius Ecclesiae repugnans nescio unde explicari possit, nisi quod librarii haberent librum (ut multi Patres) velut partem Ieremiae, quam cum in Hieronymi bibliotheca sancta non reperirent, eam et ipsi omiserunt, quod in aliis libris integris et per se consistentibus ut Sap. Ecclesi. Mach. ausi non sunt. Codices omnium vetustissimi huius latinae editionis sunt Amiatinus (in Laurentiana Florentiae) scriptus saeculo VI, Toletanus, Cavensis (monasterii SS. Trinitatis Cavae in regno Neapolitano), S. Pauli (in via Ostiensi), Vallicellanus. (Vide cl. P. Vercellone in Apparatu biblico ad lectiones varias Vulgatae c. 2. p. 83. sqq.).

III. Constat ab ipsa aetate apostolica libros veteris et novi Testamenti in publicis Christianorum conventibus legi consuevisse (Iustin.apolog.I.n. 67; Tertull. apologetic. c. 39; Constitut. apostol. l. II. c. 57. Galland. III. p. 76.). Quamvis porro etiam libri alii ut acta Martyrum, epistolae Pontificum et ss. Patrum legerentur (cf. Euseb. H. E. l. IV. c. 23. ad calcem), lectio tamen librorum Scripturae omnino distincta erat, ita ut publica huiusmodi lectio haberi debeat tamquam publica agnitio et professio, qua Ecclesia libros ita legi solitos, inter ss. Scripturas susceptos et suscipiendos esse declarabat. Ita iam in fragmento Muratoriano n. 4. dicitur de Pastore Hermae: « legi quidem eum oportet, *publicare vero in Ecclesia populo neque inter Prophetas* com-

pletum numero *neque inter Apostolos* in finemtemporum potest » (Galland. II. p. 208.). In Concilio Hipponensi anni 393, in Carthaginensi III. anni 397 et inde in canonibus Ecclesiae Africanae praecipitur: « ut praeter Scripturas canonicas *nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum*... Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur » (Hard. I. p. 968.). Huius decreti opportuna mentio est apud Augustinum ep. 64. al. 235. n. 3. ad Quintianum Episcopum scripta anno 401. « Vos ipsi, inquit, prius nolite in scandalum mittere Ecclesiam *legendo in populis Scripturas, quas canon ecclesiasticus non recepit*... Miror ego prudentiam tuam, quod... non memineris in Concilio institutum, quae sint *Scripturae canonicae, quae in populo Dei legi debeant*. » Docet deinde, legendis Scripturis sacris proprium ordinem lectorum ecclesiasticorum destinatum esse, ad quem non pertinent, quibus etiam in Ecclesia committitur lectio librorum aliorum, qui canonici non sunt. Secundum hoc principium auctoritatem canonicam libri *Sapientiae* probat duplici argumento, ex usu nempe tractatorum qui proximi fuerunt temporibus Apostolorum, et ex eiusdem libri lectione de gradu lectorum in Ecclesia. « Non debuit repudiari sententia libri Sapientiae, *qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae Christi tam longa annositate recitari et ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos cum veneratione divinae auctoritatis audiri* » de Praedest. SS. n. 27. 28.

Iam vero Concilia et Patres Ecclesiae praesertim occidentalis (1) inter libros, quos ita « *legendos* a Patribus se

(1) In Ecclesia orientali factum ipsum publicae lectionis horum librorum non minus constans est, ut praeter modum citationum penes omnes Patres, diserte testantur Athanasius ep. festali, Synopsis Athanasiana, Hieronymus (Praefat. in ll. Salomonis etc.) et Rufinus (Expos. Symb. n. 38), qui duo quamvis latini hac in quaestione potius ad orientales accedunt. At saeculo IV°. et ineunte V°. illi, qui haerebant ancipites de pari cum ceteris horum librorum auctoritate, publicae lectioni quae fieret etiam coram catechumenis, non eandem amplius significationem tribuebant. « Non sunt in canone positi, ait Athanasius de hisce

accepisse » testantur, enumerant omnes et solos illos, quos Concilium Tridentinum suo canone comprehendit, ut patet ex citatis decretis Conciliorum Africae et ex ceteris canonibus, de quibus paulo post dicemus.

Ex modo itaque, quo Patres et doctores ad libros deuterocanonicos non secus ac ad protocanonicos quavis aetate appellabant, ex ipsa complexione editionum ecclesiasticarum, ut codices et antiquae versiones eas exhibent, ex publica demum horum librorum in Ecclesia lectione velut pertinentium ad Scripturas divinas, conficitur hos omnes libros inde ab antiquissimis temporibus usu et consuetudine constanti in universa Ecclesia habitos fuisse inter sacras Scripturas.

IV. Porro characteres huius consuetudinis ii sunt, qui illam ex apostolica Traditione derivatam esse demonstrent. Nam *a*) usus horum librorum ut pertinentium ad Scripturas non solum est privatorum hominum, sed usus publicus et ipsius Ecclesiae. *b*) Est usus perpetuus *tempore*, universalis *loco* seu extensione, constans et uniformis *frequentatione*. Nam inde a temporibus apostolicis usque ad IV. saeculum videmus hos libros cum ceteris protocanonicis inter Scripturas recenseri et ut Scripturas usurpari, cum libris ceteris intermixtos in codicibus comprehendi, controversiae

libris, sed *designati sunt a Patribus, ut legantur* recenter accedentibus et volentibus institui in doctrina pietatis. » Eisdem fere verbis loquitur auctor Synopsis. Simili modo Rufinus et Hieronymus. « Sicut Iudith et Tobiae et Machabaeorum libros *legit quidem Ecclesia*, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit, sic et haec duo volumina (Sap. et Ecclesi.) *legat ad aedificationem plebis*, non ad veritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam » Hieronym. l. c. At vero Patres occidentales hoc discrimen numquam noverunt, et in oriente ipso causa cur hi libri etiam catechumenis legerentur, ante ortas haesitationes saeculi IV. longe alia reddebatur. « Est aliquibus, ait Origenes, etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior scilicet simpliciorque doctrina, ut de moralibus esse solet, quae praeberi consuevit iis, qui initia habent in divinis studiis et prima eruditionis rationalis elementa suscipiunt. His ergo cum recitatur talis aliqua *divinorum voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurum*, libenter accipiunt; verbi causa ut est libellus Esther aut *Iudith* vel etiam *Tobiae* aut mandata *Sapientiae* » Origenes in Num. hom. 27. n. 1.

nullum esse indicium usque ad istud tempus IV. saeculi, tum vero aliquâ haesitatione ex causis externis, de quibus mox dicemus, penes singulares doctores ortâ eundem usum publicum perseverare ita, ut illi ipsi doctores a communi et publica consuetudine discedere nec vellent nec possent. Eandem porro librorum susceptionem reperimus, saltem morali aestimatione, in omnibus Ecclesiis latinis, graecis, syris, aethiopicis, armenis. Denique non agitur de singularibus solum actibus sed de consuetudine, quae ex ipsa rei natura continuo et quotidiano exercitio sese manifestabat. *c*) Est usus, qui nisi apostolica Traditione niteretur, fuisset magnus quidam et universalis abusus et error circa ipsos divinae revelationis fontes. Neque enim res talis est, quae ab Ecclesia posteriori tempore potuisset institui, sed quae tantum ab Apostolis tradita custodiri et conservari a successoribus potuit ac debuit (cf. th. VII.). Postremo *d*) usus talis est, qui exortâ controversiâ non solum non est infractus sed etiam confirmatus, dum statu quaestionis lucidius perspecto controversia ipsa tandem in universalem consensionem et manifestam veritatis praedicationem desiit. Atqui hi ipsi sunt characteres Traditionis apostolicae. Ergo hac apostolica Traditione libros omnes quos habemus in canone, Ecclesiae consignatos esse documenta demonstrant, quae universalem exhibent horum omnium librorum usum tamquam librorum Scripturae. Confer tract. de Traditione th. I. V. VIII. IX. XIV. XXIII. XXIV.

Scholion. Quod libri nonnulli, qui non sunt in canone Ecclesiae catholicae ut 3ius. Esdr. 3ius. Mach.; 4us. Esdr. et 4us. Mach. ex veteri Testamento (1); et ex novo Testamento Pa-

(1) In codicibus graecis, in quibus tres continentur libri Esdrae, ille qui in Vulgata nostra appendicis loco reperiri solet, ponitur ut 1us Esd. duo vero canonici libri ut 2us et 3ius Esdr. vel ut 2us Esdr. et 3ius Nehem. Liber 4us Esdr. non amplius exstat graece sed solum in versione latina, aethiopica et arabica. Librum 3ium Mach. canon apostolicus 85. (al. 76.) ponit cum reliquis duobus inter Scripturas canonicas; quia vero ii canones a Concilio Graecorum in Trullo suscepti sunt, inde a Graecis schismaticis numerabantur, et (etiam a Russis) adhuc nunc numerantur tres libri Machabaeorum. In codice Alexandrino et Sinaitico (sed, ut videtur, serius adiunctus) continetur, atque in synopsi pseudo-athana-

stor Hermae, epp. Barnabae et Clementis commemorantur a quibusdam Patribus velut libri sacri, aut etiam continentur in nonnullis codicibus s. Scripturae, id longe diversum est ab illo usu universali et constanti, quem quoad libros canonicos demonstravimus. Nam *a*) numquam obtinuit consuetudo universalis libros illos memoratos connumerandi Scripturis, sed ea spectabat ad singulares aliquos doctores vel particulares aliquas Ecclesias. Hinc in eo qui inter veteres canones est omnium plenissimus, in canone scilicet occidentalis Ecclesiae, ubi Conciliorum et Pontificum mens fuit consignare ipsam Traditionem apostolicam de ss. Scripturarum libris, et in codice ecclesiastico versionis latinae, ut ex ipsis illis canonibus colligitur, a primis fidei temporibus usurpatae (1), nullus illorum librorum comparet (2); in canonibus orientalibus unus vel alter aliquando inter libros ἀντιλεγομενους, plerumque inter ἀποκρυφους locum habet. *b*) Temporis progressu et quaestionibus de canone sacrorum librorum magis magisque sub directione et assistentia Spiritus Sancti eliquatis sententia illa non modo robur universalis consuetudinis non obtinuit, sed in catholica Ecclesia penitus exstincta est; immo obsolevit etiam in Ecclesia schismatica orientali, si librum 3ium. Mach. excipias.

siana inter libros ἀντιλεγομενους memoratur cum tribus Machabaeorum etiam 4us, cuius auctor ab Eusebio et Hieronymo putabatur Iosephus Flavius (cf. Philostorg. in historia a Photio in compendium contracta l. I. n. 1. H. E. edit. Valesii T. III. p. 476.).

(1) Vide Cassiodorum supra p. 424.

(2) S. Augustinus, aeque ac Concilia Africana et reliqui Patres occidentales, in suo canone (de Doct. christ. l. II. c. 8.), ut mox videbimus, recenset libros « Esdrae *duos*. » Est autem apud hos saltem Patres latinos inauditum, quod duos canonicos libros Esdrae contraxerint in unum; unde nec Augustinus nec alii numerantes *duos* Esdrae, existimari possunt 3um Esdrae habuisse in canone. Quod ergo Augustinus Civ. Dei XVIII. c. 36. appellat ad dictum aliquod ex 3. Esdr. III. 12, ut ostendat posse forte dici Esdram prophetasse de Christo, id demonstrat quidem hunc librum fuisse notum et etiam forte alicubi (apud plures in oriente) computatum cum canonicis; sed non potest inde inferri, ab Augustino aut ceteris PP. Africanis et occidentalibus habitum fuisse librum canonicum, quandoquidem canon tum ab Augustino tum ab aliis recensitus clarissime oppositum testatur.

THESIS XI.

Canones et diserta doctrina antiquitatis christianae exhibent Traditionem apostolicam de omnibus libris divinis veteris Testamenti.

« Sensum huius usus constantis, quo Ecclesia omnes Scripturae li-
» bros *fideli custoditione* semper servavit, diserta doctrina et *praedicatio*
» *ecclesiastica* post obortas controversias expressius declaravit. Ad hanc
» declarationem nominatim pertinent ss. librorum consignati indices cum
» ipsa practica consuetudine conspirantes, quibus pastores doctoresque
» Ecclesiae praesertim occidentalis Traditionem de sacri codicis ampli-
» tudine distinctius explicuerunt, et ab obscuratione quae imminere po-
» tuisset, clariorem in lucem vindicarunt, donec ex eadem apostolica
» Traditione acceptum Scripturarum canonem solemni tandem iudicio
» definiverunt. »

I. Ad canones in Ecclesia occidentali propositos merito connumeratur ipsa vetus latina editio Scripturae, in qua omnes et solos libros canonis Tridentini comprehensos et deuterocanonicos cum protocanonicis permixtos fuisse constat tum ex diserta descriptione Cassiodori (vid. supra p. 424.) tum ex citationibus Patrum latinorum III. saeculi, Tertulliani, Cypriani aliorumque quos citavimus in thesi praecedenti, tum ex canonibus subsequentibus Ecclesiae occidentalis, qui sine dubio ecclesiasticam ubique receptam editionem et publicum eius usum tamquam normam praestitutam habuisse dicendi sunt. Si iam ex hisce catalogis manifestum fit, saeculo IV. in omnium Ecclesiarum codicibus, qua late patebat latina lingua et latina Scripturae versio, habitos fuisse libros deuterocanonicos sine ullius discriminis indicio cum protocanonicis permixtos; haec sane Scripturarum dispositio immediate ad ipsam originem versionis, et mediate ad aetatem apostolicam revocanda est. Neque enim in Scriptura publice in Ecclesia quotidie legi solita et omnibus notissima integri libri serius demum inserti fuissent, nec tam gravis innovatio fieri ullo modo potuisset, quin et Episcopi et fideles tantae rei rationem aliquam postulassent. Si Episcopus in Africa populi tumultu coactus est antiquam resumere editionem, eo quod in versione Hie-

ronymi unum alterumve verbum aliter esset positum quam populus audire consueverat (Aug. ep. 71. n. 5. ad Hieronym.); quanto minus libri integri induci potuissent, quin pastores et plebes saltem huius rei causam quaererent? Atqui nec quando hi libri fuerint coniuncti cum ceteris in Ecclesiarum editione et publica usurpatione, nec alicuius controversiae antecedentis ulla exstat memoria. Sine dubio ergo simul cum protocanonicis tamquam ad unam divinam Scripturam pertinentes in linguam latinam versi sunt et latinis Ecclesiis traditi « primis fidei temporibus. » Hoc autem posito publice et ubique receptus canon omnes nostros libros comprehendens ad ipsa « prima fidei tempora » pertingit, quibus pro latina Ecclesia latina Scripturae editio facta est (1). Porro quî fieri potuisset, ut inter Scripturas divinas et verterentur in linguam latinam et publice reciperentur libri alii, quam qui exstabant in Ecclesiarum editione graeca, ex qua illam veterem latinam fluxisse omnes norunt? Exstabant ergo iidem libri omnes penes Ecclesiam in editione graeca ipsis temporibus apostolicis. Atqui graeca editione Apostolos ipsos usos fuisse, est ex ipsorum scriptis evidentissimum, et ex parte altera primitivam Ecclesiam ab ipsis Apostolis una cum praedicatione etiam Scripturas sacras accepisse dubitare nemo potest. Ipsa igitur *collectio Scripturarum* ab Apostolis divinae revelationis et fidei primis promulgatoribus approbata, consecrata, Ecclesiis tradita constituit *primum et fundamentalem canonem completum omnium librorum sacrorum,* ex quo tamquam ex fonte promanarunt et ad quem tamquam testimonia Traditionis referuntur omnes sequentium aetatum citationes, definitiones, statuti canones, ac denique universalis usus eorundem librorum in tota Ecclesia ut *Scripturarum sacrarum.*

Cum haec traditio et commendatio *totius collectionis*

(1) Latinas versiones « primis fidei temporibus » fieri coepisse, et per se valde est credibile et Augustinus testatur (Doctr. Christ. II. n. 16.). Inter omnes versiones unam, quae *Itala* dicebatur, eminuisse idem Aug. ib. n. 22. nos docet. Exeunte II. et ineunte III. saeculo eam in Africa iam « in usum exiisse.» et ubique propagatam fuisse, disci potest ex Tertulliano De monogam. c. 11; contr. Prax. c. 5; contr. Marc. II. 9.

Scripturarum ab Apostolis ad Ecclesias perveniret velut *in propositione complexa,* quae doctrinam de inspiratione singulorum librorum continebat implicitam, et proponeretur magis usu et praxi quam diserta et instanti de libris singulis praedicatione; hinc fieri potuit et factum esse novimus, ut posterioribus temporibus intra ipsos fines Ecclesiae ex causis externis, de quibus inferius dicemus, orirentur haesitationes quaedam ac dubia de libris illis veteris Testamenti, quos viri docti in Iudaeorum canone non haberi monebant. Ita a primo stadio consuetudinis ecclesiasticae in simplici fide fundatae transitus factus est ad stadium secundum alicuius controversiae et obscuritatis. Recole, quae diximus tract. de Tradit. th. XXIII.

II. Ex hoc ipso periculo obscurationis necessitas orta est pastoribus et doctoribus Ecclesiae ad custodiam et explicationem depositi iam etiam diserta doctrina expressisque decretis Traditionem ab Apostolis et a Patribus antecedentibus acceptam muniendi, ac valorem consuetudinis ecclesiasticae vindicandi.

1°. Celeberrimum est Hipponense Concilium totius Africae habitum VIII. Idus Octobris anno 393. (Hard. I. p. 882.). Canonum huius synodi compendium miserunt Episcopi provinciae Byzacenae ad Concilium Carthaginense III. (sub Aurelio) anno 397, in quo lecti et iterum confirmati sunt. In his statutis Hipponensibus XXXVI^{um} ita decernit. « *Ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum.* Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis *libri quinque,* duodecim libri Prophetarum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel, *Tobias, Iudith,* Hester, Hesdrae *libri duo, Machabaeorum libri duo.* Novi autem Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actus Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad Hebraeos una, Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, Apocalypsis Ioannis. Ita ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur. Liceat etiam

legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur » (Opp. Leonis M. ed. Ballerini T. III. p. 98. et in Collect. Mansi T. III. p. 924.). In Concilio Carthaginensi III. in edd. idem est canon XLVII. (Mansi ib. 891.). Idem decretum eodem servato ordine librorum repetitum est canone XXIX. in Concilio Carthaginensi anni 419 (quod vulgo dici solet VI.) celebrato ab Episcopis circiter 218 coram legatis Romanae Sedis Philippo et Asello presbyteris. Solum conclusio mutata est in hunc modum. « Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio urbis Romae Episcopo, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat, *quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum* » (Dionys. Exig.: « a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda ») Opp. Leonis M. l. c. p. 643.

Circa tempus Concilii Carthaginensis III. anno 397. s. Augustinus (Doctr. christ. l. II. c. 8.) (1) eosdem omnino libros tamquam canonicos consignavit licet ordine paulum diverso. Post numeratos libros Octateuchi, quatuor Reg. et duos Paralip. sequuntur « Iob et *Tobias* et Esther et *Iudith* et *Machabaeorum libri duo* et Esdrae *duo*.... deinde Prophetae, in quibus David unus liber Psalmorum, Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui *Sapientia* et alius qui *Ecclesiasticus* inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Iesus Sirah eos (2) conscripsisse constantissime perhibetur, qui tamen *quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt.* » Sequuntur postremo 12 Prophetae minores et 4 maiores (3).

(1) Libros primos duos et maiorem partem III. de Doctr. Christ. scripsit Augustinus paulo post susceptum episcopatum. Partem reliquam l. III et l. IV complevit diu postea circa annum 426, quando libris suis retractandis operam impendit.

(2) Librum etiam Sap. a Iesu Sirach scriptum esse Aug. tum putabat, quod postea retractavit (Retract. II. c. 4. n. 2.).

(3) Ab Augustino sicut a Conciliis Africanis ceterisque PP. Baruch comprehensum fuisse sub nomine Ieremiae non solum inde constat, quod textum ex Baruch citat expresse nomine Ieremiae contr. Faust. XII. c. 43, sed ex diserta etiam attestatione. Citato enim Bar. III. 36. subdit: « Hoc testimonium quidam non Ieremiae sed scribae eius adtribuunt, qui vo-

« His quadraginta quatuor libris *veteris Testamenti terminatur auctoritas;* novi autem quatuor libris Evangelii (nominantur singuli Evangelistae), quatuordecim epistolis Pauli Apostoli (singulae recensentur), Petri duabus, tribus Ioannis, unâ Iudae, et unâ Iacobi, Actibus Apostolorum libro uno, et Apocalypsi Ioannis libro uno. *In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei.* »

2°. In Romana Ecclesia ad quam Patres Africani appellabant, eundem viguisse canonem constat ex epistola, qua anno 405. Innocentius I. respondit ad quaesita Exsuperii Tolosani. Ita habet ep. 6. c. 7. (ed. Coustant. p. 795.). « Qui vero libri *recipiantur in canone*, brevis (i. e. indiculus) annexus ostendit: Moysi libri quinque... Salomonis *libri quinque,* Psalterium; item historiarum, Iob liber unus, *Tobi* liber unus, Hester unus, *Iudith* unus, *Machabaeorum duo* (1), Esdrae *duo,* Paralipomenon libri duo. Item novi Testamenti » etc. Sicut vero Episcopi Africani ad Traditionem a Patribus antecedentibus transmissam provocabant, ita Pontifex ipso initio epistolae protestabatur, se docere quod sequendum « custodita series temporum demonstraret. »

Gelasius Pontifex in Concilio septuaginta Episcoporum anno 496. in decreto de libris recipiendis eosdem nullo dempto nulloque addito enumerat. Ex diversitate inscriptionis codicum videtur colligi probabilissime, decretum idem fuisse iterum editum ab Hormisda Pontifice (anno 514. ad 523.), cui tribuitur in antiquissimo codice Urgellensi et Iurensi, in quo habet hunc titulum praefixum: « Incipit decretale in urbe Roma ab Hormisda Papa editum. » In textu: « De Scripturis divinis quid *universaliter catholica recipiat Ecclesia,* vel post haec quid vitare debeat. Ordo de veteri Testamento, *quem sancta et catholica Romana suscipit et honorat Ecclesia,* iste est: Geneseos l. I. » etc. Nihilominus in codicibus plerisque decretum istud tribuitur Gelasio et

cabatur Baruch, sed Ieremiae celebratius (i. e. communiori usu) habetur» Civ. Dei XVIII. c. 33. n. 1. cf. supra p. 415.

(1) Adverte tam ab Augustino quam ab Innocentio libros Machabaeorum collocari ante libros protocanonicos Esdrae.

synodo Romanae 70 vel 72 Episcoporum, atque sub eius nomine susceptum est in collectionibus canonum Burchardi et Gratiani (1). Vide Mansi Conc. T. VIII. p. 151. et Supplem. Concil. T. I. p. 355. sqq.; Ios. Blanchinium in Vitis RR. Pontificum T. IV. p. LXI; Hefele Hist. Concil. T. II. p. 597.

3°. Ex Conciliis Africanis et decretis Pontificum idem Scripturarum catalogus cum aliis statutis susceptus est circa tempus Gelasii Pontificis in eas quae inscribuntur « Constitutiones Sedis Apostolicae » Opp. s. Leonis ed. Baller. T. III. p. 98, et deinceps in alias vetustas collectiones canonum, Dionysii Exigui saeculo VI. (Opp. s. Leonis T. III. p. CLXXIV. sq.), Ferrandi Carth. can. 228. item saec. VI; Cresconii can. 299. exeunte saeculo VII. (Bibl. Max. PP. T. IX. p. 486. 494.); tum in collectionem Hispanicam saec. VII. (Opp. Leonis p. CXCV. sq.), Burchardi ineunte saec. XI, Ivonis saec. XI. mediante, Gratiani saec. XII. Huiusmodi autem collectiones praesertim Dionysiana et postea Gratiana cum pervulgatae essent et saltem Episcopis universoque Clero notissimae in tota Ecclesia occidentali, patet hanc ipsam Conciliorum et Pontificum doctrinam de canone Scripturarum in tota Ecclesia saltem latina de qua nunc loquimur, fuisse universalem. Unde saeculo VIII. s. Nicolaus I. Pontifex ad decretum Innocentii I. ita appellabat, ut illud ubique et sine controversia notum esse supponens, ex ipsa integri canonis Scripturarum per universam Ecclesiam receptione ab

(1) In cod. vetusto collectionis canonum Dionysii Exigui et in cod. Frisingensi adscribitur hoc decretum Damaso Pontifici. Cf. Ballerini Opp. s. Leonis T. III. p. CLI. sqq.

In cod. Lucensi, ex quo illud vulgavit Mansius, et in Vaticano ex quo edidit Fontaninius, deest tota prima pars continens catalogum Scripturae, hancque formam Mansius credidit primitivam, cui assentitur Hefele, ut adeo index Scripturarum censeri deberet additus ab Hormisda Pontifice. Mihi quidem videtur contextus huic hypothesi repugnare, praesertim ut est in cod. Vaticano. Incipit ibi decretum his verbis: « *Post propheticas et evangelicas atque apostolicas Scripturas*, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, *etiam illud* intimandum putavimus, quod » etc. Ergo evidenter praecessit enumeratio Scripturarum, quae a librario omissa est, forte quod eam notissimam esse sciret.

Innocentio imperata, argumentum duceret ad probationem alterius rei, de qua tum agebatur (1).

4°. Scriptores ecclesiastici latini qui in suis operibus exegeticis, dogmaticis, liturgicis inde a saeculo VI. indices librorum sacrorum consignarunt, eundem habent *canonem plenum* nullo libro dempto nullo addito, nec profecto consignarunt aliud, nisi quod suo tempore in Ecclesia repererunt a maioribus traditum. Ita ss. librorum catalogum conscripserunt Cassiodorus saec. VI. divin. institut. cc. 1-9. 13. 14; Isidorus Hisp. saec. VII. qui ter eundem proponit ed. Arevali T. III. p. 241; T. V. p. 190; T. VI. p. 372; Ildephonsus Toletan. de ordine baptism. c. 79. in miscellan. Baluzii, T. VI. p. 57; Eugenius Toletan. (apud Hodium l. c. p. 654.).

Saeculi VIII. est decretum Leonis III. Pontificis editum a Iosepho Blanchinio in Vindic. canon. Script. p. CCCV. « Legitur autem omnis Scriptura divina sancti canonis ab initio anni ad finem in Ecclesia s. Petri hoc ordine » etc. A medio Octobri legi dicuntur: « liber *Salomonis* (quo comprehendebantur quinque sic dicti sapientiales), et ***Mulierum*** (i. e. Ruth, Iudith, Esther) (2) atque ***Machabaeorum*** et *liber Tobi* usque Kal. Decembris » (3). Saeculi IX. ineun-

(1) Probat videlicet Nicolaus, decretales epistolas Romanorum Pontificum suscipiendas esse, etiamsi collectionibus canonum non sint insertae, hoc utens argumento: « *si vetus novumque Testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum* (corpori Iuris) *ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti Papae Innocentii prolata videtur esse sententia,* restat nimirum, quod decretales epistolae Romanorum Pontificum sunt recipiendae, etiamsi non sunt canonum codici compaginatae, quoniam inter ipsos canones unum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta Sedis apostolicae custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari » Nic. ep. ad Episcop. Galliae (Hard. V. p. 592.).

(2) In Sacramentario Gallicano cod. Bobiensis saec. VII. habetur « Capitulus de vetere (Testamento) canonizatus... Liber Genesis... Libri *Mulierum Ruth, Sterh* (Esther) et *Iudith*, Machabaeorum libri duo, Iob et Tobias libri singuli » etc. Mabillon. Museum Italic. T. I. p. 396.

(3) In libro qui dicitur *Comes* et adscribitur s. Hieronymo, quamvis post Hieronymum auctus sit, ut illum edidit B. Card. Thomasius, reperiuntur assignatae lectiones ex plerisque deuterocanonicis. Ex *Sapientia* quo nomine designantur tres libri Prov. Sap. Ecclesi., lectiones sunt

tis est catalogus versibus descriptus, et codex Scripturarum Theodulphi Aurelianensis in Opp. Sirmondi T. II. p. 1046. Eodem saeculo floruit Rhabanus Maurus, qui l. II. c. 53. de instit. Clericorum haec testatur. « Pronuntiantur autem lectiones in Christi Ecclesiis de Scripturis sanctis.... Hi sunt ergo libri V. T. quos ob amorem doctrinae et pietatis legendos recipiendosque Ecclesiarum Principes tradiderunt. » Sequitur catalogus comprehendens omnes et solos libros, quos habemus in canone Tridentino.

Ineunte saec. XII. Honorius Augustodunensis in Gemma animae l. III. c. 118. Bibl. Max. PP. T. XX. p. 1128. consignavit libros Scripturae in divinis officiis legendos, qui sunt iidem omnes et soli comprehensi in canone Tridentino. Ex eodem saeculo habemus in Historia Scholastica Petri Comestoris enarrationem omnium librorum Scripturae. Ubi incipit enarrare librum Iosue, commemorat ex s. Hieronymo divisionem canonis hebraici in tres ordines cum hac adnotatione: « Iob, David, tres libri Salomonis, Daniel, Paralipomenon, Esdras, Hester (scilicet pertinent ad tertium ordinem Hebraeorum). Sapientia, Ecclesiasticus, Iudith, Tobias Pastor (1), Machabaeorum apocrypha sunt, *quod auctor ignoratur eorum; sed quod de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur.* Si autem nec auctor nec veritas sciretur, non reciperentur, ut liber de Infantia Salvatoris et de Assumptione B. Mariae Virginis » fol. 82. ed. Lugdun. 1542. Clarius adhuc explicat, quid ipse nomine *apocryphi* intelligat, in principio enarrationis l. Tobiae fol. 146. Ad animadversionem suam quod liber Tobiae a Iudaeis inter apocrypha, a s. Hieronymo inter hagiographa computatur, addit: « Recole supra in principio Iosue di-

frequentes e. g. Prov. n. 106. 108. etc. *Sap.* n. 80. 110. etc. *Ecclesiastic.* n. 11. 44. 107. etc.; praeterea ex 2. *Mach.* n. 43. 231; ex *deuteroc. Esth.* n. 49; ex deuteroc. *Dan.* n. 59. 71. 91; *Tob.* n. 217. In alio Lectionario a B. Thomasio ex codicibus collecto *Baruch* inducitur nomine Ieremiae num. 7.

(1) Si non est error editoris in coniunctione vocum, quod tamen probabilissimum videtur, Petrus Tobiam aut Tobiae librum Pastorem nominari putasset. Desumpta autem haec sunt ex s. Hieronymi prologo galeato: « Sapientia... et Tobias et Pastor non sunt in canone. »

ctum, *quod apocryphum dicitur, vel cuius auctor incertus, vel cuius materia incerta. De materia autem huius (libri) patet et constat.* Hagiographum sacra Scriptura interpretatur, et sic quaelibet Scriptura (i. e. quivis liber pertinens ad Scripturam) sacra potest dici. »

Petrus Blessensis hoc saeculo XII. enumerat primo secundum s. Hieronymum libros canonis hebraici triplici ordine *Legis*, *Prophetarum* et *hagiographorum*. Sed monet de pleniore canone christiano. « Quartus est apud nos (Christianos) ordo V. T. eorum librorum, qui in canone Hebraeorum non sunt. Quorum primus *Sapientiae* liber est, secundus *Ecclesiasticus*, tertius *Tobias*, quartus *Iudith*, *quintus et sextus Machabaeorum*, quos licet Iudaei inter apocrypha separent, *Ecclesia tamen Christi inter divinos libros et honorat et praedicat*. In novo autem Testamento duo sunt ordines » etc. De division. et scriptor. libror. sacrorum (Bibl. Max. PP. T. XXIV. p. 1268.). Eundem canonem saec. XIII. Vincentius Bellovacensis (Specul. doctrin. l. XVII. 33.) aliique multi consignarunt usque ad Concilium Florentinum.

In hoc Concilio summus Pontifex Eugenius IV. in Bulla seu decreto « Cantate Domino » declaravit Iacobitis doctrinam Ecclesiae catholicae, atque inter alia capita ibi sacrosancta Romana Ecclesia dicitur profiteri « unum atque eundem Deum veteris et novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur: Quinque Moysis » etc. Sequitur enumeratio librorum omnium eodem ordine ut in Conc. Tridentino (1) (Hard. IX. p. 1023.).

5°. Ad Ecclesiam graecam quod spectat, saec. VII°. Concilium Trullanum a Graecis habitum velut continuatio oecumenici V. et VI. suscepit can. 2°. cum aliorum Conciliorum et ss. Patrum statutis etiam centum triginta quinque

(1) Solummodo libri Act. locus mutatus est; nam in Florentino sicut penes Augustinum aliosque penultimus ante Apoc., in Tridentino post Evangelia ante epistolas s. Pauli ponitur.

canones Africanos, qui exinde penes Graecos partem constituunt iuris ecclesiastici ab eorum doctoribus Balsamone, Zonara, Alexio Aristeno etc. commentariis illustrati. Inter istos canones Africanos vigesimus septimus ponitur ipsum illud decretum Carthaginensis Concilii anni 419. de canonicis Scripturis, quod superius retulimus (Beverege Pandectae canonum Ecclesiae graecae T. I. p. 549.). Graeci igitur catalogum librorum Scripturae, qui illic omnes et soli nunc adhuc in canone catholico comprehensi enumerantur (1), repererunt a fide et praxi orientalis suae Ecclesiae minime dissentientem. Quod ibidem can. 2°. suscipiuntur etiam canones 85. apostolici et 60. Laodiceni, quorum in 85°. apostolico et 60°. Laodiceno alius catalogus Scripturarum continetur, nulla est contradictio, sed tantummodo canonis unius incompleti per alterum completum explicatio vel integratio. Apposite hanc ad rem Cassiodorus animadvertit in comparatione huiusmodi canonum inter se: Patres et Concilia « non contraria dixerunt sed diversa, » quia scilicet canones incompleti non sunt excludentes sed opportune supplendi (cf. Cassiod. instit. divin. litt. c. 14.).

Certe Ecclesia graeca etiam schismatica libros eosdem omnes adhuc nunc servat in suo canone. Hinc saec. XVII. Cyrillum Lucarim qui reiiciendo libros deuterocanonicos Protestantibus gratificari volebat, videmus etiam huius erroris causa damnatum esse in synodis coactis a Parthenio Constantinopolitano, Dositheo Hierosolymitano, Macario Antiocheno schismaticis patriarchis. Sententia harum synodorum ita erat: « Sapientiam Salomonis, Iudith, Tobiam, draconis historiam, historiam Susannae, Machabaeos, Sa-

(1) In nonnullis codicibus et editionibus huius canonis Africani etiam in editione Beveregii, et in sic dictis Constitutionibus Sedis Apostolicae ex ed. Quesnelli can. XXXVI. omittuntur *duo libri Mach.* Id autem perperam fieri ostendunt Harduinus (Concil. T. I. p. 878.) et melius Ballerinii (Opp. s. Leonis T. III. p. 98. in nota ad can. XXXVI. Const. Sedis Aplicae). Ceterum si revera in editione graeca per errorem omissi sint libri Machabaeorum in hoc canone Africano, habet tamen eos Ecclesia graeca certissime inter Scripturas sacras, eosque suscipiendi legem ipsum Conc. Trullanum agnovit in 85°. can. apostolico, in quo libri tres Mach. ponuntur inter canonicos.

pientiam Sirach cum ceteris genuinis s. Scripturae libris ceu germanas eiusdem Scripturae partes censemus esse numerandas. Quoniam quae Evangelia..... tradidit antiqua consuetudo seu magis Ecclesia catholica, et istos ceu s. Scripturae partes procul dubio tradidit » (Hard. XI. p. 258.). Vide etiam attestationes in Opere « Perpetuitas fidei defensa » T. III. p. 462. 463. 464. 465. 547.

In eadem sententia esse alias orientis nationes iam pridem ab Ecclesia catholica divulsas probari potest, quantum praevalens inter eas gentes ignorantia permittit. Suscipiunt libros deuterocanonicos Syri et Chaldaei (Assem. Bibl. Or. T. III. p. 5-7; IV. p. 236; Hard. Conc. T. X. p. 306; Perpetuit. fidei defens. T. III. p. 551; Hodius l. c. p. 650); Aethiopes seu Abyssinii (Ludolph. Histor. Aethiop. l. III. c. 4, quae eadem ex Ludolpho describit Fabricius in libro « Lux Evangelica » p. 717. et Hodius l. c. p. 650) (1); Armeni (Perpetuit. fid. defens. T. III. p. 560. 566, ubi referuntur testimonia Episcoporum monophysitarum in Cilicia et in Persia).

III. Si iam simul conferamus, quae in hac et in superiori thesi dicta sunt, evidens est conclusio totius demon-

(1) **Gregorius Abyssinius anno 1652 ab Ernesto duce Gothano in Saxoniam evocatus Ludolpho exposuit sententiam Abyssiniorum de libris Scripturae. « Libris canonicis, ait Protestans Ludolphus, apocryphos (deuterocanonicos) miscent incuria an ignorantia incertum. Gregorius certe fatebatur, se tale vocabulum numquam audivisse. Primus tomus dicitur *Lex* et Octateuchus est; octo enim continet libros (5. Moysis, Ios. Iudic. Ruth.). Alter tomus vocatur *Reges*, et continet libros tredecim (4. Reg. 2. Paralip. 2. Esd. Tob. Iudith, Esth. Iob, Psalm.). Tertius *Salomon* quinque libros continet (Prov. Eccl. Cantic. Sap. Ecclesi.). Quartus *Prophetae* continet libros octodecim (Is. Ierem. Thren. Baruch. Ezech. Dan. duodecim minores). His addunt coronidis loco duos libros Machabaeorum. Novum Testamentum continet 27. et similiter in 4 partes dividitur » etc. Ludolph. l. c. Quatuor partes N. T. sunt *Evangelium* i. e. 4. Evangelia; *Acta; Paulus* 14 epistolis; *Apostolus* i. e. septem epistolae catholicae. « Pro additamento est illis Visio Ioannis Abukalamsis » (ἀποκαλυψις). Versio aethiopica facta est IV. saeculo ex editione graeca, eoque gravius suppeditat argumentum, omnes hos libros tamquam ad Scripturam pertinentes semper fuisse in graeca editione ecclesiastica, atque in illa ab Apostolis traditos Ecclesiae (th. X. n. II.).**

strationis. Libri sic dicti deuterocanonici V. T. omnes ab antiquissimis temporibus et ab ipsa aetate apostolica non solum appendicis instar adnexi, sed sine distinctione permixti erant cum libris protocanonicis Scripturae. In universa Ecclesia tam in oriente quam in occidente quavis aetate usus erat publicus, amplissimus, constans et quotidianus horum librorum tamquam s. Scripturae sine ullo discrimine a libris protocanonicis. In occidente publica haec consuetudo et persuasio diserte et expressis declarationibus confirmata est a Pontificibus et Conciliis tamquam Traditio propagata inde ab origine rei christianae et ab aetate apostolica; idque factum est, quando alicubi theoria induci videbatur dissona a publico illo usu, et factum est per declarationes prorsus consentientes cum universali et perpetua illa praxi et persuasione. Sicut vero libri hi omnes cum ceteris permixti erant in editionibus Scripturarum, ita in occidentali Ecclesia numquam de illis controversia alicuius momenti mota est. S. Hieronymus enim, Rufinus et Hilarius in hac re, ut alibi dixi, ad orientales potius doctores respiciunt. In oriente aliqua haesitatio orta quidem est IV. saeculo et aliquamdiu deinceps tenuit; publica tamen praxis Ecclesiae etiam orientalis perseveravit semper eadem, donec ex evidentia publici usus et ex necessitate conciliandi doctrinam cum ipsa publica consuetudine in orientalibus quoque Ecclesiis omnis dubitatio desiit. Iam vero libros hoc modo semper in Ecclesia habitos inter Scripturas ac proinde ut libros divinos, etiamsi argumentum solum *historice* spectetur, ab Apostolis traditos esse moraliter certum demonstratur, quia talis perpetua, universalis et constans praxis et persuasio aliunde quam ex Traditione apostolica originem habere nequit. Si autem Traditio spectatur *sensu catholico,* munus videlicet infallibiliter custodiendi depositum fidei sub assistentia Spiritus Sancti, absolute repugnat ut libri eo modo conservati, in veneratione habiti, usurpati, divini declarati in Ecclesia universa, non sint tamquam Scriptura sacra traditi ab Apostolis. Quoad methodum itaque et valorem demonstrationis Traditio christiana probe distinguenda est ab historia canonis librorum **in veteri Testamento penes Iudaeos.**

1°. Non ex historia canonis Iudaici, sed ex Traditione christiana demonstratur, in collectione Scripturarum quam Apostoli tamquam complexum librorum inspiratorum et tamquam verbum Dei scriptum Ecclesiis consignarunt, comprehensos fuisse hos omnes libros, quos Ecclesia inde ab aevo apostolico legit inter Scripturas et quos adhuc habet definitos in suo canone. Illa vero ipsa consignatio et Traditio Scripturae per Apostolos continebat *revelationem Spiritus Sancti per suos praecones,* hos omnes libros esse Scripturas divinitus inspiratas et verbum Dei scriptum. Haec revelatio et Traditio apostolica non necessario supponit revelationem et Traditionem iam praeexistentem penes Iudaeos in veteri Testamento. Quia enim Apostoli non solum erant infallibiles in proponenda et declaranda revelatione iam facta in veteri Testamento, sed per eos Christus et Spiritus Sanctus etiam revelationem complevit, atque ita erant etiam promulgatores novarum revelationum, quae in V. T. factae non erant; propterea ex doctrina quod Apostoli hos omnes libros tamquam Scripturam sacram tradiderunt, non potest certo inferri, iam in V. T. Iudaeis hos libros omnes fuisse propositos ut divinos atque ab eis ut divinos creditos.

2°. Attamen si non solum spectemus fundamentum *dogmaticum,* cui demonstratio christiana proprie innititur; sed etiam *historice* examinemus in hac doctrina, quaenam fuerit relatio praedicationis apostolicae in hoc capite ad antecedentem Traditionem penes Synagogam, *a*) certo constat, eosdem libros deuterocanonicos Iudaeis fuisse cognitos et apud ipsos in magna auctoritate, qua re revelationi apostolicae de eorum inspiratione via velut praestructa erat. Vide supra p. 324. testimonium Iosephi de libris scriptis post Artaxerxem, et Iudaeorum sententias honorificas de singulis hisce libris deuterocanonicis apud Iosephum Voisin in Observationibus ad Pugionem Fidei ed. Paris 1651. p. 102-105. SS. Patres etiam memorant hos libros velut notos Iudaeis et in veneratione habitos. Ita Origenes penes Iudaeos invenerat libros Machabaeorum sub nomine Sarbat

Sarbaneel (1) (apud Euseb. VI. 25.); Epiphanius libros Sapientiae et Ecclesiastici (haeres. VIII. n. 6. cf. Isidor. de div. Off. l. I. c. 12.); Hieronymus libros Tobiae et Iudith (Prolog. in ll. cc. cf. Hilar. Prolog. in Pss. T. I. p. 10.) Auctor Constit. Apost. testatur, suo tempore librum Baruch in synagogis legi consuevisse (Const. Apost. l. V. c. 20. Coteler. T. I. p. 324.). Vide Malou de Lect. Script. ling. vulgari T. II. p. 32-51.

b) Imo probabile est, omnes hos libros a Iudaeis Hellenistis tempore Christi et Apostolorum habitos fuisse cum libris ceteris inter Scripturas, proindeque eosdem eis traditos fuisse ut divinos. Iudaeos Hellenistas legisse Scripturas in editione graeca Alexandrina saltem usque ad versionem institutam ab Aquila saeculo christiano II, non est dubium (2). Atqui in hac editione, quousque monumenta pertingunt, libri deuterocanonici reperiuntur (ut demonstravimus) non solum additi sed immixti libris protocanonicis. Est quidem fatendum, haec monumenta stricte probare solum illam permixtionem in editionibus Christianorum, adeoque potuit ea profecta esse ab Apostolis vel a Christianis ex doctrina apostolica. Quia tamen nullum exstat vestigium Alexandrinae editionis continentis solos libros protocanonicos, et quia Traditio ipsa christiana ita se habet, ut potius suadeat Apostolos in exemplaribus suis iam contentos reperisse hos omnes libros, negari nequit huius sententiae a pluribus catholicis recentioribus defensae probabilitas. Si Apostoli exemplaria graeca cum permixtis iam antea libris deuterocanonicis tradebant Ecclesiis ut codicem librorum Scripturae, non erat necessaria alia explicita et distincta doctrina Apostolorum de singulis horum librorum. Tum vero eo facilius intelligitur, quod superius diximus de Traditione hac quodammodo implicita et potius usu ac praxi primum conservata, atque inde de sub-

(1) Alii aliter explicant hanc appellationem ab Origene allatam, probabiliter שַׁרְבֵט שַׂר בְּנֵי אֵל sceptrum principis filiorum Dei.

(2) R. Azariae hanc citant sententiam: « cum permiserunt graecam linguam (Magistri Iudaeorum), non permiserunt nisi propter librum legis et propter opus Ptolomaei regis » De Voisin l. c. p. 115.

secuta posteriori tempore aliqua controversia intra ipsos fines Ecclesiae.

Quae quamvis ita sint, manet tamen illud ratum ac firmum, demonstrationem canonis Scripturarum ab hac hypothesi historica minime pendere; et certe falluntur gravissime qui libros V. T. Christianis nonnisi a veteri Synagoga tradi potuisse, et nonnisi ex traditione ac sententia Synagogae suscipiendos esse affirmant.

Corollarium 1. Longe diversa erat conditio doctrinae de libris deuterocanonicis in Ecclesia christiana etiam eo in stadio, quo non obtinebat plenus consensus, quam in veteri Testamento ante Christi et Apostolorum praedicationem. In V.T. propositio divini testimonii vel non exstabat, vel certe complenda et confirmanda erat per novam revelationem; in N.T. revelatio iam facta et semper in Ecclesia conservata solum ab ipsa Ecclesia sub directione Spiritus Sancti explicatius erat proponenda et instantius praedicanda. Vide de Trad. th. XXII. n. II; th. XXIII. n. I; th. XXV.

Corollarium 2. Absurde doctrina catholica de inspiratione librorum deuterocanonicorum a Protestantibus impugnatur testimoniis Iudaeorum, quibus prophetiam et Spiritum Sanctum sub templo secundo subtractum fuisse probare contendunt.

Nam *a*) nulla est auctoritas dogmatica horum testimoniorum, ut per se constat. Non probamus inspirationem deuterocanonicorum librorum auctoritate veteris Synagogae, multoque minus testimonia requirimus Iudaeorum, postquam populus Dei esse desierunt; sed ex perpetua Traditione christiana demonstramus, eam revelatam esse a Christo vel a Spiritu Sancto per Apostolos. Testimonia autem illa Iudaeorum de cessatione prophetiae, si intelligenda essent de cessatione doni inspirationis, et si fidem historicam de sententiis antiquitatis Iudaicae mererentur, tantummodo probare possent, Synagogam V. T. in hac opinione fuisse, ac proinde ei inspirationem librorum qui scripti sunt sub templo secundo, non fuisse compertam; nullo autem modo possent probare, inspirationem non exstitisse vel a Christo et Apostolis non fuisse Ecclesiae revelatam.

b) Testimonia Iudaeorum quatenus fidem historicam merentur, si rite examinentur, probant contrarium; demonstrant scilicet persuasionem Synagogae et factum ipsum charismatum prophetiae et continuae revelationis etiam sub templo secundo perdurantium; imo idem evangelicis testimoniis demonstratur.

Iosephus commemorat omnino plures, qui dono prophetiae et divinis alloquiis fruebantur. Ioannes Hircanus Simonis filius tria maxima obtinuisse dicitur « principatum, summum sacerdotium, et prophetiam » de Bello l.I. c.2. n. 8. (ed. Havercamp); idem divina responsa in templo accepisse narratur Antiq. l. XIII. c. 10. n. 3. Generatim nonnisi ducentis annis antequam Iosephus scriberet suam historiam, ergo centum circiter annis ante Christum responsa huiusmodi sacerdotibus fieri desiisse dicuntur Antiq. l. III.c.8. n. 9. (1). Prophetiae dono insignes alii sub secundo templo memorantur e. g. Iudas Essaeus, «qui in praedictionibus suis numquam est lapsus aut mentitus » de Bello l. I. c. 3.n.5; Samaia Antiq. l. XV. c.1. n. 1; Manahem ib. c. 10. n. 5; plures ex Essaeis (de Bello l. II. c. 8. n. 12), iuxta populi persuasionem etiam Pharisaei Antiq. l. XVII. c. 2. n. 4. Miracula et apparitiones supernaturales narrantur in libris Machabaeorum. Philoni de perduratione charismatum et ipsius nominatim inspirationis ad scribendum adeo persuasum erat, ut etiam LXX interpretes inspiratos fuisse crederet (vide supra p. 329.). Ipsi scriptores Talmudici et Rabbinici unanimes sunt in asserendo gradu prophetiae et divinae manifestationis temporibus secundi templi, quem dicunt «filiam vocis » cf. tract. de Tradit. p. 316. nota, et Malou de Lect. Script. ling. vulg. T. II. p. 42. sq.

In Evangelio ipso, ne quidquam dicamus de Zacharia et Elisabeth Luc. I, memoratur Simeon homo iustus, « et Spiritus Sanctus erat in illo... et responsum acceperat a Spi-

(1) Cum hac definitione temporis coincideret scriptio postremi inter libros canonicos veteris Testamenti; probabilibus enim argumentis conficitur, 2 Machabaeorum ultimum inter libros V. T. scriptum esse uno circiter saeculo ante Christum natum (vide Welte Introduct. in libros deuterocan. V. T. c. 2. §. 9.).

ritu Sancto... et venit in Spiritu in templum; » pariter « Anna prophetissa » Luc. II. 25. 36. Immo indicatur, charisma extraordinarium mansisse pro certis adiunctis cum ministerio ordinario sacerdotii connexum Io. XI. 51.

c) Denique si quae sunt testimonia, quibus affirmatur, prophetas nullos amplius fuisse missos post Zachariam, Aggaeum et Malachiam, ea intelligi nequeunt de charismate extraordinario revelationis, prophetiae et inspirationis generatim sumpto, sed intelligenda sunt de publico munere prophetis illis vetustioribus divinitus iniuncto populum Dei praenuntiatis praemiis et poenis monendi, confirmandi, castigandi et regendi. Quo sensu non modo Iosephus contra Apion. II. 8. dixit, «successionem prophetarum post Artaxerxem non fuisse patentem et accuratam; » sed etiam 1. Mach. IX. 27. idem indicari videtur, ubi post Iudae et Ionathae interitum dicitur fuisse « tribulatio qualis non fuit ex die, qua non est visus *propheta* in Israël » (cf. Ioseph. Antiq. l. XIII. c. 1. n. 1.). Ceterum charisma inspirationis sub altero templo perdurasse fateantur necesse est illi omnes Protestantes, qui libros protocanonicos inspiratos esse concedunt simulque fatentur, aliquos ex Psalmis hac aetate et non ante tempora Machabaica scriptos esse.

THESIS XII.

De origine controversiae circa libros deuterocanonicos veteris Testamenti.

« Negandum non est, circa aliquos libros Scripturae veteris Testamenti intra ipsos fines Ecclesiae controversiam aliquando exstitisse; verum contendimus, 1°. quaestiones alicuius momenti de canone ecclesiastico Scripturarum V. T. non ante saeculum IV. excitatas fuisse; 2°. hanc controversiam non ex maiorum Traditione originem habuisse, sed ex instituta comparatione Scripturarum Ecclesiae cum Scripturis canonis hebraici, quae post editionem hexaplarem Origenis late diffusam potissimum promota est. »

Duo dicimus in thesi, controversiam de libris sic dictis deuterocanonicis nullam alicuius momenti fuisse ante saeculum IV; contradictionem deinde non ex Traditione sed ex comparatione Scripturarum Ecclesiae cum Scripturis he-

braicis ortum habuisse (1). Sive potius duplex adhibemus argumentum, quo demonstretur posterior origo controversiae, primum negativum ex silentio antiquitatis, alterum positivum ex fonte huius controversiae.

I. Agitur de facto historiae ecclesiasticae seu specialius historiae dogmatum, utrum controversia quam circa aliquos libros veteris Testamenti nonnullam saeculo IV. et deinceps fuisse novimus, derivata sit ex tempore antecedenti, ac proinde idem status quaestionis iam fuerit III. et II. saeculo. Supersunt documenta satis multa II. et III. saeculi, ut ex iis facti veritatem explorare liceat.

(1) Facile concedimus, inter fideles Ecclesiae Hierosolymitanae usque ad urbis excidium (anno 70) non fuisse in usu libros V. T. nisi hebraice scriptos, cum illi Christiani ex circumcisione Hierosolymis non graeca sed syro-chaldaica (ut vocant) lingua uterentur. At haec res ad explicandam ambiguitatem canonis in aliis Ecclesiis saec. IV. et V. non solum non sufficit, sed mihi quidem nullius momenti esse videtur. Nam *a*) post urbem excisam Christiani illi iudaizantes, qui iuxta monitum Domini ante obsidionem fugâ sibi consulentes in regiones trans Iordanem se receperant, partim abdicatis tandem ritibus Iudaicis sese commiscebant aliis Ecclesiis ex gentibus, partim degenerabant in sectas Ebionitarum et Nazaraeorum, ita ut saeculo II. iam nulli superessent catholici iudaizantes. (Quartodecimani enim catholici celebrabant quidem pascha 14°. mensis Nisan appellantes ad auctoritatem Apostolorum Ioannis et Philippi, sed nullatenus observabant ritus Iudaicos.) Hierosolymis cum imperator Hadrianus (anno 135.) expulsis omnibus natione Iudaeis induxisset colonos graecos, constituebatur Ecclesia christiana ex gentibus, quorum primus Episcopus Marcus. Ab hoc igitur tempore status canonis in ista Ecclesia sine dubio idem erat ac in aliis Ecclesiis orientis, ut demonstrat etiam usus librorum deuterocanonicorum ex catechesibus Cyrilli Hierosolymitani manifestus. Penes sectas iudaizantes non fuisse libros V. T. nisi iuxta canonem Iudaeorum ultro concedimus, cum haeretici illi neque ex N. T. videantur admisisse nisi unum Evangelium « secundum Hebraeos » lingua syro-chaldaica (sive fuerit Matthaei sive aliud interpolatum). At sectae istae quae nullius auctoritatis et abominationi erant omnibus catholicis, quomodo quaeso quidquam valebant ad inducendam ambiguitatem circa canonem inter catholicos? *b*) Si ambiguitas a primitiva Ecclesia Hierosolymitana nationis Iudaicae derivabatur, qui fit, ut nullus umquam Patrum aut scriptorum ecclesiasticorum pro canone breviori ad auctoritatem huius Ecclesiae appellaverit, et contra non raro indicent (ut videbimus) rationem dubitandi de quibusdam libris fuisse, quod illi inter Scripturas Iudaeorum non exstarent?

1°. Constat ex thesibus antecedentibus X. et XI, tribus primis saeculis hos libros omnes fuisse inter Scripturas Ecclesiarum et in eodem censu habitos ac libros protocanonicos; controversiae autem vel dubitationis nulla exstat memoria usque ad initia IV. saeculi. Atqui in tam frequenti horum librorum citatione penes Patres II[i]. et III[i]. saeculi, penes Clementem Alexandr., Tertullianum, Origenem, Cyprianum et alios (vide th. X.) non est credibile, numquam indicatam fuisse controversiam, si aliqua iam exstitisset; praesertim cum diversitas librorum Ecclesiae et librorum penes Hebraeos saltem nonnullis et maxime Origeni optime esset perspecta, et cum de aliis libris hinc inde inter Scripturas numeratis significare dubitationes non omiserint, ut de libro Enoch Tertullianus (de cultu feminar. l. I. c. 3.) (1); de Pastore Hermae idem Tertullianus (de Pudicit. cc.10.20.), fragmentum Muratorianum (Galland. II. p. 208.), et Origenes (hom. 8. in Num. T. II. p. 294; hom. 1. in Ps.37. ib. p. 681; in Matth. tract. 30. ib. p. 872.), atque inde a III. saeculo etiam de libris deuterocanonicis N. T. ut Origenes (apud Euseb. VI. 25.). Quin imo modus ipse privatae dubitationis Iulii Africani de partibus Danielis et modus responsionis Origenis clare indicat, nullam adhuc controversiam quoad ss. librorum numerum ex diversitate codicis ecclesiastici et hebraici fuisse in Ecclesia auditam (vid. p. 414. nota).

2°. Dixi, nullam exstare memoriam controversiae aut dubitationis de hisce libris usque ad IV. saeculum. Nam Melito saec.II. (Euseb.IV.26.) et Origenes saec. III. (Euseb. VI. 25, et in Philocalia c. 5.) consignarunt quidem canonem, qui solos libros protocanonicos comprehendit; at in illo non enumerare libros ab Ecclesia receptos propositum habebant, sed docere tantummodo, qui et quot libri etiam a Iudaeis essent admissi.

Quoad Origenem res est luculentissima ex disertis eius verbis. « Non est ignorandum, libros in Testamento positos (ἐνδιαθήκους), *ut Hebraei tradiderunt,* esse viginti duos,

(1) « Scio Scripturam Enoch non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur » Tertull. l. c.

quantus penes ipsos numerus est litterarum... sunt autem hi viginti duo libri *iuxta Hebraeos* sequentes » etc. Est idem deinde evidens ex modo ipso numerandi; non solum enim servat studiose numerum hebraicarum litterarum, et ad hunc finem, ita ut penes Iudaeos minime vero apud Christianos fieri constat, coniungit plures libros in unum; sed etiam indicat singulorum appellationes Hebraeis solemnes: Genesis « apud Hebraeos ex libri initio Bresith;... Iudices, Ruth apud ipsos in uno Sophetim; Reg. I. II. apud ipsos liber unus Samuel » etc. Denique non hunc Hebraeorum sed alium canonem ampliorem penes Christianos ab Origene agnitum fuisse, constat ex diserta eius doctrina in epistola ad Africanum et ex modo, quo libris omnibus s. Scripturae utitur (supra p. 416.) (1).

Idem fuisse Melitonis consilium designandi scilicet libros a Iudaeis admissos, colligitur ex adiunctis. Nam Onesimus Episcopus pro quo Melito et catalogum et excerpta ex libris in catalogo indicatis composuit, desiderabat discere, quot et quales essent libri penes Synagogam. De *veteris* inquam Testamenti libris quaerebat Onesimus et respondebat Melito, uterque nihil sollicitus de libris novi Testamenti; et ex Lege ac Prophetis postulabat ille excerpta « de Salvatore et universa fide nostra, » idque ex studio fidei et doctrinae ad pugnandum pro religione christiana (περι της αιωνιου σωτηριας αγωνιζομενος). Melito autem « profectus in orientem et ad ipsum locum, in quo haec (i. e. illa quae Onesimus quaerebat) praedicata et facta sunt, diligenter exquisivit libros V. T. (nihil de novo Testamento) eorumque indicem descripsit. »

Atqui *a*) studium tam sollicitum de libris tantummodo

(1) Quod legitur de Princip. l. IV. n. 33. librum Sapientiae non ab omnibus recipi in auctoritatem, non Origeni sed Rufino interpreti tribuendum est, qui maxime in his libris de Princip. vertendis liberius versatus est. Docetur ibi, *materiam* ὕλην in Scripturis numquam occurrere sensu philosophico nisi in Sap. quae Salomonis dicitur, quo in contextu pronum erat Rufino addere id, quod suo tempore aliqui et, ut videbimus, Rufinus ipsemet sentiebat de auctoritate libri. Origenes quanta frequentia sine ulla dubitatione usus sit cum suo magistro Clemente hoc libro Sap. tamquam Scriptura divina, ostensum est supra l. c.

veteris Testamenti, et cognoscendi accurate quae in illis libris sunt de Salvatore et religione christiana, atque ardor pugnandi pro hac aeterna salute, ob quem Onesimus a Melitone laudatur, plane indicant scopum polemicum defendendi religionem christianam adversus Iudaeos, eiusque veritatem demonstrandi ex libris ab ipsis Iudaeis admissis, ut eadem aetate et in eadem Asia minori factum est prolixo opere a Iustino, qui dialogum cum Tryphone Ephesi habuit teste Eusebio l. IV. c. 18. Ad hunc utique scopum opus erat perspectum habere canonem Iudaeorum, ut Iustinus et postea Origenes monuerunt (cf. supra p. 413). *b*) Quod Melito ad cognoscendos libros V. T. in Palaestinam profectus est non forte eo, quod inde religio et praedicatio christiana exordium sumpserit, sed quod illic data fuerit et acta revelatio et historia veteris Foederis, pariter persuadet, eum Iudaeorum canonem exquisivisse; quod enim ait, se ad locum profectum esse, in quo res illae praedicatae et gestae sunt, perinde est ac si diceret, se gentem ipsam adiisse, in qua praedicatio illa vetus primum facta est. De librorum scilicet numero non ex loco, sed a gente aliquid discere potuit (1). Canonem profecto christianum Melito et Onesimus Episcopi Asiae minoris, ubi Apostoli Petrus, Paulus, Ioannes Ecclesias fundaverant, iam aliunde perspectum habebant; nec opus erat adire locum, ubi vetera illa praedicata et gesta erant, et illic « diligenter discere libros veteris Testamenti. » *c*) In canone Christianorum ab Apostolis tra-

(1) Quomodo Melito canonem a Iudaeis exquirens librum Esther omittere potuerit, causam indicavimus supra (p. 394. nota 2.). Si Rabbinorum narrationibus fidi posset, optima ratio redderetur alia. Auctor vetusti operis Iudaici *Bereschit Rabba* narrat, tempore Rabbi Meir in tota Asia (penes Iudaeos) ne unum quidem exemplar libri Esther inventum fuisse (Morin. Exercit. l. II. exerc. 22. c. 6. n. 10; Branca de Vulg. auct. T. I. p. 424). Iste R. Meir in Talmude traditur mortuus circa annum mundi 3890. i. e. aerae christianae anno 130. atque adeo aetate Melitonis (Bartolocci Biblioth. Rabbin. T. III. p. 302; Wolf Biblioth. hebr. T. II. p. 850.). Quod ergo tum temporis Melito librum Esther non reperit penes eos, a quibus canonem exquirebat, confirmat (si vera est narratio) egregie nostram sententiam, Melitonem quaesivisse penes Iudaeos canonem Iudaeorum.

dito Melito non eos solos libros habuit, quos in canone a Iudaeis accepto descripsit, quantum constat ex modo, quo in « Clavi s. Scripturae » citat libros deuterocanonicos absque discrimine aeque ac protocanonicos tamquam partes s. Scripturae (vid. supra p. 416). Denique *d*) quinam erant Christiani medio saec. II, qui libros tantum protocanonicos admitterent? Penes Ecclesias ex gentibus seu secundum harum ritum constitutas non reperisset Melito aliam Scripturam, quam quae ubique terrarum ab Apostolis tradita erat in editione graeca Alexandrina; Christiani iudaizantes tempore Melitonis (1) iam nulli erant nisi sectarum haereticarum. At apud has canonem certe non quaesivit; et si id contenderetur, perinde nobis esset ab his sectis vel a Iudaeis catalogum ss. librorum repetiisse. Maneat ergo, quod diximus de recensione canonis Iudaici et non christiani facta a Melitone. Quod vero Eusebius ait, Melitonem confecisse catalogum librorum V. T. qui apud omnes in confesso sunt, των ὁμολογουμενων, nullam creat difficultatem; ea enim distinctio in ὁμολογουμενους et ἀμφιβαλλομενους quoad libros V.T. non ad Melitonis sed ad Eusebii aetatem refertur.

Fragmentum Muratorianum (Galland. II. p. 208.) non veteris sed novi Testamenti catalogum exhibet. De libris V.T. nihil ibi aliud habetur, nisi quod una cum libris novi Testamenti inter Scripturas computatur « Sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta. »

Dubitationem singularem Africani nihil ad indicandam ortam iam tunc controversiam sed magis ad oppositum pertinere, iam supra demonstravimus.

In Constitutionibus Apostolicis l. II. c. 57. non completum Scripturarum canonem describere, sed summatim libros in synaxi legendos indicare propositum est. Qui enim secus fit, ut nec protocanonici Ruth et Esther, et in N. T. nullae ex epistolis catholicis nominentur? Ceterum quantum generalis ille modus indicationis permittit, etiam omnes deuterocanonici V. T. ibi comprehensi reperiri possunt (2). Ubi

(1) Defunctus est Melito post annum 170 aut 171, quo Marco Aurelio apologiam pro Christianis obtulit.

(2) Locus ita est: « Medius autem lector stans in loco excelso legat

enim dicitur, legendos esse libros qui pertinent ad reditum ab exilio (τα της ἐπανοδου), facile intelligi possunt non modo libri Esdrae, sed etiam omnes historici scripti post Artaxersem (cf. Iosephum contr. Apion. II. c. 8.). Nomine autem Salomonis comprehendi libros quinque (i. e. etiam Sap. et Ecclesi.) apparet ex ipsis Constitutionibus l. IV. c. 11; VI. c. 15. 30. etc., ubi Ecclesi. et Sap. simul cum Prov. expresso etiam nomine Salomonis citantur; librum Baruch more solito sub Ieremia includi, constat ex l. V. c. 20; VI. c. 23.

Canon apostolicus 85. huc non pertinet utpote consentientibus criticis, saeculo III. longe posterior.

Nulla igitur ante saeculum IV. exstat certa memoria alicuius controversiae.

II. Putamus primam occasionem inquisitionis, cui usus et praxis Ecclesiarum in omnibus hisce libris V. T. recipiendis non amplius sufficere videretur, unde apud aliquos doctores dubia excitata sunt, utrum de libris in canone hebraico non exstantibus aeque certo constaret, atque adeo controversiam in suo exordio repetendam esse ex Origenis recensione et comparatione Scripturarum ut erant in graeca et ecclesiastica editione, cum textu hebraico.

1°. Id probatur ex nexu synchrono ortus controversiae cum amplissima diffusione recensionis Origenianae. A saeculo III. exeunte ad medium saec. IV. hexaplaris editio Origenis, ubi, quae deessent in hebraico textu, obelis transfixa notabantur, propagata erat ita, ut non modo « in eruditorum libris reservaretur » (Hieron. ad Sunn. et Fretel. ep. 106. n. 2.), sed etiam omnes Ecclesiarum bibliothecas occupaverit; et si quis eam abolere vellet, quemadmodum ait s. Hieronymus, « omnes Ecclesiarum bibliothecas damnare cogeretur; vix enim unus aut alter inveniebatur liber, qui ista non ha-

libros Moysis et Iesu Nave, Iudicum et Regum, Paralipomenon, et qui pertinent ad reditum (ab exilio), ad haec Iobi et Salomonis et sexdecim prophetarum. Binis autem lectionibus peractis alius canat Davidis hymnos, et populus extrema versuum succinat. Postea Actus nostri (Apostolorum) legantur et epistolae Pauli adiutoris nostri, quas scripsit Ecclesiis ductu Spiritus Sancti, et post haec diaconus vel presbyter legat Evangelia. »

beret » (ad Aug. ep. 112. n. 19); iamque « omnes Christi Ecclesiae tam Graecorum quam Latinorum Syrorumque et Aegyptiorum hanc sub asteriscis et obelis editionem legerent » (Hieron. praefat. in Dan. T. V. p. 622.). In tanta autem horum exemplarium cum suis obelis propagatione simul proposita erat velut provocatio, ut diligentius inquireretur, qua ratione tam multa legerentur in editione ecclesiastica, quae ab Hebraeis non agnoscerentur. Atqui hoc ipso tempore primum audita est divisio librorum veteris Testamenti in ὁμολογουμενους qui essent in confesso apud omnes, et ἀντιλεγομενους quibus contradiceretur, quam forte primus explicite declaravit Eusebius l. VI. c. 13, homo assiduus in operibus Origenis. Accedit quod illa controversia et librorum distinctio se continuit intra limites Ecclesiae graecae, ubi graeca editio sola exstabat, et cum signis Origenianis propagata est in bibliothecis Ecclesiarum. Contra vero in occidente editio ecclesiastica *latina* diu ante Origenis recensionem derivata ex graecis exemplaribus adhuc illa signorum supellectili destitutis, perseveravit in publico usu esse absque signis Origenianis saltem usque ad s. Hieronymum (1). Quod enim ipse de latinis lectoribus codicum Origenariorum ait, intelligi debet de graecis codicibus apud Latinos etiam propagatis. Hinc eadem illa vetus editio latina absque ullo discrimine cum libris protocanonicis immixtos continens deuterocanonicos felici et fortissimo velut aggere irruptionem illius controversiae et haesitationis a doctoribus occidentalis Ecclesiae arcebat. Re etiam vera nullam videmus umquam in occidente dissensionem nisi apud s. Hieronymum, qui evidenter nititur comparatione cum libris Hebraeorum, et aliquam controversiae indicationem ex Graecis translatam apud Hilarium et Rufinum. Quisque iam

(1) Hieronymus antequam ipse ex textu hebraico biblia latine verteret, instituit etiam emendationem veteris editionis latinae additis siglis diacriticis; sed in hoc labore non attigit ullo modo libros deuterocanonicos; nec editio ita emendata nisi aliquot librorum in vulgus exiit, nec umquam videtur fuisse late diffusa, si Psalterium excipiatur, quod secundis curis Hieronymi iuxta LXX. emendatum adhuc nunc habemus in Vulgata.

videt, tum conditionem graecae editionis Scripturarum eo tempore, quo primum occurrit vestigium controversiae, tum diversum statum quaestionis in occidente et in oriente conspirantem cum ipso diverso statu editionis ecclesiasticae in utraque parte Ecclesiae vehemens esse indicium, si non est certa demonstratio, controversiam ex ea quam diximus occasione, ortum habuisse (1).

2°. Ad eandem controversiae originem suadendam liceat addere animadversionem, quae saltem coniecturae loco valeat. Mirum videtur, graecos doctores omnino plures librum Esther, qui sine dubio est in canone hebraico, non computare cum libris canonicis, sed cum iis qui in quaestionem vocati sint (ἀντιλεγομενοι). Ita Athanasius, Nazianzenus, Amphilochius, Synopsis Athanasiana, Leontius, Nicephorus. Contra vero librum Baruch, qui iam diu inter hebraicas Scripturas non amplius exstat, collocant in suis catalogis expresso nomine inter libros ab omnibus admissos Athanasius, canon 60. Laodicenus, Cyrillus Hierosolym., Nicephorus Constantinopolitanus (inter scriptores Byzantinos post chronograph. Syncelli; apud Pithoeum cod. canon. p. 348; apud Montfauc. Bibl. Coislian. p. 204.); alii comprehenderunt Baruch sub nomine Ieremiae, ut ex modo citationum constat. Eâdem ratione inter libros extra dubitationem positos referunt partes deuterocanonicas Danielis, ut tum ex Synopsi Pseudo-Athanasii et Chrysostomi (T. VI. p. 389.) tum ex citationibus clarum est. Atqui totus hic modus valde singularis librum unum, qui exceptis paucis

(1) Quisquis aliqua attentione comparaverit statum quaestionis de canone V. T. ante et post Origenem, vel etiam solum consideraverit dubitationes Patrum saeculi IV. et V, imo quisquis noverit, quid fuerint et spectaverint hexapla; non poterit non mirari de hac recentiorum quorundam assertione, audeo dicere, absurda. « Origenes praeprimis effecit, ut fixus canon Scripturarum constitueretur... Per eius hexapla horumque auctoritatem et diffusionem libri deuterocanonici exclusis dubitationibus universalem usum in Ecclesia nacti sunt. Quodvis dubium in eorum usu disparuit, atque ita canon integer V. T. in ea extensione, qua illum adhuc habemus, potissimum operâ Origenis ab omnibus susceptus est » Lexic. Eccles. Friburg. T. VII. p. 835. sub v. Origenes. Ita eruditi aliquando historiam non narrant sed confingunt.

capitibus est in canone Hebraeorum, collocandi inter eos qui apud Hebraeos non sint, et ita inter ἀντιλεγομενους; vicissim vero librum alterum qui in hebraeo non exstat, et libri adhuc tertii partes deficientes in canone Hebraeorum, connumerandi libris penes Hebraeos admissis et ita ὁμολογουμενοις, totus inquam hic distributionis modus plenissimam habet explicationem in hypothesi; quod Origenis hexaplaris editio illis doctoribus pro norma fuit in censione canonis; hac autem hypothesi non admissa explicari vix potest.

Nam librum Baruch repererat Origenes versum a LXX interpretibus in linguam graecam, atque ideo signa ei apposuit non velut libro deficienti sed velut exstanti in textu hebraico. Constat id ex celebri codice Chisiano, ex quo Simon de Magistris edidit librum « Daniel secundum LXX. » Ibi p. 112 post Ieremiam exstat liber *Baruch* « secundum LXX » (1). Iamvero illic non singulae lineae obelo ÷ transfixae sunt, ut fit in libris hebraice non repertis; sed imo solum hinc inde in quibusdam locis per obelos ÷ indicatur differentia versionis LXX ab hebraico textu, quem ergo Origeni adhuc praesto fuisse recte colligimus. Ita mihi vir doctus bibliothecae Chisianae praefectus testatus est. « Obeli ÷ solum hinc inde in quibusdam locis reperiuntur, rari admodum lemnisci. » Insuper in codice syriaco hexaplari bibliothecae Ambrosianae exstant huius eiusdem libri Baruch lectiones variae ex Theodotione additis signis Origenianis (Eichhorn Repertor. T. III. p. 170.). Theodotion ergo versionem graecam instituerat, ac proinde textum hebraicum saeculo II. superstitem fuisse dicendum est. Accedunt ad confirmationem dicta veterum. Ab ipso Origene in catalogo quem describit ab Hebraeis adoptatum (Euseb. VI. 25.), ponitur « Ieremias cum lamentationibus et epistola (i. e. cum nostro cap. VI. Baruch) in uno libro; » in Const. Apostol. l. V. c. 20. affirmatur, eo adhuc tempore (saeculo III.) Baruch legi consuevisse in synagogis,

(1) In fine libri adscripta est adnotatio Βαρουχ ὁλος ὠβελισται κατα τους ο: Nempe textus LXX per totum collatus est cum textu hebraico et suis locis obelis distinctus.

et Epiphanius (forte ex Origene) ponit Baruch inter libros, quos habebant Iudaei reduces ab exilio (Haeres. VIII, n. 6.).

Porro partes Danielis quae nunc hebraice non amplius supersunt, non secus ac librum Baruch reperit Origenes versas a LXX, et eas non obelis ÷ sed partim lemniscis ∻ notavit, partim reliquit absque siglis, ut designarentur velut exstantes in textu hebraico, quemadmodum palam facit idem codex Chisianus, ex quo Simon de Magistris versionem Danielis secundum LXX et secundum Theodotionem cum signis Origenianis edidit. Theodotionem illas partes vertisse in graecum alioquin constat (iuxta Theodotionem enim habemus eas in nostra Vulgata); exstitisse autem etiam versionem Aquilae et Symmachi colligit de Magistris ex ipso codice Chisiano, in quo primis versibus c. 13. h. e. historiae Susannae adduntur lemnisci ∻ cum litteris Α. Σ. Θ. quibus significetur tres interpretes Aquilam, Symmachum, Theodotionem sensu convenire cum LXX. (Daniel secundum LXX. p. 77. 81.).

In hoc igitur statu editionis hexaplaris (1) non est mi-

(1) Hexapla Origenis sex columnis continebant 1. textum hebraicum litteris hebraicis, 2. eundem textum litteris graecis, 3. versionem Aquilae, 4. Theodotionis, 5. Symmachi, 6. versionem ecclesiasticam LXX, ad cuius correctionem, et ad exhibenda ea omnia, quibus haec versio a textu hebraico discreparet, totum opus maxime spectabat. Ideo in hac versione ecclesiastica si quid esset, quod deerat in hebraico, apposuit Origenes obelos ÷; si quid in ea deesset, quod exstabat in hebraico, illud supplevit ex aliis versionibus addito asterisco *; lemnisci ∻ autem (de quibus eruditi disputant) probabilius addebantur « iis locis, quae s. Scripturae interpretes eodem sensu sed diversis sermonibus transtulerunt », ut ait s. Isidorus Origin. I. c. 20. (de Magistris l. c. p. XXIV.). Iam vero non est putandum, ipsa hexapla quae ultra 50. volumina magnae molis implebant, tam late propagari potuisse, ut supra indicavimus; sed solus textus graecus versionis ecclesiasticae LXX cum suis signis diacriticis per Ecclesias diffundebatur. Hinc patet, quomodo Baruch et partes Danielis, etiam quando textus hebraicus non amplius supererat, ex additis vel non additis signis in versione hexaplari, a multis potuerint credi adhuc exstantes in canone Iudaeorum.

Praeter hexapla edidit Origenes adhuc tetrapla et octapla, quorum priora comprehendebant quatuor columnis quatuor versiones graecas, in

rum, a doctoribus quibus illa pro norma erat, Baruch et partes deuterocanonicas Danielis poni inter libros ab omnibus admissos. Contra vero initium libri Esther in hexaplari editione erat somnium Mardochaei (in Vulgata c. XI) (1) praefixis obelis ÷ per integrum caput, ut nunc adhuc comparet in codice Arundeliano edito ab Usserio (Syntagma de LXX versione etc. Londini 1655. p. 111. 112.). Obeli vero significabant, locum non exstare in textu hebraico. Inde pronum erat, ut illa hexaplari norma semel praestituta doctores iidem librum Esther simpliciter ad ἀντιλεγομένους numerarent.

3°. Denique magna consensione doctores illi, qui hanc de libris deuterocanonicis controversiam indicant, appellant ad numerum 22 litterarum hebraicarum, atque hoc ipso modo numerandi ostendunt, se pendere a censione hebraica. Ita libros numerant non solum illi, qui evidenter canonem exhibent hebraicum, ut Origenes, Epiphanius, Hilarius, quos imitantur Cassiodorus, Beda, Anastasius Sinaita iunior, Primasius, Agobardus; sed eidem numerationi insistunt etiam alii, qui de libris agunt quatenus apud Christianos unanimi consensu recipiuntur, ut Athanasius, Cyrillus Hierosol., Synopsis Athanasiana; iidemque indicant illam plurium librorum in unum coagmentationem, quam in censione Hebraeorum observari ab Origene didicerant. Imo etiam disertis verbis aliquando significant, rationem ponendi librum inter admissos ab omnibus vel inter controversos ex eo pendere, utrum is liber sit vel non sit in canone hebraico. Ita auctor Synopsis Athanasianae primum ponit Esther inter libros, qui non censentur in canone, leguntur tamen catechumenis; tum subdit: « aliqui tamen veterum dixerunt, apud Hebraeos etiam Esther poni in canone, hinc vero Ruth ut unum librum computari

posterioribus ad hexapla additae erant in duabus ulterioribus columnis versiones quinta (reperta in doliis Hierichunte sub Caracalla) et sexta (inventa Nicopoli ad Actium sub Alexandro Severo).

(1) Etiam in Synopsi Athanasiana quae librum Esther seiungit a canonicis, diserte assignatur hoc libri initium: « Anno secundo regnante Artaxerxe, prima die mensis Nisan etc. » quod est nostrum caput XI. v. 2. sq.

cum libro Iudicum, atque ita iterum numerum 22 expleri librorum, qui apud ipsos sunt in canone. » Atqui utrum liber aliquis in canone Hebraeorum admissus sit an secus, iidem doctores imprimis intelligebant ex signis hexaplaribus Origenis. Omnibus igitur consideratis omnino prima occasio controversiae ab illa Origenis editione repetenda esse videtur (1).

THESIS XIII.

Patres saeculi IV. et V. catalogos librorum Scripturae deficientes exhibent non velut canones conclusos sed velut supplendos.

« De libris veteris Testamenti, qui in hebraica censione non ex- » stant, hic IV. et V. saeculi erat status quaestionis: 1°. Patres complu- » res illius aetatis indicant controversiam aliquam de hisce libris fuisse » inter ipsos doctores catholicos; attamen 2°. nullus Patrum rata sen- » tentia umquam negavit, illos libros inter sacras Scripturas recensen- » dos esse; unde canones deficientes IV. et V. saeculi non ad negationem » pertinent sed ad stadium inquisitionis ante definitivum iudicium, et » scopum habent complectendi solos libros ab omnibus sine controversia » admissos pro divinis, excludendi certo non divinos, designandi con- » troversos, prae quibus canones non conclusi erant, sed postmodum re » eliquata supplendi. »

In hac thesi declaramus genuinum sensum illorum Patrum, qui canones Scripturarum exhibent deficientes. Et primum quidem ipsa eorum testimonia describemus, ex qui-

(1) Hanc sententiam de statu quaestionis ante Origenem et de ortu controversiae non ante saeculum III. labens aut IV. iniens nos quidem convicti rationibus, quas exposuimus, veram aut saltem probabilissimam putamus; sed longissime absumus, ut existimemus ab ea pendere defensionem theologicam canonis Scripturarum. Eius certitudo nititur fundamentis multo firmioribus. Etiamsi enim dubia quae de libris deuterocanonicis comparent saeculo IV, pertingerent usque ad saec. III. et II; id quidem mirum videretur, sed non ideo iudicium Ecclesiae infallibilis minus firmum, et ex eo Traditio apostolica minus certa maneret. Haec animadversio non fuisset necessaria pro iis, qui dignantur nostras theses invicem conferre; sed non defuerunt, qui obiicerent, nostram defensionem canonis totam niti hac explicatione duplicis status controversiae prioribus saeculis, quam ipsi dicunt incertam hypothesin. Appelletur hypothesis, si placet; quamvis ea rationibus firmior videatur quam multae

bus manifestum erit, non posse probari illorum theologorum sententiam, qui affirmant omnes hos Patres nihil aliud quam historice tantummodo canonem Hebraeorum referre voluisse; cum ipsa verba Patrum clarissime exhibeant controversiam, quae erat inter Christianos. Tum altero loco statuemus certa principia ad verum sensum illorum canonum intelligendum.

I. Sunt aliquot Patres, qui re ipsa non Christianorum sed tantummodo Iudaeorum sententiam referunt de numero librorum Scripturae, et qui propterea ad praesentem quaestionem nullo modo pertinent, nec ullam circa canonem Ecclesiae creare possunt difficultatem. Imprimis praeter Melitonem et Origenem (th. XII. n. I) a censu Patrum qui difficultatem creare possent, seiungendus est Epiphanius, qui Haeres. VIII. n. 6. et l. de Ponder. ac mensur. n. 4. 22. 23. profitetur se canonem describere, ut a Iudaeis receptus est. Haeresi vero LXXVI. confut. 5. T. I. p. 941. solum summatim nominat libros viginti septem V. T. ac cum illis libros *Sap. Ecclesi.* et dein in confuso « omnes universim Scripturas divinas. » Seiungendus etiam Hilarius, qui directe non agit de canone Scripturarum, sed de mystica significatione et plenitudine numeri 22 secundum litteras hebraicas, eâque occasione describit 22 libros Hebraeorum, ut penes eos numerari ab Origene acceperat. Tantum vero abest a sententia, ac si illa plena esset numeratio omnium librorum divinorum, ut si numerus litterarum graecarum et latinarum assumatur, duos libros *Tobiae* et *Iudith* illis 22 addi posse moneat ad numerum 24 complendum (Hilar. praefat. in Pss. n. 15. T. I. p. 10.).

Reliqui sunt, qui potissimum difficultatem creare existimantur ex IV. et ineunte V. saeculo, Athanasius ep. festali T. I. p. 961. ed. Maur. Paris 1698; Gregorius Naz. carm. 12. al. 34. T. II. p. 259. ed. Maur.; Amphilochius in iambis ad Seleuc. ibid. p. 1103; Cyrillus Hieros. catech. IV.

aliae sententiae, quae a nonnullis appellantur theses demonstratae; neque tamen ideo theologicam demonstrationem dogmatis, sed tantummodo aliquam explicationem obortae olim controversiae et modi Traditionis in ea constituimus.

n. 33. sqq.; Synopsis Athanasio tributa (inter Opp. T. II. p. 126); Canon Apostol. 85us. (al. 84. vel 76. Coteler. PP. App. T. I. p. 448; Hard. Concil. I. p. 30); Concilium Laodic. can. 60° Hard. I. p. 791; Hieronymus Praefat. in ll. Salomonis (cf. Prolog. galeatum, Praefationes in Esdr., Tob., Iudith, Paralipomen., Prolog. in Ierem.); Rufinus de Symbol. n. 37. 38.

Quoniam interest ipsa verba prae oculis habuisse, testimonia praecipua transcribam.

Athanasius l. c. ita loquitur (1). « Quia vereor, ne aliqui.... de cetero *impingere incipiant in libros dictos apocryphos* decepti nominum cum genuinis libris similitudine,... monens scribo propter necessitatem et utilitatem Ecclesiae... Evangelistae Lucae forma utar dicens et ego: quoniam quidem *aliqui conati sunt ordinare sibi, quae apocrypha dicuntur*, et haec immiscere Scripturae divinitus inspiratae, de qua plenam habemus persuasionem, sicut Patribus tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis; visum est et mihi... ordine exponere libros in canone positos, et traditos, et divinos creditos... Sunt igitur V. T. libri omnes numero 22; tot enim etiam litteras, ut audivi, apud Hebraeos esse traditum est. Ordine ac nomine singuli sunt ita. Primus Genesis... Iudices et post hunc Ruth; rursum ex ordine quatuor Regum, quorum primus et secundus in unum librum computantur, tertius et quartus pariter in unum... Prophetae duodecim (minores) in unum librum numerati; dein Isaias, Ieremias et cum ipso *Baruch*, Lamentationes, *epistola*... Hactenus V. T. libri sistuntur. » Numerat scilicet omnes protocanonicos excepto l. Esther et addito l. Baruch. Tum ponit catalogum omnium librorum N. T. et concludit: « Hi sunt salutis fontes, ut qui sitit, horum eloquiis impleatur; *in his solis pietatis doctrina annuntiatur; nemo iis addat,* neque ab iis aliquid subtrahat. De his Dominus

(1) Epistolam festalem genuinum Athanasii foetum esse Maurini non dubitant T. I. p. 958. cf. etiam Ceillier T. II. p. 280; cl. Vincenzi contra suadere conatur, eam non esse Athanasii (Sessio IV. Trident. Conc. vindicata p. 103).

Sadducaeos pudore affecit... Sed maioris accurationis causa scribendo etiam illud *necessario addo, quod scilicet sunt etiam alii libri extra hos, non in canonem quidem redacti, sed a Patribus designati, ut legantur recenter accedentibus et volentibus institui in doctrina pietatis:* Sapientia Salomonis, et Sapientia Sirach, et Esther, et Iudith, et Tobias, et doctrina quae dicitur Apostolorum, et Pastor. At vero, dilecti, *dum et illi sunt in canone et hi leguntur, nuspiam apocryphorum mentio habetur,* sed haereticorum sunt commentum... ut velut vetera proferentes occasionem habeant fallendi simplices. »

Synopsis Athanasiana in numerandis libris sequitur ipsum genuinum Athanasium. Nonnulla tamen singillatim circa illam observanda sunt. Statim initio declarat, sermonem esse de libris Scripturae, qui sunt penes Christianos. « Omnis nostra Christianorum Scriptura divinitus inspirata est; libros autem non indefinitos habet, sed definitos et certo canone comprehensos. » Numerat deinde 22 libros ut Athanasius, indicans singulorum initium, ex quo videmus partes deuterocanonicas Danielis et Esther non distingui a partibus protocanonicis; l. Daniel enim incipit ab historia Susannae (Vulg. c. XIII.), l. Esther a somnio Mardochaei (Vulg. c. XI. v. 2); ille totus inter 22, hic sicut apud Athanasium totus extra eum numerum ponitur inter libros, «qui non sunt quidem in canone sed leguntur tantum, » et « quibus contradicitur » (l. c. p. 168. 201). Additur nihilominus monitum p.129, « iuxta quosdam veterum hunc librum Esther apud Hebraeos inter canonicos censeri; » propterea admisso illo in canonem, iungendum esse librum Ruth cum libro Iudicum, ut maneat numerus 22. In enumeratione librum Baruch non nominat, sed in analysi subiecta catalogo recenset p. 167 cum Ieremia « et *Baruch* et Lamentationes et *epistolam;* » unde manifestum fit, in catalogo haec omnia comprehendi nomine Ieremiae.

Post libros in canone positos sequitur duplex alius ordo tam veteris quam novi Testamenti: ponuntur nempe *a*) libri quibus contradicitur (ἀντιλεγομενοι), *b*) apocryphi.

Ad libros controversos seu ἀντιλεγομένους pertinent « Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, Esther, Iudith, et Tobias. Cum his etiam numerantur sequentes: Machabaeorum libri quatuor, Ptolomaici, Psalmi et canticum Salomonis, Susanna. Hi sunt libri controversi V. T. » Sequitur classis apocryphorum, inter quos sunt « libri Sophoniae prophetae, Zachariae patris Ioannis, Baruch, Habbacuc, Ezechiel, Daniel falso inscripti » (ψευδεπιγραφα) (1).

Gregorius Naz. et *Amphilochius*, si carmen ad Seleucum Amphilochii est et non etiam ipsum Gregorii, monent imprimis sicut Athanasius et auctor Synopsis, catalogum ss. librorum se designare, ut fideles ab apocryphis sibi caveant, librorum inquam, quos in canone esse iam certo constet. Ita Gregorius: « ne peregrinis libris decipiaris mente; sunt enim multa prava figmenta sub falsis inscriptionibus: accipe, amice, hunc a me numerum librorum, qui definito iudicio inserti sunt » τον ἐγκριτον ἀριθμον. Numerat eosdem 22, quos Athanasius omittens et ipse librum Esther, et in N. T. recenset omnes omissa Apocalypsi. Tum concludit: « habes omnes; si quid extra hos est, non est in genuinis Scripturis » (ὀυκ ἐν γνησιαις). In carmine ad Seleuc. eadem est Scripturarum numeratio; liber Esther vero dicitur poni a quibusdam in canone ut certus, τινες προσεγκρινουσι; in libris N. T. indicatur controversia de epp. Heb. 2. Pet. 2. et 3. Io. Iud. et de Apocalypsi; epistola vero Iacobi numeratur inter Scripturas indubitatas. Conclusio: « hic *certissimus* fuerit canon Scripturarum divinitus inspiratarum » ὀυτος ἀψευδεστατος κανων ἀν ἐιη των θεοπνευστων γραφων.

Cyrillus Hieros. eodem prorsus modo ut Patres hactenus commemorati, haec duo significat, videlicet in recensendo catalogo librorum sacrorum scopum sibi esse praefixum praemuniendi catechumenos ab apocryphis, nec alios numerandi quam libros unanimi consensu ab omnibus admissos. « Stu-

(1) Patet per se, libros Susannae, Baruch etc. hic memoratos diversos esse a genuinis, quos supra posuit inter canonicos. Liber Baruch apocryphus syriace exstat in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus (T. IV.) sub nomine *Epistolae primae*.

diose ab ipsa Ecclesia disce, qui sint veteris Testamenti libri, qui vero novi; *nec quidquam apocryphorum legas.* Qui nescis, *quae apud omnes in confesso sunt, quid circa dubia frustra laboras* (1)? Lege divinas Scripturas, illos 22 libros V. T. a LXXII interpretibus translatos... Horum 22 libros lege, *cum apocryphis autem nihil habeto commune.* Hos solos studiose meditare, quos etiam in Ecclesia *cum certa fide* (μετα παῤῥησιας) legimus. Multo prudentiores et religiosiores te erant Apostoli et veteres Episcopi, Ecclesiae praesides, qui eos tradiderunt. Tu ergo, Ecclesiae filius cum sis, ne transponas terminos. » Sequitur recensio librorum V. T. secundum numerandi modum Hebraeorum; cum Ieremia vero ut librum unum ponit « Baruch et Lamentationes et epistolam, » sicut ab Athanasio factum esse vidimus. Esther numerat inter 22 canonicos, et ideo ad numerum servandum iungit Ruth cum Iudic. in unum. In N. T. ponit omnes excepta Apocalypsi. Concludit: « reliqua omnia extra sunto *in secundo loco,* et quae in Ecclesia non leguntur, ea neque privatim legas, sicut iam audisti. » Indicat videlicet Cyrillus, quod alii Patres illius aetatis distincte docent, tres esse ordines librorum, primo loco 22 ex canone Hebraeorum, secundo loco alios libros *legendos,* tertio apocryphos qui in Ecclesia non leguntur, nec privatim legendi sunt. Quod ait editor Opp. Cyrilli Touttée, *in secundo loco* ἐν δευτερῳ idem esse ac *in nullo loco,* tum per se absurdum est nec ullo modo exemplis ab eo allatis probatur, tum repugnat doctrinae omnium Patrum illius aetatis ac praxi omnium Ecclesiarum et ipsius Cyrilli sententiae, qui libris extra numerum 22 positis tamquam Scriptura sacra utitur in hoc ipso catecheseon opere (vide p. 417.).

Hieronymus in Prologo galeato recenset solos libros V. T. qui adhuc exstant in hebraico textu, quos omnes in latinum vertendi tum iam consilium inierat. *His itaque libris qui hebraice supersunt,* iste prologus, inquit, est « velut galeatum principium, ut scire valeamus, *quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum.* Igitur Sapien-

(1) Ὁ γαρ τα παρα πασιν ὁμολογουμενα μη εἰδως, τι περι τα ἀμφιβαλλομενα ταλαιπωρεις ματην.

tia quae vulgo Salomonis inscribitur, et Iesu filii Sirach liber, et Iudith et Tobias et Pastor (1) non sunt in canone. Machabaeorum 1[m]. librum hebraicum reperi; 2[us]. graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quae cum ita se habeant, obsecro te lector, ne laborem meum reprehensionem existimes antiquorum. » Qui igitur libri inter hebraicas Scripturas et in censione etiam Hebraeorum reperiuntur, dicuntur a s. Hieronymo esse in canone; qui vero in usu quidem sunt ecclesiastico sed extra illum numerum, dicuntur *apocryphi* non absolute, sed *prae illo canone* h. e. in illo numero non comprehensi. Hoc sensu relativo ad canonem librorum qui admittantur etiam ab Hebraeis et nullibi vocentur in dubium, nomen *apocryphi* h. l. intelligi debere, patet tum ex contextu tum ex addita monitione, ne quis hunc laborem quo solos libros hebraicos vertit, reprehensionem existimet antiquorum. His namque verbis satis indicatur, penes Christianos inde a prima antiquitate istud inter libros discrimen non fuisse agnitum. Patet deinde idem evidenter ex modo, quo ipse Hieronymus utitur libris extra Iudaeorum canonem positis (p.418. sq.), postremo ex diserta attestatione, qua s. doctor ipse hos libros in usu Ecclesiae christianae fuisse, confirmat in prologo ad libros Salomonis.

Hoc in prologo ad ll. Salom. simul prae oculis habet canonem Iudaeorum et usum Ecclesiae, atque inter utrumque discrepantiam conciliare conatur. Postquam indicavit libros Ecclesiastici et Sapientiae inter Hebraeorum Scripturas non admitti, haec subiicit. « Sicut ergo Iudith et Tobiae

(1) Quod nomine Pastoris Hieronymus non opus notissimum Hermae sed librum Iudaicum nemini auditum indicaverit, aut pro voce *Pastor* legendum sit *Philopator* et intelligatur 3[us] Machabaeorum, haec nihili sunt; quod in codice Urbinate nomen *Pastor* omittitur, commodum quidem sed vix probabile argumentum. Nihil succurrit melius, quam quod Hieronymus aliud agens inter dubios libros V. T. voluerit etiam obiter monere de hoc opere N. T. a nonnullis vetustis PP. citato sub nomine Scripturae.

Ridiculum est, quod legitur apud Ioannem Sarisburiensem (ep. 172. Bibl. Max. T. XXIII. p. 468.), ubi *Ieremias et B.* (Baruch) dicuntur vidisse et legisse librum Pastoris!!, qui ergo fuisset liber V. T. Sed probabiliter pro Ieremia et B. legendum *Ieronymus et Beda.*

et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit, sic et haec duo volumina legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. *Si cui sane LXX interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam; neque enim nova sic cudimus, ut vetera destruamus.* » Videlicet hos omnes libros habet Ecclesia in sua lectione, siquidem omnes accepit sibi traditos in editione ecclesiastica graeca Alexandrina; non tamen accepit eos in illo canone, qui hebraicas tantum Scripturas complectitur. Porro ex hoc ipso librorum defectu in canone hebraicarum Scripturarum de pari illorum auctoritate apud quosdam tum temporis quaestiones ortae erant; unde Hieronymus (Prolog. in ll. Salom. iuxta LXX. T. X. p. 436) eos appellat *libros dubios* in comparatione cum certis, quales erant Scripturae hebraicae. « In Sap. et Ecclesi. calamo temperavi, inquit, tantummodo canonicas Scripturas vobis emendare desiderans, et studium meum *certis magis quam dubiis* commendare. » Hinc factum est, ut non ubique et apud omnes pari confidentia adferri potuerint ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Ipsemet Augustinus qui certe hos omnes libros habuit in canone Ecclesiae Africanae, fatetur tamen quaestione nondum plene liquida, « *adversus contradictores* non tanta firmitate proferri, quae scripta non sunt in canone Iudaeorum » Civ. Dei XVII. c. 20. n. 1; idque fatetur simul attestans, libros eosdem « ab Ecclesia maxime occidentali antiquitus in auctoritatem recipi meruisse. »

Ex dictis clarum est, longe diverso sensu libros *apocryphos* appellari ab Hieronymo in Prologo galeato quam in aliis locis pluribus, ubi apocryphas Scripturas plane repudiat. Quando in Prologo ad Matth. T. VII. p. 6. appellat « apocryphorum naenias mortuis magis haereticis quam ecclesiasticis vivis canendas, » agit de apocryphis Evangeliis; quando in Is. LXIV. 4. T. IV. p. 761. et contr. Rufin. l. II. n. 25. T. II. p. 619. praecipit: « apocryphorum deliramenta conticeant, » respicit apocryphos libros, quales erant « Ascensio Isaiae » et « Apocalypsis Eliae. »

Simili modo loquitur de Pseudo-Esdra in Prolog. in Esdr. et contr. Vigilant. n. 7; de Evangelio Iacobi contr. Helvid. n. 8; de apocryphis libris nomine Patriarcharum et Prophetarum inscriptis contr. Rufin. T. II. p. 523; contr. Vigilant. l. c.; in Eph. V. 30. T. VII. p. 659. Plane ergo erravit, qui has omnes apocryphorum reprehensiones ad illa etiam pertinere dixit, quae in Prologo galeato apocrypha nominantur (Folia trimestr. Tubing. 1839. p. 291).

Vides apud s. Hieronymum eo fere modo, quo apud alios Patres huius aetatis et sententiae, distingui tres librorum classes: eorum qui sunt in canone hebraico et omnibus certi; eorum qui leguntur suntque in usu ecclesiastico, sed non sunt in canone hebraico, atque ex hac ratione dubii et *prae canone hebraico* apocryphi; postremo eorum qui certo ad Scripturas non pertinent, sed sunt apocryphi repudiandi.

Rufinus eadem habet, quae Patres graeci paulo ante citati et quae Hieronymus. Primum ait, velle se enumerare « novi ac veteris Testamenti volumina, quae secundum maiorum Traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur et Ecclesiis Christi tradita; » quae quidem sententia praefixa enumerationi *duplicis ordinis* librorum Ecclesiae traditorum, videtur omnino pertinere ad illum utrumque ordinem. Sequitur catalogus protocanonicorum V. T. et nullo dempto omnium librorum N. T. cum conclusione: « Haec sunt, quae Patres intra canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt. » Patres hic appellati non possunt esse alii praeter eos IV. saeculi, quos nominavimus. Prosequitur Rufinus: « Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non canonici sed *ecclesiastici* a maioribus appellati sunt, id est Sapientia quae dicitur Salomonis, et alia Sapientia quae dicitur filii Sirah... Eiusdem vero ordinis libellus est Tobiae, et Iudith et Machabaeorum libri... Quae omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras vero scripturas *apocryphas* nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. »

Ubinam ante Rufinum libri controversi a maioribus fuerint « *ecclesiastici* » appellati hoc expresso nomine ad distin-

ctionem a libris canonicis et extra controversiam positis, non apparet. Videtur Rufinus prae oculis habuisse distinctionem Eusebii scriptoris ipsi notissimi, cuius historiam verterat in latinum; ex Eusebio ergo declaratio huius appellationis petenda est. Is autem distinguit Scripturas canonicas quae numquam in controversiam vocatae sunt, et Scripturas de quibus a nonnullis dubitatur, quae tamen « *in plerisque Ecclesiis sunt publicae,* » « quae *plerisque sunt probatae,* » quae « *plerisque ecclesiasticorum virorum sunt cognitae* » Euseb. H. E. l. III. cc. 25. 31. Redit ergo distinctio Rufini in libros *canonicos* et *ecclesiasticos* ad illam alteram in libros ὁμολογουμένους, de quibus nulla umquam erat dubitatio, et in libros ἀντιλεγομένους, qui licet in usu essent publico tamquam Scriptura sacra, a quibusdam tamen in quaestionem vocabantur.

Reliqui sunt duo canones *Laodicenus LX.* et *ultimus inter apostolicos.* Laodicenus sive sit genuinus huius Concilii celebrati post medium saeculum IV. sive sit ei suppositus (1), nihil differt ab iis, quae ex aliis graecis PP. huius aetatis adtulimus. Primum scilicet severe proscribuntur libri apocryphi; tum recensentur libri, « quos legi oportet veteris Testamenti » 22 secundum numerationem hebraicam. Iungit autem, ut apud Athanasium et Cyrillum fieri vidimus, uno libro cum Ieremia « Baruch et Threnos et epistolas. » In N. T. concors cum Gregorio Naz. et Cyrillo Hierosol. recenset omnes excepta Apocalypsi.

(1) Ratio qua plures vetustiores et recentiores eruditi hunc canonem non genuinum esse putant, una fere est, quod collectores canonum saeculo VI, Dionysius Exiguus, Martinus Bracarensis, et inter Graecos Ioannes Antiochenus canones alios quidem huius Concilii, non tamen hunc 60ᵐ susceperunt in suas collectiones. Quod vero aliqui appellant ad vetustos graecos codices, qui habeant solum 59. canones Laodicenos, fallax est; in illis enim codicibus ut etiam in Nomocanone Photii (Mai Spicil. Rom. T. VII. P. II. p. 131.) ponuntur 59ᵘˢ. et 60ᵘˢ. ambo sub uno numero (Hefele Hist. Conc. T. I. p. 750.). Porro plures eruditi hoc Concilium ab Arianis Episcopis celebratum dicunt, et Theodosium Arianum existimant potissimum auctorem canonum, qui tamen deinceps, ad disciplinam quod pertinet, ab Ecclesia sint adoptati (Pagii Critica ad Annal. Baronii anno 314. n. 25. Opp. Baronii T. III. p. 587.).

Ultimus inter sic dictos canones apostolicos et, ut recentiores eruditi consentiunt, additus reliquis etiam tempore novissimus, nullius est auctoritatis non solum dogmatice sed etiam historice spectatus. Non habet auctoritatem dogmaticam; imprimis enim canones hi apostolici sin minus a Gelasio certe ab Hormisda Pontifice (Decret. de libris recipiendis) recensiti sunt inter libros apocryphos. Praeterea quamvis quinquaginta priores a Dionysio Exiguo latinitate donati paulatim etiam in occidentali Ecclesia fuerint suscepti, posteriores tamen 35 numquam admissi sunt. Nullius est auctoritatis historice, saltem si accipiatur ut recensio librorum sacrae Scripturae, multoque magis si intelligatur ut recensio plena. Sunt enim in hoc canone multa prorsus singularia, quae in nullo alio ss. librorum catalogo umquam visa, huius auctoris, quisquis fuerit, specialibus adiunctis vel singulari ingenio tribui debent. Huiusmodi sunt, quod licet omittat alios libros deuterocanonicos V. T., tamen ponit *tres* libros Machabaeorum, et secundum quosdam codices etiam Iudith in mediis libris protocanonicis; quod extra numerum protocanonicorum, ubi alii deuterocanonicos ponunt inter libros legendos, ipse memorat solum librum Ecclesiastici omittens etiam l. Sapientiae, licentia inaudita. Omnium vero alienissimum est, quod inter libros N. T. idque ante librum protocanonicum Actuum ponit duas epistolas Clementis et octo libros Constitutionum apostolicarum.

Ceterum ipsi Graeci, qui hunc etiam canonem in suo Concilio Trullano susceperunt velut ab Apostolis profectum, videntur illum intellexisse non ut recensionem librorum solius divinae Scripturae, sed ut catalogum librorum, qui sive ex libris Scripturae sive ex aliis maximae auctoritatis commendentur prae reliquis ad lectionem; certe numquam eum habuerunt ut canonem plenum librorum Scripturae. Nam non solum in ipso Trullano susceperunt ex synodis Africanis libros, qui in hoc canone apostolico praetereuntur (supra p. 439); sed etiam diserte reiecerunt Constitutiones apostolicas velut interpolatas ab haereticis, et neque has neque epistolas Clementis Ecclesia graeca umquam habuit velut partes Scripturae sacrae.

II. Expositis omnibus divergentibus catalogis librorum penes doctores orientales illius temporis, qui catalogi nec inter se consentiunt, nec cum canone Ecclesiae occidentalis nec cum usu communi totius Ecclesiae conveniunt; nunc demum opportunitas imo et necessitas nobis oritur hos canones deficientes comparandi cum constanti praxi totius Ecclesiae, non exceptis his ipsis doctoribus, in usu ss. librorum, pariterque cum unanimi doctrina Ecclesiae occidentalis et cum subsequente universali consensu. Ex hac enim comparatione consequentur certa principia, sine quibus verus sensus eorundem canonum divergentium intelligi et vindicari non potest.

1um *Principium.* Nomine *canonis* et nomine *canonicorum librorum* intellexerunt Patres illi indicem eorum librorum et eos libros 22 Hebraeorum, qui etiam tum *apud omnes in confesso* erant, et *de quibus nulla erat mota quaestio* (ὁμολογουμενοι). Unde libri, qui tum in controversiam vocari coeperant (ἀντιλεγομενοι), erant quidem *extra canonem* collocandi eo sensu intellectum; at non ideo simpliciter negabatur, eos pertinere ad divinam Scripturam; sed tantum indicabatur, de iis motam esse quaestionem, ac proinde eos non pertinere ad libros, de quorum pari cum ceteris auctoritate apud omnes citra controversiam constaret (1).

(1) Si opus est, denuo monemus, nequaquam nos sequi sententiam manifeste falsam eorum, qui totam difficultatem facili negotio expediri posse existimant dicendo, Patres non Christianorum sed Iudaeorum canonem recensuisse. Si Melitonem, Origenem, Epiphanium, Hilarium initio memoratos, Leontium et Damascenum de quibus mox dicemus, excipias; Patres reliqui a nobis citati recensuerunt certissime canonem Christianorum et pro Christianis, ut ex contextibus evidenter constat. Sed in ipsis Scripturis sacris Christianorum distinxerunt duas classes, *a*) librorum qui absque controversia ab omnibus Christianis admitterentur ut s. Scriptura, et horum complexum appellabant *canonem*, i. e. catalogum Scripturarum extra controversiam. Quamvis vero hi libri (saltem maximam partem) sint iidem, qui admittuntur etiam a Iudaeis, et imo ipsa distinctio in duas classes ortum habuerit ex comparatione Scripturarum Ecclesiae cum catalogo Iudaico; non tamen ideo PP. recensent canonem Iudaeorum aut pro Iudaeis. Quomodo enim loquentes de Iudaeorum sententia appellarent ad Traditionem Apostolorum, ad auctoritatem Ecclesiae et Patrum antecedentium, quibus argumentis ipsi confirmant

Hic sensus canonum probatur multipliciter. Nam *a*) Eusebius qui ceteris expressius sensum divisionis librorum in ὁμολογουμενους et ἀντιλεγομενους declaravit, et post quem ceteri illam divisionem secuti sunt, synonyma habet haec duo, librum esse *canonicum* vel esse *in confesso apud omnes;* pariterque librum esse *extra canonem* et esse probatum quidem et agnitum a multis sed tamen a nonnullis in *controversiam vocatum.* Ita l. III. c. 3. promittit testimonia veterum « de Scripturis, quae *canonicae et in confesso sunt apud omnes* » (περι των. ἐνδιαθηκων και ὁμολογουμενων γραφων); ibidem epistolam 2 Petri dicit « *non canonicam,* quae tamen utilis visa multis *cum ceteris Scripturis frequentatur;* » l.III. c. 25. invicem opponit « Scripturas *in confesso apud omnes,* et alias *non canonicas quibus contradicitur, sed quae nihilominus a plerisque ecclesiasticorum virorum sunt agnitae;* » ibidem memorat Scripturas « *quibus contradicitur, sed quae tamen probatae sunt plerisque* » cf. c. 31. Contra vero libri *apocryphi* ib. c. 3. sunt scripta, « quae omnino non novimus in catholicis tradita » οὐδ' ὁλως ἰσμεν ἐν καθολικοις παραδεδομενα.

b) Nomina *canon* et *canonica Scriptura* etiam a Patribus latinis illa aetate usurpari consuevisse strictiori significatione de libris qui sunt in canone hebraico, quin ideo aliis libris auctoritas canonica apud Christianos negari intelligeretur, manifestum est ex s. Augustino Civ. Dei XVIII. c. 36. « Restituto templo, inquit, non reges sed principes fuerunt usque ad Aristobulum, quorum supputatio tempo-

canonem, quem recensent librorum extra controversiam seu των ὁμολογουμενων? Quomodo in canone Iudaeorum ponerent libros N. T. quos adnumerant? *b*) Praeter hos libros in *canone* h. e. in *catalogo indubitatorum* positos enumerant alias Scripturas Christianorum, quibus a nonnullis contradicitur, seu quae sunt libri ἀντιλεγομενοι. Verum est, hos esse libros qui desunt in canone Iudaeorum, et inde repeti primam originem controversiae inter ipsos Christianos; at non propterea appellantur libri controversi (ἀντιλεγομενοι), quia Iudaei eis contradicunt; sed erant controversi, quatenus aliqui doctores christiani de iis dubitabant, atque ideo numerabantur *extra canonem* h. e. extra catalogum *indubitatorum*, non autem solum extra canonem Iudaicum, de quo isti Patres non erant solliciti.

rum *non in Scripturis sanctis, quae canonicae appellantur;* sed in aliis invenitur, in quibus sunt et *Machabaeorum libri, quos non Iudaei sed Ecclesia pro canonicis habet.*»

c) Declarant ipsi illi Patres orientales, in primo ordine quem secundum archetypum censionis hebraicae ab Origene exhibitae appellant *canonem,* eos solos libros se comprehendere voluisse, qui a nemine in quaestionem vocati sint, «de quibus plena est persuasio, » ut ait Athanasius; « qui sunt apud omnes in confesso (ὁμολογουμενοι),» ut est apud Cyrillum et in Synopsi Athanasiana; « qui definito iudicio inserti » (ἐγκριτοι) (1), ut apud Nazianzenum; « quorum certissimus canon,» ut apud Amphilochium; qui sunt libri *certi* in oppositione ad *dubios,* ut apud Hieronymum.

d) Res extra omne dubium ponitur ex modo, quo Patres hi omnes libris quos ponunt extra canonem, usi sunt tamquam ad sacram Scripturam pertinentibus ex communi Ecclesiae persuasione. Vide supra th. X.

2um *Principium* sequitur ex antecedenti. Canones huiusmodi habent quidem propositum excludere a censu Scripturarum sacrarum libros apocryphos; at libros *secundi ordinis,* ἀντιλεγομενους, *ecclesiasticos* et *lectos in Ecclesia* minime excludunt velut *certe et definita sententia* non pertinentes ad s. Scripturam. Excludentes ergo locutiones additae libris in solemni numero *viginti duorum* comprehensis, quando dicitur « in his *solis* esse doctrinam pietatis,» « hos *solos* esse genuinam Scripturam, » « hos *solos* a fidelibus esse legendos , » intelligi debent in oppositione ad libros *apocryphos,* non ad libros *secundae classis,* qui nondum eliquatâ quaestione erant dubii (2).

(1) Nazianzeni ἐγκριτον prorsus idem significat ac ἐνδιαθηκον apud Eusebium et alios; ἐνδιαθηκον autem est ex demonstratis idem ac ὁμολογουμενον, nec adhibetur nisi de libris *citra controversiam* in canone positis. Multo melius antiqua versio Billii habet « *certum numerum* » quam nova Caillavii, qui perperam interpretatur « *selectum numerum,* » ac si graece esset ἐκκριτον.

(2) Nomen hoc quo dicuntur *libri controversi,* ἀντιλεγομενοι, ἀμφιβαλλομενοι, accipi potest dupliciter; *sensu generico* significat omnes libros a quibusvis etiam a solis haereticis velut Scripturas sacras adoptatos et inter ὁμολογουμενους non comprehensos , adeoque significare potest

Constat id *a*) ex ipsa natura diversitatis inter libros *certo divinos*, inter *dubios*, seu potius divinos habitos ex communi ecclesiastica consuetudine, qui tamen in dubium vocabantur a nonnullis, et inter *certo non divinos*. Constat *b*) ex praxi horum ipsorum Patrum, qui frequentissime hisce libris utebantur ut Scripturis divinis, non secus ac protocanonicis. Constat *c*) ex diserta Patrum declaratione in his ipsis catalogis, in quibus scopum sibi propositum esse aiunt praemunire fideles *contra libros apocryphos*, qui undique ab haereticis obtrudebantur.

Quapropter inter canonem completum et canones illos deficientes non est oppositio *contradictionis*, sed *diversitatis* tantummodo, sicut inter perfectum et perficiendum suoque tempore supplendum. Ita Cassiodorus commemoratis diversis indicibus incompletis Hilarii, Epiphanii, Hieronymi, Rufini ex una parte et canone completo codicum ecclesiasticorum atque Augustini ex parte altera, verissime animadvertit: « Patres non contraria dixerunt sed *diversa*, ut non impugnare sed invicem se potius exponere videantur; » sicut etiam inter definitiones Conciliorum diversitas est, sed nulla contradictio. Divin. institut. c. 14. Pariter absque contradictione Concilium Trullanum suscipere et secundum illud Graeci in suum Corpus Iuris inserere potuerunt una serie canones diversos, incompletum Concilii Laodiceni et completum Conciliorum Africanorum (in Nomocan. Photii apud Mai Spicil. Rom. T. III. P. II. p. 131.), ut scilicet unus suppleretur per alterum.

3ium *Principium* consequitur pariter ex primo. Quando aliqui Patres, ut Hieronymus et Rufinus, dicunt hos libros

etiam libros apocryphos, quibus contradicitur universim ab Ecclesia catholica; *sensu specifico* proprium est libris secundae classis, quamdiu scilicet de illis intra fines Ecclesiae fuit aliqua controversia. Ita Eusebius III. 25. post enumeratos libros tum specifico sensu ἀντιλεγομένους tum libros apocryphos concludit: « hi omnes fuerint inter *controversos* » ταυτα μεν παντα των ἀντιλεγομενων ἐιη. De apocryphis intelligendus videtur Cyrillus catech. IV. n. 34, ne sibi ipsi et consuetudini totius Ecclesiae, etiam Hierosolymitanae contradicat, quando ait: « qui ignoras ὁμολογουμενα, quid frustra laboras circa *controversos* libros » περι τα ἀμφιβαλλομενα.

secundi ordinis legi quidem ad aedificationem plebis, non tamen proferendos esse ad auctoritatem fidei confirmandam; id intelligi debet non ideo dictum, quod de eorum inferiori auctoritate iam *constaret,* sed quod ea aetate *nondum omnibus constabat* de pari auctoritate cum ceteris libris Scripturae. Erant igitur isti libri etiam tum praxi universali Ecclesiae satis confirmati, ut tuto tamquam *Scriptura sacra* et *eloquia Dei* et *oracula Spiritus Sancti* ad fideles proferri possent; non tamen erant apud omnes extra controversiam ita, ut polemice etiam adversus contradictores eadem firmitate possent adhiberi. Patet hic sensus tum ex propria ratione libri, qui in quaestionem vocatus est, utrum certo sit liber Scripturae inspiratae, et qui proinde sit ἀντιλεγόμενος seu controversus, tum evidentissime ex modo quo iidem illi PP. his libris usi sunt etiam ad dogmata confirmanda. Cf. supra p. 417. 419. 422.

Hinc non est mirum, Patres etiam eos qui ipsi hos libros sine dubitatione inter Scripturas habebant, tamen in eorum usu polemico aliquam cautionem commendasse, quamdiu res nondum undequaque liquida erat nec solemne de ea iudicium latum. Ita Augustinus fatetur, ut paulo ante vidimus, «adversus contradictores non tanta firmitate proferri, quae scripta non sunt in canone Iudaeorum» Civ. Dei XVII. c. 20. n. 1. (1). In ipso illo loco (de Doctrina christ. l. II. c. 8. n. 12.), ubi exhibet iuxta consensum Ecclesiarum Africae imo totius Ecclesiae latinae canonem librorum sacrorum, simul tamen indicat, non ubique aequalem esse de li-

(1) Immerito huc etiam trahi videtur illud, quod habet Augustinus Retract. l. I. c. 10. n. 3. de libro Ecclesiastici. « Video, non recte appellasse verba prophetica, quibus scriptum est: quid superbis terra et cinis; quia non in eius libro legitur, quem certi simus appellandum esse prophetam. » Cum verba scilicet non sint prophetia futuri, possent dici prophetica ex munere prophetico scriptoris, de quo non constat. Librum autem Ecclesi. computandum esse inter propheticos, quia in auctoritatem recipi meruit, seu quatenus liber est inspiratus, testatur de Doctrin. Christ. l. II. c. 8, nec illud corrigit in Retract. l. II. c. 4. n. 2, quamvis ibi retractet, quod eo loco operis de Doct. Christ. dixerat de scriptore Ecclesiastici, quasi idem etiam scripsisset librum Sapientiae. Vide supra p. 434.

bris omnibus consensum et ideo, quamdiu is maneat status quaestionis, esse aliquod discrimen observandum in usu polemico et dogmatico « Scripturarum canonicarum, » ut solers indagator « eas quae ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, praeponat eis quas quaedam non accipiunt; in eis vero quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiae tenent. »

S. Augustinus nomine *Scripturae canonicae* nihil umquam aliud intellexit quam libros divinitus inspiratos et ideo auctoritatis prorsus divinae, in qua non possunt esse gradus, ut unus liber *canonicae Scripturae* maioris, alius inferioris auctoritatis censeatur. Deus ipse, inquit, « Scripturam condidit, *quae canonica nominatur,* eminentissimae auctoritatis » Civ. Dei XI. 3. « Ita sibi omnia in *canonica auctoritate* concordant, ut tamquam uno ore dicta, iustissimâ et prudentissimâ pietate credantur » contr. Faust. XI. cc. 5. 6. cf. ep. 82. (al. 19.) n. 3. ad Hieronym.

Quando igitur ex loco citato (de Doctr. christ. II. c. 8. n.12-14.) opponitur trita difficultas: Augustinus inter libros ipsos quos appellat canonicos, discernit alios maioris alios inferioris auctoritatis; responderi debet distinguendo. Discrimen agnoscit in auctoritate insita *librorum canonicorum,* ita ut aliquos eorum minoris auctoritatis esse, et tamen *libros canonicos* appellari posse existimaverit, *nego.* Constat ratio negationis ex paulo ante dictis. Discrimen indicat in modo, quo libri canonici innotescant, *subdistinguo:* quasi ipsi Augustino non satis innotuissent ut canonici libri omnes quos enumerat, aut non consentiens et constans esset Traditio Ecclesiarum Africae et Ecclesiae occidentalis universae, *nego;* discrimen in modo, quo libri alii omnium consensu, alii non sine aliquorum tum adhuc obtinente contradictione innotescebant, Augustinus indicat *historice* et ad usum *polemicum, concedo.*

Ratio huius negationis et concessionis patet ex ipsa lectione loci Augustini. Monet imprimis, ut solers indagator *divinarum Scripturarum* legat totas Scripturas, « dumtaxat eas quae appellantur *canonicae.* » Proponit deinde totum

canonem Scripturarum complectentem libros omnes et solos, quos nunc adhuc habemus in canone Ecclesiae catholicae. Concludit: « *in his omnibus libris* timentes Deum et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei. » Testatur igitur Augustinus, hos omnes libros esse positos in *canone* Ecclesiae, esse *Scripturas canonicas,* quae appellatio non est ambigua, sed certa et ratâ significatione designat « Scripturas eminentissimae auctoritatis, » ut constat ex dictis. Nihilominus quia novit s. doctor excitatas alicubi dubitationes de nonnullis ex his libris, utrum sint *canonicae Scripturae;* ipse nec voluit nec potuit haesitationem et dissensionem illam quamdiu in Ecclesia tolerabatur, velut haereticam condemnare. Unde in eo quaestionis statu fatendum sane erat, libros alicubi minus certos « non tanta firmitate adversus contradictores proferri. » Qua de re solers Scripturarum indagator monendus erat et docendus. « Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quae ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, praeponat eis quas quaedam non accipiunt » etc.

Ex isto contextu simul patet, hoc loco sicut alibi (contr. ep. Manich. n. 6. et saepe contr. Faust.) constitui ab Augustino principium, Scripturas canonicas nonnisi auctoritate Ecclesiae catholicae cognoscendas et suscipiendas esse. Quo principio Augustini et reliquorum Patrum admisso iam pridem omnis de libris deuterocanonicis dubitatio sublata et causa finita est; utinam aliquando finiatur et error. Cf. th. IX. n. I.

Partim ad hanc ambiguitatem indicandam, quae aliquando fuit inter doctores orientales, partim eo sensu, quo Augustinus loco superius citato Machabaeorum libros seiunxit a canonicis Scripturis, potuit adhuc Gregorius M. Moral. l. XIX. c. 21. n. 34. eosdem libros Mach. distinguere a Scripturis canonicis, ubi citans factum Eleazari ex 1. Mach. VI. 46. ait: « non inordinate agimus, si ex libris licet *non canonicis* sed tamen *ad aedificationem Ecclesiae editis* testimonium proferamus. » Certe in Ecclesia Romana post decreta praesertim Innocentii, Gelasii, Hormisdae dubium nemini esse poterat, libros Mach. esse inter canonicos Ec-

clesiae; non tamen erant inter *viginti duos* in canone Hebraeorum, unde poterat Gregorius adhuc munere Apocrisiarii Constantinopoli fungens, cum haec scriberet, distinctionem orientalium, Hieronymi et Rufini prae oculis habere, et nomen *libri canonici* eo quo ab illis factum erat, sensu usurpare.

THESIS XIV.

Expediuntur difficultates, quae ex scriptoribus sequioris aetatis produci solent.

« Si qui scriptores ecclesiastici inde a saeculo VI. et doctores scho-
» lastici ante Concilium Tridentinum libros deuterocanonicos adhuc ex-
» tra canonem numerare videntur, ii vel solum historice referunt ve-
» tustiorum sententias; vel distinguunt canonem Hebraeorum a com-
» plexu Scripturarum sacrarum in Ecclesia; vel permoti alicuius anti-
» qui doctoris sententiis indicant, ante definitivum iudicium nondum
» penes omnes certo constitisse de pari horum librorum cum protoca-
» nonicis auctoritate. Generatim vero totius huius quaestionis ea est
» ratio, ut in triplici suo stadio necessitatem quidem demonstret infal-
» libilitatis Ecclesiae in custodiendo deposito, non autem (quod Eccle-
» siae hostes dixerunt) necessitatem novae revelationis ad canonem
» Tridentinum constituendum. »

Complanatis difficultatibus, quae ex PP. IVi. et Vi. saeculi (addito Gregorio M.) opponi possent, superest, ut pauca subiungamus de scriptoribus ecclesiasticis sequioris aetatis. Reperiuntur enim ex iis aliqui, qui fere referunt catalogos, quos penes Athanasium, Nazianzenum, Epiphanium, Hieronymum legerant. At ea est relatio historica potius status quaestionis ut fuerat IV°. et V°. saeculo, quam testimonium de dissensione adhuc horum scriptorum tempore permanente, licet fateamur etiam tum quaestionem sententia definitiva et ab universa Ecclesia necessario tenenda nondum fuisse terminatam, vel potius ut terminatam nondum omnibus innotuisse; unde fit, ut sequiori adhuc aetate fere usque ad Concilium Tridentinum vestigia aliqua antiquae haesitationis apud nonnullos doctores superesse potuerint.

I. Ad hos quos dicimus enarratores historicos, pertinent Iunilius Africanus saec. VI. (de Partibus div. leg. l. I. c. 3-7. Galland. T. XII. p. 79.); Leontius Byzantinus

saec. VII. (de Sectis Act. 2. Galland. ib. p. 627.); Ioannes Damascenus saec. VIII. (de Fide orthodoxa l. IV. c. 17.); Nicephorus Constantinopolitanus saec. IX. (in Stichometria post Chronographiam edita a Goario Paris. 1652. p. 419. et a Pithoeo in Codice canonum p. 348.).

Iunilius sua didicit Constantinopoli a Paulo quodam gente Persa ex schola Nissibena. In divisione generica concurrit cum s. Hieronymo et aliis supra citatis Patribus saeculi IV. Distribuit libros omnes quoad auctoritatem in tres classes. In prima classe sunt libri «*auctoritatis perfectae,*» qui unanimi consensu et quoad V. T. etiam ab Hebraeis suscepti sunt, appellanturque *canonici*. In altera classe ponuntur libri « *auctoritatis mediae* » (1), qui a pluribus iunguntur cum canonicis, non tamen ab omnibus in pari auctoritate habentur, « quoniam apud Hebraeos quoque super hac differentia recipiebantur, sicut Hieronymus ceterique testantur. » Tandem « *nullius auctoritatis* » sunt libri apocryphi. At vero in distributione speciali singulorum librorum Iunilius singularis est ita et manifesto falsus, ut non solum a sua Ecclesia Africana sed etiam ab aliis omnibus doctoribus dissentiat, nec ullus umquam sive ante sive post ipsum simile quidquam dixerit. Collocat inter libros mediae auctoritatis h. e. inter ἀντιλεγομενους non modo Iudith (2), Esther, duos Mach., Sap.; sed etiam duos Paralipomenon, Iob, duos Esdrae, Canticum Canticorum, qui posteriores omnes sunt in canone Hebraeorum et inter ὁμολογουμενους. Contra vero Ecclesiasticum Iesu filii Sirach adnumerat canonicis primi ordinis, quod aeque ceteris huius divisionis auctoribus repugnat. Potest itaque Iunilius testis esse de divisione librorum in tres classes apud PP. nonnullos IV. et V. saeculi, ad quos appellat, et de sensu huius divisionis, quae ceterum aliunde satis perspecta habemus; at quoad distributionem singulorum librorum nullius est frugis.

(1) Simile aliquid est in Amphilochii iambis ad Seleuc. v. 255, ubi praeter Scripturas primi ordinis et canonicas appellantur aliae *mediae* et aliae spuriae τινες μεν ἐμμεσοι, άι δε άυ νοθοι.

(2) Liber Tobiae omissus est, ut equidem non dubito, errore librarii; nam paulo post l. II. c. 9. Iunilius diserte eum allegat cum Dan. ut Scripturam sacram.

Leontius libros N. T. omnes quidem recenset; ex V. T. autem nonnisi 22. qui sunt apud Hebraeos, omittens cum Athanasio, Nazianzeno aliisque librum Esther. Satis vero indicat suum consilium, non omnes Scripturas Christianorum sed in V. T. solos libros ab Hebraeis etiam admissos enumerandi. Refert enim hunc canonem, ubi aggreditur confutationem Iudaeorum, ita concludens recensionem. «Veteris Testamenti hos libros omnes recipiunt Hebraei. Quae cum ita sint, decet Hebraeorum dogmata primum exponere etc.»

Damascenus fere transcribit verba Epiphanii, ubi hic (de ponder. et mensur. n. 4.) recenset libros, quos Iudaei in arcam sive, ut loquitur Tertullianus, suum in armarium admiserunt. Pariter *Nicephorus* libros omnium trium classium V. T. κεκανονισμενους, ἀντιλεγομενους, ἀποκρυφους desumpsit ex Synopsi Athanasiana; in N. T. autem transcripsit catalogum Nazianzeni, Cyrilli, et Concilii Laodiceni, in quo Apocalypsis omittitur. Neque igitur Damascenus neque Nicephorus, qui ambo scripserunt post Concilium Trullanum, possunt censeri statum quaestionis exhibere, ut erat in Ecclesia graeca VIII. et IX. saeculo. Sed alter quidem ex Epiphanio recenset libros, ut sunt apud Hebraeos; alter vero historice refert librorum divisionem, ut erat consignata ab illis doctoribus saeculo IV. et V. Quis enim, ut de aliis nihil dicam, in animum inducat, adhuc IX. saeculo Apocalypsin in dubium vocatam fuisse, seu potius neque inter libros dubios numeratam? Quia scilicet Nicephorus eam non reperit in catalogis deficientibus IV. saeculi quos transcribit, etiam ipse historicus fidelis eam omittit; sicut vicissim in V. T. describit libros omnes, ut eos invenit in suo auctore notatos velut controversos aut apocryphos, licet inter hos sint aliqua monstra nominum, de quibus saeculo IX. nemo amplius erat sollicitus.

II. Specialem aliquam explicationem postulat vetustiorum Scholasticorum et scriptorum medii aevi modus sentiendi et loquendi quoad hoc caput doctrinae. Generatim eos inhaesisse universali usui Ecclesiae et disertae doctrinae, ut explicite proposita est in Conciliis Africanis, a s. Au-

gustino et aliis Patribus, et in decretis Romanorum Pontificum, iam demonstravimus in thesi XI. Nihilominus auctoritate potissimum s. Hieronymi factum est, ut plures sequerentur modum eius loquendi de *canone* tamquam complexu eorum tantummodo librorum, qui etiam ab Hebraeis admissi essent. Inde vero singuli aliqui magistri in suis lucubrationibus et intra scholae cancellos, ubi intendebant distinguere, quid stricte loquendo ad fidei iam tum definita dogmata pertineret, quid licet doctrina communis, supremum hunc gradum non attingeret, ancipites sese monstrabant de ipsa horum librorum pari cum canonicis primi ordinis auctoritate usque ad tempora fere Concilii Tridentini. Post decretum autem Tridentinum, eoque magis post solemnem eius declarationem in definitione Concilii Vaticani (Const. I. cap. 2. can. 4.) penes catholicos iam nullus dubitationi locus esse potest.

Itaque scriptores illi mediae aetatis, qui libros penes Hebraeos non admissos videntur adhuc numerare extra canonem, fere unice pendent ex sententiis s. Hieronymi, ad cuius prologos plerique diserte appellant, ubi s. doctor hos libros dixit apocryphos, qui proferendi non sint ad fidei dogmata confirmanda. Dividi autem possunt illi magistri in duplicem classem.

1°. Plerumque ea quae legebant apud s. Hieronymum, componebant cum communi Ecclesiae doctrina et praxi ita, ut nomine *canonis* secundum genuinum Hieronymi et aliorum PP. sensum intelligerent canonem librorum, qui sunt etiam penes Iudaeos; unde recte docebant alios libros non quidem in canone esse, sed tamen ab Ecclesia inter sacras Scripturas acceptos fuisse.

Ita saec. XII. *Petrus Blessensis* supra citatus p. 439.

Petrus Cluniacensis cognomento Venerabilis distinguit quidem modum probandi libros Scripturae V. T. quod, qui erant in canone Iudaeorum, non solum Traditione Christianorum sed etiam codicibus et testimonio Iudaeorum, alii vero auctoritate Ecclesiae demonstrantur. Priores « non solum Christianis sed et ipsis Iudaicis litteris attestantibus... paris auctoritatis sunt.... Restant post hos authenticos

s. Scripturae libros sex non reticendi libri, Sapientiae, Iesu filii Sirach, Tobiae, Iudith, et uterque Machabaeorum liber, qui etsi ad illam sublimem praecedentium dignitatem (quoad testimonia quibus probantur) pervenire non potuerunt, propter laudabilem tamen et perquam necessariam doctrinam *ab Ecclesia suscipi meruerunt... quod si, sicut Iudaeis de Moyse Christus dixit, eius Ecclesiae non creditis, quomodo verbis meis* credetis?» Pet. Cluniac. contr. Petrobrusian. Bibl. Max. PP. T. XXII. p. 1044.

Petrus de Riga in manu scripta Paraphrasi metrica V. et N. T. (apud Hodium p. 655) ait: « sed licet excepti (ex canone), tamen hos *authenticat usus Ecclesiae, fidei regula, scripta Patrum.* » Similiter *Ioannes Beleth* in Explicat. divinor. officior. c. 60. fol. 339. (ed. Venet. 1577. cum Rationali Durandi) primum numerat 22 libros, qui a Iudaeis quoque habentur « authentici, » inter quos recenset etiam Iudith. Tum sequitur: « quatuor tandem enumerant *apocrypha,* librum videlicet Tobiae, Machabaeorum, Philonis cuius principium est Diligite iustitiam (i. e. librum Sapientiae), et Iesu filii Sirach, appellaturque etiam Ecclesiasticus. Verum hos quatuor quidam non recipiunt, *Ecclesia tamen eos approbat,* quod argumentum fere habeant librorum Salomonis, *etiamsi eorum auctores pro certo ac vere non sciat* (1). Alios duos credimus Esdram composuisse » (2).

Eodem modo nomen *apocryphorum,* quod legitur in Prologo galeato s. Hieronymi, explicant alii, e. g. *Petrus Comestor* in Historia Scholastica: «apocrypha sunt, quod auctor ignoratur eorum; *sed quod de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur.* » Vide supra p. 438. 439. Ipsis Comestoris verbis saec. XIII. utitur *Hugo a S. Charo* in explicatione Prologi galeati (initio Postillae in ll. Reg.) et alibi, iisdem Ioannes Ianuensis (apud Hodium p. 657.). Ex manuscripta

(1) Manifesto absurda est horum verborum paraphrasis, ut citantur ab Hodio p. 655: « Hos quatuor *non recipit* Ecclesia, *tamen authenticat,* etsi eorum auctores nesciat, quia sententiam librorum Salomonis tenent. »

(2) Vides, etiam hunc scriptorem libros deuterocanonicos immiscere sine distinctione auctoritatis inter protocanonicos, ad quos certe pertinent libri Esdrae.

Postilla Hugonis in l. Ios. refert Hodius versiculos: « Hi quia sunt dubii (sensu explicato quoad nomen scriptoris), sub canone non numerantur; *sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos.* » In eundem sensum explicari debet Hugo Victorinus (saec. XII.), qui in l. de Scriptur. et scriptor. ss. c. 6. (inter Opp. Richardi Victorini T. I. fol. 156.) simpliciter recitat verba s. Hieronymi, ceterum vero libris deuterocanonicis utitur sine discrimine ut Scriptura sacra.

2°. Negari tamen non potest, aliquos ex magistris scholae ob s. Hieronymi sententias ante definitionem Concilii Tridentini ancipites haesisse, et videri tribuisse hisce libris inferiorem gradum auctoritatis quam iis, qui sunt in canone Hebraeorum, ut saec. XII. Ioannes Sarisburiensis ep. 172. (Bibl. Max. PP. T. XXIII. p. 468.); Radulphus Flaviacensis in Lev. l. XIV. praefat. (ibid. T. XVII. p. 177.) in multis fere sequens Iunilium Africanum; saec. XIV. Okam in Dialogo P. III. Tract. I. l. 3. c. 16, in quo alioquin sunt multa erronea (in Monarchia Goldasti T. II. p. 834.). Ambigue loquitur Lyranus praefat. in Tob., ubi tamen videtur posse explicari ita, ut hos libros solum sub inferiori gradu inspirationis scriptos esse censuerit, sicut Iudaei docent de hagiographis. Difficilia pariter sunt, quae habet adhuc saeculo XV. s. Antoninus in Summa theolog. P. III. titul. 18. c. 6. §. 2. Tostatus in Matth. praefat. q. 2. negat quidem irrefragabilem deuterocanonicorum librorum auctoritatem; alibi vero (in ll. Reg. praefat. qq. 28. 29.), ubi data opera explicat Prologum galeatum s. Hieronymi, clarissime sanam tradit doctrinam. Postremo Caietanus saeculo XVI. paulo ante Conc. Trid. in fine Commentarii in l. Esther ea habet, quae post Concilium nemini catholico fas esset sentire aut docere (1).

Summa itaque totius causae haec est. Doctores medii

(1) Ubi in Conc. Tridentino postulabatur sanctio anathematis adversus eos, qui omnes libros pro sacris et canonicis non reciperent, inter auctores catholicos quorum audacia accusabatur, nominatim etiam Caietani mentio facta est. Maior pars Patrum iudicabat, anathema esse addendum « a fin di comprimere l'ardimento contrario d'alcuni Cattolici, fra cui numerasi ancora il Gaetano » Pallavic. l. VI. c. 11. n. 8.

aevi habuerunt hos libros omnes inter ss. Scripturas, eosdemque viderunt in ecclesiastico usu et in ipsis catalogis quos saltem ex Augustino et collectionibus canonum noverunt, indiscriminatim susceptos. Simul vero cum eis obversarentur sententiae quorundam Patrum maxime s. Hieronymi de differentia canonis hebraici, alii quidem iique plurimi, ut res ipsa postulabat, ex Ecclesiae ipsius sensu satis manifestato difficultatem componebant; aliis tamen usque ad solemnem Ecclesiae definitionem nondum satis constare videbatur de pari cum protocanonicis auctoritate eorum librorum, quos extra canonem hebraicum et apocryphos a tanto doctore dictos esse videbant. Et sane ex concessione gravissimorum etiam doctorum illius aetatis apparet, rem nondum ita liquidam et omnibus satis propositam fuisse, ut citra fidei discrimen in dubium vocari non potuerit. Ita s. Thomas 1. q. 89. a. 8. ad 2. ait, apparitionem Samuelis (1. Reg. XXVIII. 12. sq.) posse explicari sensu proprio ex operatione et revelatione divina, ut apparet ex Ecclesi. XLVI. 23; „vel illa apparitio, inquit, fuit procurata per daemones, *si tamen Ecclesiastici auctoritas non recipiatur propter hoc, quod inter canonicas Scripturas apud Hebraeos non habetur.*" Cf. August. l. de cura pro mortuis gerenda c. 15. n. 18.

III. Ex omnibus quae in hac et in antecedentibus thesibus dicta sunt, manifestum est triplex stadium, quod in explicatione dogmatis de divinitate librorum deuterocanonicorum V. T. distingui potest: *a*) simplicis fidei et susceptionis librorum in usu et praxi Ecclesiae usque ad initia IV. saeculi; *b*) ortae deinde ex comparatione Scripturarum Ecclesiae cum canone hebraico inquisitionis et haesitationis penes doctores praesertim in Ecclesia graeca saec. IV. et V, quae paulatim, ad perseverantem usum Ecclesiae accedentibus decretis Conciliorum Africae, Pontificum Innocentii I. et Gelasii, desiit quidem in consensionem moraliter universalem, non tamen ita, ut adhuc media aetate non remanerent vestigia prioris controversiae. *c*) Sequitur denique solemnis definitio ac iudicium, quo controversia omnis terminatur et dissensio inter catholicos excluditur. Huc transferenda omnino sunt, quae de triplici stadio in explicatione

dogmatum quorundam praeeunte Augustino diximus in tractatu de Traditione th. XXIII. n. IV.

Ex demonstratis satis etiam constat, non nova profecto revelatione opus fuisse ad horum librorum divinam inspirationem et auctoritatem definiendam; sed iudicium versatum esse circa Traditionem apostolicam, cuius indicia, monumenta, et documenta exstant quam plurima inde ab aetate apostolica vel Apostolis proxima. Nihilominus tamen ea est inter catholicos aliquos doctores per plura saecula ambiguitas, ut, quamvis Protestantes reiicientes hos libros intolerabilis temeritatis convinci possint etiam ex solis monumentis Traditionis, plena tamen nostra securitas et exclusio cuiusvis dubitationis innitatur Ecclesiae infallibilitati in discernenda genuina Traditione apostolica.

In thesibus totius huius capitis studuimus non modo statuere principia, sed etiam exponere speciales declarationes ad solutionem omnium difficultatum, quas contra Traditionem apostolicam librorum deuterocanonicorum Protestantes ac prae ceteris Humfridus Hodius (De Bibliorum textibus originalibus) coacervarunt. Mirum vero est, quod Leibnitium non puduerit easdem velut demonstrationes refricare in ep. 31. ad Bossuetum (Opp. Leibnitii ed. Dutens T. I. p. 626. sq.). Compendiaria responsio Bossueti videri potest ibidem ep.37. p. 657. sq.

CAPUT II.

DE LIBRIS SACRIS ET CANONICIS NOVI TESTAMENTI.

THESIS XV.

Libri canonici omnes N. T. sunt ab Apostolis traditi.

« Argumenta eadem, quibus divinum testimonium Traditione con- » servatum de integro canone Scripturarum veteris Testamenti demon- » stratur, non minus lucide demonstrant libros omnes novi Testamenti » qui in decreto Tridentino enumerantur, Traditione apostolica tam- » quam Scripturas sacras Ecclesiis consignatos fuisse. »

Argumenta ubi actum est de libris veteris Testamenti, revocavimus ad duplicem classem, ad usum scilicet ecclesiasticum et ad disertam doctrinam in ss. Scripturarum catalogis consignatam; iisdem nunc demonstrabimus Traditionem apostolicam quoad omnes libros novi Testamenti in canone Ecclesiae catholicae comprehensos.

Nihil necesse est probare, libros N. T. universim spectatos inde ab aetate apostolica, qua scripti erant, in Ecclesia Dei creditos fuisse pertinere ad Scripturam inspiratam. De hac enim re partim dictum est, ubi de inspiratione egimus (vid. th. II. n. III; th. VII. n. II. 2°.), partim evidenter constat ex modo, quo saeculo iam II. ineunte et mediante libri novi Testamenti una cum Scripturis propheticis in Ecclesiis legebantur; ex coniunctione eorundem librorum cum libris inspiratis veteris Testamenti (cf. Hug Introduct. T. I. §. 16. 17.); ex modo, quo PP. imo etiam haeretici ipsi semper usi sunt his libris; ex diserta denique ac universali doctrina. Absque ulla enim controversia, quamdiu Scripturae N. T. ita generatim spectantur, inter Christianos semper ratum erat, quod Athanasius ait (ep. festali) de libris N. T. aeque ac de Scripturis V. T., eos esse « inspiratam Scripturam, sicut Patribus tradiderunt qui ab initio ipsi viderant et fuerant ministri sermonis,» et quod repetit Augustinus contr. Faust. l. XI. c. 5: « distincta est a posteriorum libris *excellentia canonicae auctoritatis veteris et novi Testamenti,* quae Apostolorum confirmata temporibus per successiones Episcoporum et propa-

gationes Ecclesiarum tamquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis et pius intellectus.»

Haec omnia utique valent non solum de Scripturis N. T. generatim, sed etiam in concreto de omnibus et singulis illis libris N. T. qui (nisi forte a sectis ad Iudaicas fabulas aut gentilium philosophemata declinantibus, Ebionaeis, Marcionitis, Manichaeis et Gnosticis aliis) numquam inter Christianos in dubium vocati sunt, et ideo (si placet) *protocanonici* appellari possunt. De his scilicet libris absque speciali demonstratione ex generalibus argumentis paulo ante indicatis assumere possumus ut evidens, eos semper et ubique et ab omnibus sacrae Scripturae adnumeratos fuisse. Rationalistae vero antichristiani et anticritici, quibus consensus perpetuus totius nominis christiani de libris publicis societatis christianae non sufficit, non hoc loco sed (quantum operae pretium est) in Introductione ad singulos libros confutandi sunt.

Verum sicut ex V. T. ita et inter libros N. T. sunt nonnulli, de quibus aliquando dubitatum esse veteres referunt, et quos etiam novatores aliqui saec. XVI, postquam iam pridem plenus in Ecclesia de iis omnibus obtinuerat consensus, in controversiam revocare tentarunt, ac versatili ingenio modo admittendos modo reiiciendos esse statuebant. Sunt autem in hoc numero sex apostolicae epistolae, videlicet quinque ex sic dictis epistolis catholicis, *Iacobi, 2. Petri, Iudae, 2. et 3. Ioannis,* tum ep. ad *Hebraeos,* ac denique *Apocalypsis.* Hos igitur sicut illos veteris Testamenti qui aliquando erant ἀντιλεγόμενοι, brevitatis causa appellabimus *libros deuterocanonicos,* eosdemque ut pertinentes *ad sacram Scripturam* Traditione apostolica Ecclesiae consignatos fuisse, in thesi demonstrandum proponimus duplici argumentorum classe.

I. Ita se habet *usus Ecclesiae* antiquissimus in suscipiendis et frequentandis hisce libris, ut eos inter Scripturas divinas et in eadem auctoritate ac sunt libri protocanonici, ab Apostolis traditos esse convincatur.

1°. Totam suam vim quoad libros deuterocanonicos novi Testamenti exserit argumentum, quod suppeditat vetus ec-

clesiastica editio Scripturarum tam graeca scilicet, quam nominatim latina et syriaca. Quae igitur diximus de libris veteris testamenti (th.X.n.II.III.), huc transferenda sunt.

a) Monumenta antiquitatis, ex quibus discere possumus ordinem quo libri N. T. in ecclesiastica et publica editione sese exceperint, cuiusmodi sunt codices et catalogi librorum, omnia exhibent insertos ac commixtos libros deuterocanonicos inter protocanonicos ita, ut pari omnino omnes auctoritate habitos fuisse demonstrent, et quodvis indicium diversae dignitatis excludant. Codices qui non singulos tantum libros aut sola continent Evangelia (Evangelistaria dicti), comprehendunt vel omnes N. T. libros, vel Acta cum omnibus epistolis et Apocalypsi (το ἀποστολικον), vel septem epistolas catholicas cum Apocalypsi. Iam vero ordo in plerisque hic est, ut post Acta ante epistolas Paulinas ponantur septem catholicae, et in his primo loco epistola *Iacobi,* quem locum teste Eusebio H. E. II. 23. retinere perseveravit eo ipso tempore, quo a nonnullis haec cum aliis epistolis memoratis vocabatur in dubium. In catalogis etiam Athanasii, Synopsis Athanasianae, Nazianzeni, Amphilochii, Cyrilli, Concilii Laodiceni, Epiphanii, Leontii, Damasceni, Nicephori prima inter septem catholicas est haec *Iacobi*. Canon ultimus apostolicus inter Graecos, et inter Latinos Concilia Africana, Rufinus, Philastrius (haeres. 60.), Augustinus aliique primo loco ponunt *duas Petri;* Innocentius I. vero *tres Ioannis.*

In epistolis Paulinis eam *ad Hebraeos* post 2. Thess. et ante epistolas ad singulares personas, ad Timotheum, Titum, Philemonem, collocatam habent multi codices, inter quos vetustissimi Vaticanus (B), Parisiensis Ephremi (C), et Sinaiticus. Eundem ordinem servant catalogi Athanasii, Synopsis Athanasianae, Concilii Laodiceni, Ioannis Damasceni; item versiones Coptica et Armena; imo in versione Sahidica (Aegypti superioris) haec ad Hebraeos erat post 2. Cor. ante epistolam ad Galatas (Hug Introduct. T. II. p. 476.). Quae quidem evidenter demonstrant, in publico et ecclesiastico usu libros hos quibus nonnulli contradicebant, retentos fuisse in eadem cum ceteris auctoritate

Scripturae sacrae, nec illius contradictionis ullam rationem habitam fuisse.

b) In versione syriaca veteri *simplici* (ܦܫܝܛܬܐ) ut nunc in codicibus exstat, desunt quidem quatuor epistolae catholicae (2. Pet. Iud. 2. et 3. Io.) et Apocalypsis; at primitus et saeculo adhuc IV. in ea fuisse, colligitur ex s. Ephraem, qui scribens syriace et pro Syris utitur omnibus his Scripturis non secus ac protocanonicis. Epistolam *Iudae* recitat integram (serm. advers. impudicit. Opp. graec. lat. T. III. p. 61.); ex *2. Petri* describit fere integrum caput 2. (ib. p. 60.); alibi citat verba: « clamat et Petrus Apostolorum vertex et caput de illa die dicens: dies Domini sicut fur... in qua coeli solventur igne » 2. Pet. III. 10. 12. (Interrogat. et Respons. Opp. graec. lat. T. II. p. 387. cf. T. II. syr. lat. p. 342.). Epistolam *2. et 3 Ioannis* diserte adfert. « Non meus est hic sermo sed Ioannis Theologi sic dicentis: omnis qui recedit et non permanet in doctrina Dei, Deum non habet » 2. Io. 9. (Serm. de amore pauper. graec. lat. T. III. p. 52.); « ait Scriptura: maius gaudium non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare » 3. Io. 4. (Serm. de timore Dei graec. lat. T.I.p.76.). Ad *Apocalypsin* appellat: « Vidit in Apocalypsi sua Ioannes librum magnum » etc. (Serm. exeget. in Ps. CXL. 3. T. II. syr. lat. p. 332; item graec. lat. T. II. p. 194. 252. 253.). Habuit ergo Ecclesia syriaca in sua versione facta II. saeculo ineunte omnes novi Testamenti libros absque discrimine (1); neque enim alia praeter illam veterem cognoscitur versio syriaca usque ad VI. saeculum. Quod narrat Cosmas Indicopleustes circa annum 535, « apud Syros nonnisi tres reperiri epistolas (ex catholicis) videlicet Iacobi, Petri unam, et Ioannis unam » (Galland. T. XI. p. 535.), non potest referri nisi forte ad veterem versionem *simplicem* in eo statu, quo erat saeculo VI; universim enim intellectum Cosmae testimonium manifesto falsum esset, cum eo tempore, non solum *simplex* vetus sed etiam altera versio iam exstiterit instituta anno 508 (Phi-

(1) De mutationibus saeculo IV. aut V. inductis in veterem versionem Peschito legendus est cl. Le Hir Études Bibliques T. I. P. II. praesertim art. 3.

loxeniana h. e. iussu Xenaiae Mabugensis Episcopi monophysitae adornata), in qua sunt omnes libri N. T. ut in canone Ecclesiae catholicae (1).

c) Ad versiones latinas « primis fidei temporibus » factas quod spectat, illae non minus luculentum pro libris deuterocanonicis N. T. quam pro libris V. T. suppeditant argumentum, eos semper ab Ecclesia inter Scripturas sacras habitos et ab Apostolis acceptos fuisse (vide th. X. n. II.). Latini codices saeculi IV, quibus Augustinus ceterique PP. usi sunt, et quorum textum Hieronymus graece fidei reddidit, continebant sane libros omnes N. T. sine distinctione inter ὁμολογουμένους et ἀντιλεγομένους. Ex canonibus enim Conciliorum Africae, Innocentii I, et ex innumeris citationibus PP. latinorum evidens est, libros deuterocanonicos cum protocanonicis in pari omnino auctoritate fuisse receptos, eosque omnes quos Origenes et Eusebius indicarunt esse ἀντιλεγομένους, positos fuisse absque indicio controversiae inter sacras et canonicas Scripturas in Ecclesia legendas, qua late patebat usus codicum latinorum. Atqui non poterant septem illa scripta postliminio saeculo forte IV intrudi in versionem et editionem latinam publicam divinae Scripturae in universa Ecclesia occidentis receptam. Transierant ergo illa scripta primis fidei temporibus una cum libris aliis absque ulla memoria aut mentione discriminis ex collectione primaeva aetatis apostolicae in hanc versionem destinatam usui Ecclesiae Romanae matricis et magistrae, ac ceterarum Ecclesiarum occidentis. Proindeque continebantur scripta illa omnia inter Scripturas primitus ab Apostolis Ecclesiae traditas.

Non poterant, inquam, ea scripta postliminio intrudi in versionem inter ss. Scripturas. Id constat imprimis ex ipsa

(1) In editione Oxoniensi huius versionis Philoxenianae deest quidem Apocalypsis; sed monophysitae qui hanc versionem in publico et liturgico usu habent, Apocalypsin certe comprehendunt inter suos libros canonicos. Dionysius Bar-Salibi Episcopus Amidae monophysita saeculo XII. inter alia scripsit, ut in catalogo syriaco eius operum notatur, « librum magnum expositionis in novum Testamentum et *in Apocalypsin Ioannis Apostoli* » (Assemani B. O. T. II. p. 23. 157. 211.). Apocalypsis versio syriaca edita est ex codice Iosephi Scaligeri.

rei de qua agitur, natura (vide p. 429.). Praeterea partes easdem sacrarum Scripturarum iam saeculo III. ineunte in suis latinis editionibus habebant Tertullianus et ceteri illius saeculi scriptores. Patres deinde saeculi IV. et inter hos s. Hieronymus ipse, qui antiquam versionem ad codices graecos correxit, quos maximae auctoritatis reperire poterat, nihil aliud noverunt, quam quod hi libri semper fuerint in latina versione cum ceteris commixti, et quod ita suscipi inter Scripturas non potuissent alii libri, nisi quos Apostoli tradidissent. Hoc PP. testantur in suis canonibus, quibus omnes libros ut canonicos et ab Apostolis acceptos enumerant non sane aliter, quam ut legebantur in ipsarum Ecclesiarum editione latina. « Statutum est ab Apostolis et eorum successoribus, ait Philastrius, non aliud legi in Ecclesia debere catholica nisi Legem et Prophetas et Evangelia et Actus Apostolorum et Pauli tredecim epistolas et *septem alias,* Petri duas, Ioannis tres, Iudae unam, Iacobi unam, *quae septem Actibus Apostolorum coniunctae sunt* » Philast. Haeres. LX. Ne forte putetur, epistolam ad Hebraeos et Apocalypsin defuisse, legantur ibi sequentia. « Epistola Pauli ad Laodicenses... non legitur in Ecclesia, et si legitur a quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo, nisi tredecim epistolae ipsius et *ad Hebraeos* interdum » (1) Haeres. LXI. De Apocalypsi quid sentiendum sit, iam antea dixerat. « Sunt haeretici, qui Evangelium secundum Ioannem et *Apocalypsim ipsius* non accipiunt, et non intelligunt virtutem Scripturae » Haeres. XXXII. (Galland. T. VII. p. 489. 494.).

2°. Usu et consuetudine publica ac universali libros hos omnes susceptos fuisse in Ecclesia diu ante Origenem et Eusebium, eandemque publicam consuetudinem perdurasse etiam eo tempore, quo controversia aliqua obtinuit, demonstrat ipse status quaestionis, ut ab Origene primum saeculo III. et deinde distinctius ab Eusebio saeculo IV. refertur.

a) Primus inter scriptores ecclesiasticos quorum quidem

(1) De hoc discrimine dicemus inferius.

monumenta supersunt, data opera catalogum librorum N. T. conscripsit Origenes hom. VII. n. 1. in Iosue cf. hom. XIII. n. 2. in Genes., ubi sine ulla distinctione omnes enumerat. Supersunt quidem istae homiliae solum ex versione Rufini; modus tamen ipse enumerationis librorum is est, ut hic locus non videatur merito de interpolatione suspectus. « Sacerdotali tuba primus in Evangelio Matthaeus increpuit; Marcus quoque, Lucas et Ioannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam *duabus* epistolarum suarum personat tubis; *Iacobus* quoque et *Iudas*. Addit nihilominus adhuc et Ioannes tuba canere per *epistolas* suas et *Apocalypsim*, et Lucas Apostolorum gesta describens. Novissime autem ille veniens, qui dixit: puto autem, nos Deus novissimos Apostolos ostendit, et in *quatuordecim* epistolarum suarum fulminans tubis, muros Iericho... ad fundamenta deiecit. »

Nihilominus ab ipso Origene prima derivata est notitia, fuisse III. saeculo, qui de quinque ex epistolis catholicis aliquid dubii inferrent; unde ortum habuit distinctio in libros ὁμολογουμενους et ἀντιλεγομενους, quae forma discernendi libros Scripturae ab Origene ad Eusebium et deinceps ad alios propagata est. Modus vero ipse quo hanc distinctionem referunt, manifesto ostendit, hos omnes libros iam pridem fuisse inter Scripturas sacras, et a plerisque etiam tum habitos in auctoritate Scripturarum; ipsosque contradictores huic auctoritati non rata sententia repugnasse, sed inquirentium more haesisse ancipites.

Origenis locus ex deperdito quinto tomo in Ioannem nobis conservatus est partim ab Eusebio (H. E. VI. 25.) partim in Philocalia Nazianzeni et Basilii c. 5. Ibi per modum obiectionis contra se ipsum probaturus non esse multos libros scribendos, inducit exemplum Apostolorum, qui paucissima scripserint; adeoque in eo est, ut quantum fieri potest, numerum scriptorum diminuat. « Paulus... non omnibus Ecclesiis quas docuerat, scripsit; sed et iis quibus scripsit, paucas admodum lineas exaravit. Petrus autem cui tamquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi... *unam dumtaxat quae apud omnes in confesso est* (μιαν ὁμο-

λογουμενην), epistolam reliquit. *Concedamus vero et alteram, de hac enim ambigitur* (ἐστω δε και δευτεραν, ἀμφιβαλλεται γαρ). Iam vero quid dicendum... de Ioanne? Qui quidem unum reliquit Evangelium... Scripsit praeterea *Apocalypsin...* Scripsit etiam epistolam perbrevem. *Concedamus vero etiam secundam et tertiam, neque enim omnes consentiunt has esse genuinas* (ἐστω δε και δευτεραν και τριτην, ἐπει ὀυ παντες φασι γνησιους ἐιναι ταυτας). Ambae tamen vix centum versus continent. » Iudae epistolam non ex omnium sententia necessario admittendam esse indicat in Matth. (ed. De la Rue T. III. p. 814.): « si quis Iudae quoque epistolam admittat » etc.; eodemque fere modo de epistola Iacobi loquitur in Ioann. (T. IV. p. 318.). Alibi vero absque ulla existentis dubii significatione iisdem epistolis Iacobi, Iudae, 2. Petri utitur expresso etiam Apostolorum nomine. « *Iudas* epistolam scripsit paucorum quidem versuum, sed plenam efficacibus verbis gratiae coelestis » in Matth. T. III. p. 463. cf. ib. 607. 692. 693. « Sicut *Iacobus Apostolus* dicit » in Rom. T. IV. p. 654. et saepius alibi. « Iterum *Petrus* dicit: consortes, inquit, facti estis divinae naturae » 2. Pet. I. 4. in Levitic. hom. 4. T. II. p. 200. De epistola *ad Hebraeos* velut libro Scripturae N. T. nulla Origeni nota erat controversia, sed propter styli a ceteris epistolis Paulinis diversitatem quaeri tantum posse indicat, quis sit epistolae scriptor. « Antiqui homines (οἱ ἀρχαιοι ἀνδρες), inquit, non temere ut Pauli eam tradiderunt; » sententias et res certe esse Pauli, dictionem tamen a nonnullis adscribi Lucae vel Clementi Romano (apud Euseb. VI. 25.). Ita iam Origenis magister Clemens Alexandrinus (apud Euseb. VI. 14.) diversitatem styli explicaverat, ut Paulus epistolam scripserit hebraice, Lucas vero graeco sermone eam interpretatus sit. Utitur Origenes frequentissime in suis operibus hac epistola expresso Pauli nomine e. g. in Io. tom. II. n. 6. (T. IV. p. 60.); tom. X. n. 11. (ib. p. 174.); in Ps. IV. 7. (T.II.p.572.); in Ps.VIII.6. (ib. p. 584.); in Thren. IV. 20. (T. III. p. 350.).

Ex his apparet facile status quaestionis tempore Origenis. α) Libri omnes novi Testamenti iidem, quos adhuc

habemus in canone servabantur III. saeculo inter Scripturas sacras ab Apostolis acceptas. β) De Apocalypsi nulla, et de epistola ad Hebraeos nulla quoad auctoritatem sed solum quoad scriptorem usque ad haec tempora (Origenes obiit anno 256.) audita erat controversia. γ) Quinque sic dictae deuterocanonicae epistolae ex septem catholicis pariter comprehensae erant cum ceteris inter ss. Scripturas Ecclesiae, et in usu communi agnoscebantur ut Scriptura divina; non tamen deerant aliqui, qui eas in dubium vocarent.

b) Verum Origenes solum per incidens huius rei mentionem fecit; distinctius et data opera Eusebius statum quaestionis non modo sui temporis, sed etiam aetatis antecedentis declarat. Locus princeps est Hist. Eccles. l. III. c. 25. Discernit quatuor classes librorum, qui modo aliquo dicti fuerint ad Scripturam sacram N. T. pertinere. Terminus comparationis est *Scriptura sacra*, non autem per se *genuinitas librorum*. Distinguit nempe initio tres classes: libros *in confesso apud omnes* (ὁμολογουμενους), *in controversiam vocatos* (ἀντιλεμομενους), et *spurios* (νοθους), quatenus vel omnium consensu pertineant ad *Scripturam sacram*, vel aliqui de hac eorum dignitate dubitent, vel communi sententia certum habeatur, eos ad Scripturam non pertinere; non autem distinctio inde est, quod certus aut incertus sit scriptor, cui adtribuuntur. Id tum ex aliis tum ex eo non obscure colligitur, quod inter *spurios* ponit e. g. Pastorem, cuius auctor Hermas; alios vero libros falsis nominibus Apostolorum suppositos e. g. Evangelium Petri neque inter spurios sed in quarta classe numerat, de qua mox dicam.

Iam in *prima classe* ut libri omnium consensu *inter Scripturas* recepti (ὁμολογουμενοι) sunt quatuor Evangelia; Actus Apostolorum; epistolae Pauli (nulla facta exceptione); 1. Io.; 1. Pet.; « his adnumeranda, si videatur, Apocalypsis Ioannis. »

In *secunda classe* continentur libri *quibus contradicitur* (ἀντιλεγομένοι); hi vero *generatim* sumpti dirimuntur in duplicem ordinem. Ordo prior solus constituit *secundam classem*

librorum, et continet illos qui, licet eis contradicatur a nonnullis, sunt tamen *ut libri Scripturae* agniti et approbati a plerisque (1); sive « qui sunt publici apud multos in plerisque Ecclesiis » l. III. c. 31; « qui *cum libris reliquis* in plerisque Ecclesiis sunt publici » l. II. c. 23; « qui *cum reliquis Scripturis* sunt frequentati » l. III. c. 3.

Haec igitur *secunda classis* teste Eusebio comprehendebat libros, qui publico in usu et a plerisque erant agniti *ut partes Scripturae divinae;* nec ab illis primae classis distinguebantur, nisi quod a *nonnullis* vocarentur in dubium, ideo *specifice* dicti *controversi* (ἀντιλεγομενοι). Numerat in hac secunda classe epistolas quinque catholicas *Iacobi, Iudae, 2. Petri, 2. et 3. Ioannis.* Porro has omnes epistolas in una ecclesiastica collectione fuisse cum protocanonicis **1**. Pet. et **1**. Io. idque ita, ut epistola Iacobi primum locum teneret, manifesto indicat ipsemet Eusebius II. 23: « huius (Iacobi fratris Domini) dicitur esse *prima ex sic dictis epistolis catholicis...* etiam ea quae Iudae dicitur, *una est ex septem, quae appellantur catholicae* » (2).

Tertia classis constituitur libris, qui pertinent quidem ad ἀντιλεγομενους *generatim* dictos; sed sunt in alio ordine, et omnino diversi a libris secundae classis. Nomine *specifico* isti *tertiae classis* non dicuntur ἀντιλεγομενοι, sed *libri spurii* (νοθοι), h. e. quamvis non perniciosi tamen non solum in dubium et quaestionem vocati, sed vel a plerisque vel saltem a nonnullis omnino exclusi ex censu Scripturarum (cf. l. III. c. 3.); ut sunt (teste Eusebio) Actus Pauli, Pastor, Apocalypsis Petri, epistola quae circumfertur Barnabae... « adhuc autem, si videatur, Ioannis Apocalypsis, quam aliqui, ut dixi, reiiciunt (ex numero Scriptura-

(1) Ἀντιλεγομενοι, γνωριμοι δ᾽ὀυν ὁμως τοις πολλοις. Istud γνωριμον non significat quovis modo cognitum, sed de quo est certa persuasio (vetus Lexicon apud Henr. Stephanum in Thesaur.); de libris usurpatum ipsi Eusebio idem significat ac genuinum l. III. c. 38.

(2) Οὐ ἡ πρωτη των ὀνομαζομενων καθολικων ἐπιστολων ἐιναι λεγεται· ὀυ πολλοι γουν των παλαιων ἀυτης ἐμνημονευσαν, ὡς οὐδε της λεγομενης Ἰουδα, μιας και ἀυτης ὀυσης των ἑπτα λεγομενων καθολικων. Ὁμως δε ἰσμεν και ταυτας μετα των λοιπων ἐν πλεισταις δεδημοσιευμενας ἐκκλησιαις.

rum), alii vero rata sententia inserunt inter libros omnium consensu receptos » (ἐγκρινουσι τοις ὁμολογουμενοις). Quae duae sententiae de Apocalypsi quomodo consistere potuerint, inferius patebit.

Quartam classem denique nonnisi ab haereticis sub nomine Apostolorum intrusi et perniciosi libri componunt, « qui *neque inter spurios* numerandi sunt, sed prorsus repudiandi ut absurdi et impii. »

Igitur Eusebius α) reperit epistolas quinque catholicas in publico Ecclesiarum usu et in una collectione cum protocanonicis, et a plerisque approbatas tamquam pertinentes ad sacram Scripturam novi Testamenti. β) Nemo eas definitiva sententia negabat pertinere ad Scripturas; secus non in secunda illa classe, sed in eodem ordine cum Apocalypsi collocari debuissent. γ) Aliqui nonnihil dubitationis de eis inferebant, qui tamen publicam et communem earum receptionem non poterant interturbare. δ) De epistola ad Hebraeos nulla erat dubitatio, quae mentionem mereretur in enumeratione sedulo instituta librorum, qui sint in confesso apud omnes, et qui a nonnullis vocati in dubium. (Alibi l. III. c. 3; l. VI. c. 20. memorat de hac epistola quaestionem aliquam Latinorum, de qua postea dicemus.) ε) Apocalypsim pertinere ad Scripturas sacras aliqui post aetatem Origenis negare coeperunt, et ideo iuxta principium ordinis ab Eusebio adoptatum ponenda fuisset in tertia classe. At ea negatio nullius fuit auctoritatis, et sin minus ad haereticos unice restricta certe nonnisi paucorum inter catholicos; unde nulla habita ratione istius erroris liber Apocalypseos computatus est inter Scripturas omnium consensu admissas.

Est igitur manifestum, etiam aetate Origenis et Eusebii hos omnes libros fuisse publico usu inter ss. Scripturas, atque ut tales a plerisque agnitos et approbatos; dubitationes autem non ad Ecclesiam, sed ad scholam et ad paucorum aliquot doctorum criticam inquisitionem esse referendas.

3°. Quod pertinet ad Patrum citationes ante saeculum IV, est aliquod discrimen inter appellationes ad epistolas catho-

licas, ac frequentationem epistolae ad Hebraeos et Apocalypseos. Epistolas illas animadvertit Eusebius l. II. c. 23, non frequenter citari a veteribus; in ipsa autem hac raritate citationum nonnulli saeculo III. et IV. reperire sibi visi sunt rationem, cur illae in dubium vocari possent. Nihilominus praesto sunt testes satis multi ex Patribus, quos ab aetate apostolica usque ad IV. saeculum iniens has epistolas velut Scripturas sacras in suis lucubrationibus prae oculis habuisse apparet ex modo, quo sive diserte appellant sive manifesto alludunt ad textus earundem epistolarum.

Nominamus pro epistola *Iacobi* Hermam propter expressas et manifestas allusiones (Pastor. l. II. mand. XII. n. 4. 6; l. III. simil. VIII. n. 6.); Clementem Rom. ep. I. Cor. n. 10. 12. 31. coll. Iac. II. 21. 25; in epistolis syriacis ad Virgines ep. I. n. 11. 12. coll. Iac. III. 1. 2. 5. 27; Irenaeum l. IV. c. 16. coll. Iac. II. 23; Clementem Alex. qui teste Eusebio (VI. 14.) in hypotyposibus enarravit etiam libros ἀντιλεγομένους, « Iudae et reliquas catholicas epistolas » τὴν Ἰούδα καὶ τὰς λοιπὰς καθολικὰς ἐπιστολάς (1). Nomine catholicarum epistolarum intellectas esse septem easdem quas adhuc habemus, constat ex Euseb. l. II. c. 23. De Origene diximus superius. Dionysius Alex. (de martyrio c. 6. p. 32. ed. de Magistris) diserte ad Iac. I. 13. appellat tamquam ad *Scripturam*. In versione syriaca saeculi saltem II. etiam ut nunc est, hanc Iacobi cum 1. Pet. et 1. Ioan. contineri, superius p. 488. vidimus.

Pro *2. Petri* praeter Clementem Alex. et Origenem afferri possunt Theophilus Antioch. ad Autolyc. l. II. c. 13. coll. 2. Pet. II. 19; Firmilianus ep. ad Cyprianum (inter Cypr. 75. p. 144. ed. Baluz.) (2); Novatianus de Trin. c. 8.

(1) Quando igitur Cassiodorus (instit. divin. litt. c. 8.) ait, « Clementem Alex. epistolam s. Petri primam, s. Ioannis primam et secundam, et Iacobi attico sermone declarasse; » intelligi debet, non has solas epistolas a Clemente enarratas fuisse, sed harum commentarios expresse nominari a Cassiodoro, quia ipse eos « transferri fecit in latinum. »

(2) Quod ibi Firmilianus scribit: « Petrus et Paulus in epistolis suis haereticos exsecrati sunt, » non ad primam sed necessario ad 2. Pet. refertur.

coll. 2. Pet. III. 10. 12. Verba illa « dies Domini sicut mille anni, » quae hac forma nullibi exstant nisi 2. Pet. III. 8. (longe enim diversa est sententiae conformatio Ps. LXXXIX. 4.) citantur iam in ep. Barnabae n. 15, tum a Iustino dialog. cum Tryph. n. 81, et ab Irenaeo V. 23.

Pro epistola *Iudae* sunt inter testes expresso *Iudae* et *Iudae Apostoli* nomine Clemens Alex. (Paedagog. l. III. c. 8. p. 239; Strom. III. p. 431; VI. p. 647.); fragmentum Muratorianum (Galland. II. p. 208.); Tertullianus (de Cultu femin. l. I. c. 3); nomine *Scripturae* anonymus l. de lapsis n. 16. ad Novatianum (inter Opp. Cypr. p. XVII.).

Ioannis epistolas plures una se inter Scripturas habuisse, declarant Irenaeus l. I. c. 16. diserte citans 2. Io. et ex 1. ac 2. textus coniungens, quasi utraque esset una epistola l. III. c. 16. n. 5. 7; Clemens. Alex. (Strom. II. p. 389), a quo citatur « Ioannes in *maiori epistola* »; fragmentum Muratorianum ubi dicitur: « epistola sane Iudae et superscripti Ioannis duas (sic) in catholica habentur » (1). Dionysius Alexand. omnes tres appellat (apud Euseb. VII. c. 25.). « Ioannes nec Evangelio, inquit, nec epistolae catholicae suum nomen praescripsit; sed nec in secunda quae habetur (2), et tertia sane brevibus Ioannis nomen prostat, verum sine nomine scriptum est *presbyter.* » Cyprianus 2. Io. citat ad Quirin. l. II. c. 27. p. 296; l. III. c. 78. p. 325, pariterque Aurelius a Chullabi in Concilio sub Cypriano (inter Opp. Cypr. p. 337.).

De epistola *ad Hebraeos* Origenes testis est (apud Euseb. VI. 25), eam « ab antiquis hominibus traditam esse ut Pauli epistolam. » Post Origenem Eusebius testatur, eam in omnibus Ecclesiis orientis in confesso esse, apud quas omnes « quatuordecim epistolae Pauli publicae sunt et manifestae » προδηλοι και σαφεις (Eus. III. 3.). Hieronymus repetit, « eam non solum ab Ecclesiis orientis, sed ab omni-

(1) Forte hic scriptor cum Irenaeo 1. et 2. Io. computavit velut unam epistolam.

(2) Ἐν τη δευτερα φερομενη. Hoc verbum per se non indicare dubiam epistolam, patet ex Euseb. III. 25, ubi ipsam 1. Io. sane a nemine in dubiam vocatam dicit την φερομενην Ιωαννου προτεραν.

bus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi » (ep. 129. ad Dardan. n. 3. T. I. p. 965.). Sane ante Origenem Clemens Alexandrinus et ante hunc « beatus senex, » qui Pantaenus esse creditur, testati sunt epistolam esse Pauli (Euseb. VI. 14.). Irenaeus item ea usus est (Eus. V. 26), et Romanus Clemens ex eadem « multas inseruit sententias » in sua I. ad Corinthios epistola (Euseb. III. 38; Hieronym. de vir. illust. sub verbo *Clemens*). Quamvis vero aliqui, ut referunt Clemens Alex. et Origenes (Euseb. VI. 14. 25.) et s. Hieronymus (ep. ad Dardan. l. c.), dictionem graecam epistolae non Pauli sed Lucae vel Clementis vel Barnabae esse dicerent, nulli tamen erant in universo oriente usque ad Arianos (Theodoret. praefat. in Heb.; Epiphan. haeres. LXIX. n. 27), qui canonicam epistolae auctoritatem in dubium vocarent. In occidente saeculo III. primum occasione disputationum cum Montanistis aliquid dubii incidisse, seu verius aliquam oeconomiam in usu epistolae fuisse adhibitam, quae nonnullis ansam praebere potuit dubitandi de ipsa epistola, referunt Eusebius III. 3; VI. 20. 21. et ex Eusebio s. Hieronymus (de vir. illust. v. *Paulus* et *Caius;* comment. in Is. VIII. 18. T. IV. p. 125); Philastrius haeres. LXI; August. Civ. Dei XVI. 22; Exposit. inchoat. in Rom. n. 11; ex illis deinde Primasius praefat. in Heb. et Isidorus Etymolog. VI. c. 2; de Offic. I. c. 12. De hac dubitatione inferius dicemus.

Apocalypsin inde a tempore quo scripta erat, usque ad saeculum III. labens Patres vetustissimi unanimi consensu testantur opus esse s. Ioannis Apostoli, pertinens ad Scripturam. In eam ut in divinum Apostoli librum commentarios scripserunt Melito (Euseb. IV. 26), Hippolytus (ut testantur inscriptio in statua Vaticana, Hieronymus de viris illustr., Iacobus Edessenus in Ephremi Opp. syr. T.I.p.292, Andreas Caesar. Bibl. Max. PP. T. V. p. 590.). Papias qui fortasse ipsius Ioannis fuerat auditor, hunc librum « ut divinum et fide dignum tradidit » (Andreas Caesar. in Apoc. l. c.). Praeterea diserte et expresso etiam Ioannis Apostoli et divinae Scripturae nomine citabant Apocalypsin usque

ad aetatem Origenis Iustinus dialog. n. 81; Theophilus Antiochenus (Euseb. IV. 24); Irenaeus IV. 20; V. 26. 30; Apollonius Ephesinus presbyter (Euseb. V. 18); Ecclesia Viennensis ep. ad Ecclesias Asiae n. 15. (Galland. I. p. 704); fragmentum Muratorianum; Clemens Alex. Paedagog. II. n. 12. et alibi; Tertullianus contr. Marc. IV. 5; Cyprianus ad Quirin. et alibi saepe; Confessores Romani ep. ad Cyprianum (inter Cyprianicas ep. 25. p. 36.). Imo Irenaeus l. V. c. 30. provocat ad codices suo tempore iam vetustos, et ad discipulos tamquam testes, qui « facie ad faciem viderant Ioannem. » Origenes vero eo ipso in loco, ubi dubia omnia diligenter commemorat quae suo tempore de nonnullis libris N. T. alicubi exstabant, Apocalypsin cum Evangelio et prima epistola absque ulla significatione controversiae collocat inter opera Ioannis Apostoli, de quibus apud omnes constabat unanimi consensu (Euseb. VI. 25. supra p. 492. 493.). Primus qui in disputatione cum Nepotianis millenariis alicuius controversiae de hoc libro meminisse reperitur, est Origene posterior Dionysius Alexandrinus (Eus. VIII. 25.), de quo inferius dicemus.

Ex modo igitur, quo Patres vetustissimi usque ad III. saeculum labens usi sunt epistola Pauli ad Hebraeos et Apocalypsi Ioannis Apostoli manifestum est, et ex modo quo usi sunt epistolis catholicis, quantum ex ipsa indole harum epistolarum et operum Patrum exspectari potest, apparet, hos libros omnes inde a temporibus apostolicis universali consuetudine fuisse inter ss. Scripturas receptos.

II. Susceptio horum omnium librorum inter Scripturas divinas, et apostolica origo Traditionis confirmatur ex diserta doctrina, ut continetur in catalogis, quibus libros unanimi et universali consensu in Ecclesia sacris Scripturis adnumeratos consignare propositum erat.

1°. Canones omnes Ecclesiae occidentalis quos memoravimus th. XI, absque ullo discriminis indicio et deuterocanonicos libros commiscendo protocanonicis, ad significandam nempe eorum omnium identicam auctoritatem, comprehendunt omnes et solos libros N. T., quos adhuc habemus in canone Ecclesiae catholicae. Huiusmodi sunt collectio Scri-

pturarum, qualis probatur fuisse in ipsa primitiva editione latina; tum canones Conciliorum Africae et Augustini, Pontificum Innocentii I, Gelasii I. vel Hormisdae, subsequentium deinde recensiones, nempe Cassiodori, Isidori, Ildephonsi etc.; atque ex istis Patrum documentis inde a saeculo VI. in corpus Iuris seu in diversas collectiones canonum inserti indices librorum sacrorum.

2°. Imo illi etiam Patres, qui in oriente quoad libros V. T. controversiam aliquam existentem suis in catalogis declarare necessarium existimabant, consensum quoad libros N. T. invenerunt tam universalem, ut saltem plerique controversiam non putaverint mentione dignam, et libros nostros omnes numeraverint inter ὁμολογουμένους et admissos unanimi consensione. Ita quoad N. T. plenum referunt canonem, ut deinceps definitus est in Concilio Tridentino, Athanasius, Synopsis Athanasiana, Epiphanius (haeres. LXXI. confut. 5. T. I. p. 941.), Rufinus, Hieronymus (ep. 53. n. 8. ad Paulin.), Leontius, Damascenus (1) ll. cc.

3°. Inter Patres reliquos, qui ratione dubitationis exortae aliquos ex his libris collocant extra numerum universali consensu receptorum (ὁμολογουμένων), nullus est, qui non retineat eorum saltem unum vel alterum. In libris deinde quos omittunt, plerique neque inter se consentiunt. Epistolam *ad Hebraeos* omnino omnes ponunt inter ceteras Pauli epistolas, si excipias fragmentum Muratorianum. De Origene et Eusebio primis alicuius distinctionis relatoribus superius satis dictum est. Ex ceteris habent inter libros communi consensu receptos omnes *septem epistolas catholicas,* et solam omittunt Apocalypsin Nazianzenus, Cyrillus, Concilium Laodicenum, canon ultimus apostolicus, Nicephorus (exscribens Nazianzenum vid. p. 463. 464. 479.). Tres epistolas catholicas 1. Pet. 1. Io. *Iac.* habent inter ὁμολογουμένας, remissis quatuor reliquis cum Apocalypsi ad ἀντιλεγομένας, editio syriacae versionis simplicis (forte inde a saeculo IV. aut V. cf. supra p. 488.), tum Amphi-

(1) Damascenus in eo abundat, quod ex Concilio Trullano ponit inter libros sacros N. T. etiam *canones apostolicos.*

lochius et auctor Synopsis inter Opp. Chrysostomi T. VI. p. 318. Duas tantum 1. Pet. 1. Io. ponit in primo ordine Iunilius Africanus, quibus, inquit, « adiungunt quamplurimi *quinque alias,* quae Apostolorum canonicae nuncupantur, id est Iacobi unam, Petri secundam, Iudae unam, Ioannis duas. » De Apocalypsi, ait, « apud orientales admodum dubitatur » (de Part. div. leg. l. I. c. 4. 6.). Fragmentum Muratorianum (1) recenset quatuor Evangelia, Acta, tredecim epistolas Pauli, *Apocalypsin Ioannis,* qui dicitur Pauli praedecessor; ex epistolis catholicis illam *Iudae* et *duas Ioannis.* Desunt igitur non solum ep. *Heb. Iac. 2. Pet.* sed etiam *1. Pet.* (2), de qua nemo umquam dubitavit. Unde quamvis in eo documento non pauca sint obscura, et scopus ipse particularis ad quem ibi librorum censio instituitur, non satis liqueat, illud tamen certum est, auctori, quisquis fuerit, non fuisse propositum distincte et sensu excludente designare catalogum omnium librorum, quos reperit in Ecclesia catholica admissos inter Scripturas.

Si iam haec simul computes, Patres inde a saeculo II. et III, et adhuc frequentius ac disertius IV. et V. saeculo ad libros omnes novi Testamenti tamquam ad Scripturam divinam appellasse absque ullo discrimine; cum diserta deinde doctrina qua omnes iidem libri numerantur inter Scripturas unanimi consensu receptas in Ecclesia, plenissime conspirare universalem usum ecclesiasticum; si in-

(1) Textum correctius edidit Wieseler (vid. Introduct. in N. T. Valroger T. I. p. 76.).

(2) Non videtur probabilis coniectura Hugii, qui (Introduct. T. I. p. 125.) reperire voluit in fragmento utramque epistolam Petri, primam ut certam, alteram tamquam dubiam. Locus fragmenti hic est: « Epistola sane Iudae et superscripti Ioannis duas (sic) in Catholica habentur; et Sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta. Apocalypse (Apocalypsis vel Apocalypses) etiam Ioannis. Et Petri (vel: etiam Ioannis, et Petri) tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt. » Iam Hug hoc ultimum incisum coniectat graece fere ita fuisse: *και Πετρου μονην παραδεχομεθα, ἡς παρεξ τινες ἡμων ἀναγινωσκεσθαι ἐν ἐκκλησιᾳ οὐ θελουσι,* « et Petri unam solam (epistolam) suscipimus, praeter quam quidam nostrum aliam in Ecclesia legi nolunt. » At in fragmento omnino de Apocalypsi Petri, non de epistolis sermo esse videtur.

super prae oculis habeas regulas, secundum quas scopus et genuinus sensus Patrum in canonibus deficientibus consignandis explicari debet (th. XIII. n. II.): manifestum est libros omnes N. T. in Ecclesia semper ita fuisse receptos tamquam sacras Scripturas, ut Traditione apostolica transmissi demonstrentur. Sane vero ad vim demonstrationis intelligendam adtendatur oportet tum generatim ad principia, quibus Ecclesia in custodiendo deposito quavis aetate regebatur (de Trad. th. IX. n. I. 4°.), tum nominatim ad sollicitudinem, qua Scripturae « apud presbyteros » Ecclesiarum custodiebantur et privatim ac publice legebantur.

THESIS XVI.

Explicatur origo dubitationum circa libros deuterocanonicos N. T.

**« Si quae saeculo III. et IV. de aliquot novi Testamenti libris dubi-
» tatio incidit, ea cum libri iidem iam manifesta Traditione suscepti
» erant in Ecclesia, ex adiunctis quibusdam causam habuit et originem,
» ita ut nec Traditionis constantiam interrumpere nec certitudinem la-
» befactare potuerit, moxque quinto iam saeculo universali consensioni
» penitus cesserit. »**

Vidimus th. X. dubitationes circa libros deuterocanonicos V. T. qui sane omnes simul ab Apostolis fuerant Ecclesiae traditi, unam et eandem originem habuisse ex comparatione Scripturarum Ecclesiae cum censione hebraica. Libros N. T. quos Apostoli non iam scriptos repererunt, sed paulatim longiori temporis decursu (inter annum 32. et 96. aerae vulgaris) ipsi conscripserunt, facile quidem intelligitur non fuisse simul omnes omnibus Ecclesiis traditos, atque potuisse plures paucioresve per aliquod tempus non valde diuturnum nonnullis Ecclesiis manere incompertos. At difficilius explicatur, quomodo III. saeculo post collectionem Scripturarum sacrarum iam pridem absolutam et quotidiano usu confirmatam, ut ex ipsis relationibus dubitationum aperte colligitur, potuerint nihilominus intra fines Ecclesiae in controversiam vocari libri,

de quibus agimus. Declaratio originis dubiorum simul demonstrabit labile eorum fundamentum, eoque magis patefiet firmitas et certitudo Traditionis.

Si dubia illa III. saeculo commemorata penitius inspiciantur, apparet eorum originem revocari potissimum ad duplicem fontem; ad applicationem *criterii negativi* ex raritate citationum penes antiquiores scriptores, et ad cautionem ac quandam oeconomiam inductam propter *abusum errantium* in interpretatione doctrinae libris contentae. Criterium *negativum* maxime ad epistolas catholicas applicabant; sublesta aut falsa interpretatio doctrinae librorum primum minus frequenti usui eorundem in nonnullis Ecclesiis, et deinde dubitationi de scriptore ac demum de auctoritate epistolae ad Hebraeos et Apocalypseos ortum dedit. Primo igitur de catholicis epistolis, deinde de ep. Heb. et de Apocalypsi dicemus.

I. Quamvis critici illi doctores saeculo III. et IV. repererint epistolas catholicas omnes in una collectione septenarii numeri easque numquam seiunctas, ac viderent sine discrimine hanc collectionem totam et singulas eius epistolas publico in usu Ecclesiarum, putabant tamen Traditionem maxime exquirendam esse in citationibus veterum scriptorum; cuiusmodi diligentissimae inquisitionis exemplum habemus in Eusebio. Cum vero insuper nonnisi citationum expressarum rationem haberent, ubi has raro et a paucis factas esse reperiebant, existimabant rationem esse sufficientem non quidem *negandi* genuinitatem et consequenter auctoritatem canonicam libri, sed tamen *dubitandi*, utrum de ea certo constaret; ac propterea librum non in prima sed in secunda classe inter ἀντιλεγομένους recensebant. « Sciendum est, inquit Eusebius de epistola Iacobi, quod suppositionis suspecta est. » Quomodo haec suspicio cadere potest in epistolam, quam ipsemet fatetur ordine primam inter catholicas? En rationem: « scilicet *non multi veterum eius meminerunt,* sicut neque illius quae Iudae dicitur, et est ipsa quoque ex septem catholicis sic appellatis » Euseb. II. 23. At quis non videt, hanc rationem *negativam* nullius esse valoris, si de Traditione aliunde et-

iam constare potest quam ex citationum frequentia, et si raritas citationum demonstrari nequeat causam habuisse in ignoratione librorum aut in negatione canonicae eorum auctoritatis?

1°. Argumentum negativum, etiamsi hypothesis esset verissima, id unum efficeret, Traditionem non potuisse probari disertis veterum testimoniis, quod profecto non sufficit ad eam dubiam reddendam, si aliis certis argumentis et indiciis probatur. Atqui publicus Ecclesiarum usus et immemorabilis comprehensio harum epistolarum inter Scripturas sacras, quem usum et quam comprehensionem Eusebius ipse testatur, atque adeo semper vigens et constans Ecclesiae persuasio efficacius et certius demonstrat apostolicam Traditionem, quam singulae citationes hinc inde in veterum scriptis repertae.

2°. Argumentum negativum nullam prorsus vim habet, nisi demonstretur ea fuisse adiuncta, et eam librorum de quibus quaeritur indolem, ut scriptores necessario ad talem librum appellare debuissent, si eius auctoritatem agnovissent. Nisi enim adiuncta ita habeant, ex silentio numquam inferri potest, quid scriptor de libro eiusque auctoritate senserit. Atqui generatim talia adiuncta et talis libri indoles non nisi rarissime demonstrari possunt; speciatim in causa praesenti aliqui ex his libris ita comparati sunt, ut potius vehementer mirandum foret, si frequentes eorum apud PP. primae aetatis occurrerent citationes. Quomodo enim frequentem exspectes necessitatem aut opportunitatem appellandi ad epistolas paucis omnino versibus constantes, insuperque rebus ac sententiis fere cum aliis libris convenientes, ut sunt epistola Iudae coincidens cum 2. Petr. II. et utraque Ioannis, quarum secunda fere ex integro, tertia quatenus non de privatis personis agit, convenit cum epistola prima Ioannis?

3°. Hypothesis ipsa non est undequaque vera, si non solum ad disertas citationes restringatur, sed ad usum harum epistolarum generatim apud vetustos Patres extendatur. Saltem ita res et verba ex his epistolis in sua scripta transtulerunt, ut ex Patribus illis constans et communis

usus Ecclesiae inde ab aetate apostolica confirmetur (vide supra p. 496. sq.). Tantum abest, ut ex silentio aliquid inferri possit contra universalem consuetudinem et viventem in praxi Ecclesiae Traditionem.

4°. Alioquin fatentur illi ipsi, qui dubitationes ortas referunt, epistolas easdem in publico usu Ecclesiarum perseverasse et a plerisque fuisse agnitas, atque ipsimet eis tamquam Scripturis sacris et apostolicis utuntur. Nemo autem umquam retulit aut explicuit, quando, a quibus, quomodo libri humani imo supposititii in Scripturas divinas intrudi, et inter Scripturas in Ecclesiarum constantem et publicum usum adoptari potuerint. Et sane talis usus nisi ex Traditione apostolica explicari nequit.

5°. Porro genuinitas Traditionis extra omne dubium ponitur per consensum universalem omnium Ecclesiarum tempore subsequente. Nam IV. et V. iam saeculo catalogi fere unanimes, exceptis paucissimis orientalibus (Amphilochii, synopseos Chrysostomi) qui Eusebium sequuntur, habent omnes epistolas inter ὁμολογουμένας, ut vidimus superius p. 500. 501. Deinceps vero vix amplius apparent dubitationis vestigia, nisi forte in extremo oriente inter Syros, unde Iunilius Africanus (de Partibus divin. legis l. I. c. 6.) a suo magistro Paulo ex schola Nisibena acceperat notitiam de aliqua controversia quoad has quinque epistolas catholicas, si tamen ea non sit potius erudita relatio animadversionum Origenis et Eusebii quam expositio status quaestionis, V°. saeculo.

Ex dictis iam satis constat, dubia quoad epistolas catholicas non solum non universalia sed restricta fuisse ad scholam, quae nec usum in vita publica Ecclesiae interturbare nec Traditionis constantiam interpolare potuerunt.

II. De epistola ad Hebraeos Eusebius l. III. c. 3; l. VI. c. 20, et ex eo s. Hieronymus (in Is. VIII. 18. T. IV. p. 125; ad Dardan. ep. 129. n. 3; de viris illustr. v. *Paulus, Caius,* et alibi); s. Augustinus (Expos. in Rom. inchoata n. 11; Civ. Dei XVI. 22.); ex illis deinde Primasius (praefat. in Heb. quamvis non sine stomacho contra dubitatores Bibl. Max. PP. T. X. p. 246.); Isidorus (Etym. l. VI. c. 2; de

Offic. l. I. c. 12.) referunt, eam unanimi consensu apud orientis quidem Ecclesias, non tamen ab omnibus occidentalibus esse receptam ut Pauli. Imo Hieronymus in Is. et ad Dardan. l. c. ait: hanc epistolam « latina consuetudo inter canonicas Scripturas non recipit; » etiam secundum opinionem Augustini in Rom. l. c. quia nomen Pauli non est praefixum, « nonnulli eam in canonem Scripturarum recipere timuerunt. »

Res est valde mira; tam multi post Eusebium sermonem habent de hominibus, qui huic epistolae contradicant, et illi homines nuspiam comparent. Ipsi qui hoc narrant, eam sine ulla dubitatione recipiunt; nullus est catalogus sive occidentalis sive orientalis, qui eam non recenseat cum reliquis Pauli epistolis inter Scripturas unanimiter receptas, unico excepto fragmento Muratoriano, ex quo ipso quid eius auctor senserit, non est liquidum; nullus potest proferri scriptor catholicus, cuius opera supersint et a nobis examinari queant, qui epistolae auctoritatem canonicam in dubium vocaverit (1); innumeri eam citant non solum orientales sed occidentales Hieronymi et Augustini aetate absque ullo dubio ut librum Scripturae et ut epistolam Pauli Apostoli. Vix non suspicareris, Eusebium errasse, et reliquos simpliciter retulisse illius narrationem. Attamen re penitius inspecta non potest negari, fundamentum exstitisse huius narrationis; apparet enim III. et alicubi adhuc IV. saeculo, ex quo tempore Montanistarum et Novatianorum haeresis Ecclesiam infestam habuit, occidentales Patres caute hac epistola usos esse. Cyprianus numquam in suis scriptis eam adhibet, Tertullianus ipse iam Montanista quamvis pro more suae sectae ex illa errorem confirmare nitatur, tamen non Paulo sed Barnabae tribuit (de Pudicit. c. 20.). Ex hoc autem usu minus frequenti poterant induci dubitationes, quas tamen necesse est dicere numquam nisi ad paucos propagatas fuisse.

(1) Eusebius VI. 20. narrat quidem, Caium Romae disputantem adversus Proclum Montanistam tredecim solum numerasse Pauli epistolas; sed ex omissione appellationis nondum inferri debet dubitatio de ep. Heb.; potuit enim omissionis esse alia ratio. Ceterum quid Caius senserit, non possumus examinare, cum nulla eius scripta habeamus reliqua, nisi forte eius sit fragmentum Muratorianum, ut multi putarunt.

Sane constat testimonio veterum, Novatianos suum errorem quo peccata aliqua potestati clavium subtracta et irremissibilia asserebant, potissimum ex Heb. VI. 4. 5. defendere consuevisse. Testantur id Epiphanius Haeres. LIX. n. 2; Hieronymus contr. Iovin. l. II. n. 3. T. II. p. 325; auctor l. de falsa et vera Poenit. c. 3. (in appendice Opp. August. T. VI.); Theodoretus in h. l.; Marcus Aegypt. opusc. III. de Poenit. (Galland. VIII. p. 32.); Eulogius Alex. (apud Photium cod. 280.). De Montanistis Novatianorum praedecessoribus idem indicat s. Hieronymus l. c., et sane Tertullianus iam Montanista (l. de Pudicit. c. 20.) pro eodem errore eundem locum urget non sine vehementia.

Iam vero videmus, primum in disputatione cum Montanista Proclo hanc cum ceteris epistolis Pauli « non fuisse connumeratam » a Caio presbytero, ut narrat Euseb. VI. 20; vel, ut s. Hieronymus narrationem Eusebii exprimit efficacius, eam Caius dixerit « Pauli non esse. » Hanc oeconomiam catholici alii videntur imitati esse. Certe Philastrius asserit, eam minus frequenter legi quam reliquas epistolas Pauli, et huius rei rationem adfert ex difficultate nonnullorum textuum, nominatimque commemorat periculum haeresis Novatianae, quod sane non ex verbis epistolae sed ex praepostera haereticorum interpretatione timeri potuisse intelligendum est (Haeres. LX. LXI.). « Leguntur, inquit, Pauli tredecim epistolae et *ad Hebraeos interdum*... Quia factum Christum dicit in ea (Heb. III. 2.), *inde non legitur; de poenitentia autem propter Novatianos aeque.* » Ceterum eos qui epistolam Pauli esse negant, ipse Philastrius (Haeres. XXXII.) haereticis accenset; unde evidens est, quod diximus, Philastrium errores, quos indicat, non ipsi epistolae sed detorsionibus haereticorum adscripsisse.

Tota itaque historia ad haec fere capita revocari potest. *a*) Patres vetustissimi qui data opera de libris canonicis et de hac epistola nominatim disseruerunt, docent eam Ecclesiis inde a prima antiquitate (παρα των ἀρχαιων ἀνδρων Orig.) traditam esse ut librum Scripturae et epistolam Pauli. Doctores Alexandrini, ut Clemens et Origenes, animadverterunt aliquam diversitatem a ceteris epistolis Pau-

linis, sed eam opportune conciliabant cum Traditione (supra p. 498.). *b*) In Ecclesiis orientalibus unanimis semper fuit consensus tum de auctoritate canonica epistolae tum de scriptore Paulo saltem quoad res et sententias. *c*) In occidente eadem continebatur semper inter libros s. Scripturae, et in omnibus catalogis occidentalibus aeque ac orientalibus numerata est inter libros canonicos. *d*) Propter abusum tamen Montanistarum et Novatianorum III. saeculo aliqui scriptores catholici occidentales libentius abstinebant ab appellationibus ad illam, alicubi etiam cautius legebatur in Ecclesia. *e*) Inde nonnulli eam alteri quam Paulo tribuere malebant, non Traditione sed argumentis nixi internis; tum aliqui etiam canonicam auctoritatem in quaestionem vocabant, qui nec multi nec magnae auctoritatis esse poterant, cum nullus scriptor supersit qui ita senserit, sed id unice memoriae proditum sit ab aliis. Atqui talis ab externa occasione postliminio superveniens oeconomia et aliquorum dubitatio profecto Traditionem apostolicam et persuasionem communem interturbare non poterat.

III. Superius vidimus, Apocalypsin perpetua serie testium inde ab ipsis Ioannis discipulis usque ad Origenem in Ecclesia non modo occidentis sed etiam orientis habitam fuisse inter libros sacros, et genuinam Scripturam Ioannis Apostoli. Nec Origeni adhuc quidquam de dubitatione inter catholicos innotuerat; secus enim eam non cum Evangelio et prima epistola inter libros ὁμολογουμένους et unanimi consensu susceptos, sed cum 2. et 3. epistola inter libros posuisset, de quibus dubitabatur (vide supra p. 499.).

Ultimis annis Origenis Episcopus Aegyptius Nepos contendens, Scripturas ubique sensu non tropico sed immediato intelligendas esse, doctrinam de regno millenario ex Apocalypsi asseruit scripto etiam libro «adversus Allegoristas.» Cum multi in Arsinoitica praefectura Nepotis doctrinam amplecterentur, et res paulo post Origenis obitum in apertum schisma et defectionem Ecclesiarum vergeret (Origenis obitus contigit anno 256, schisma Nepotianum circa annum 264.), Dionysius Origenis in regenda schola catechetica successor et deinde Episcopus Alexandrinus ad hos ho-

mines ab errore revocandos scripsit adversus Nepotem duos libros « de Promissionibus, » quorum in II. egit de Apocalypsi. Admittebat ipse quidem eam ut librum « prophetae » et hominis « sancti ac divinitus inspirati » (1); ex argumentis tamen internis, ex stylo et ductu sermonis, facta comparatione cum Evangelio et epistolis Ioannis, eam alterius Ioannis non Evangelistae esse censuit. Quoad doctrinam autem libri: « arcanum quemdam, ait, planeque admirabilem singularum rerum sensum latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, sed tamen assumo profundiorem quemdam sensum verbis subesse; eaque non meo ipsius iudicio metior atque aestimo, sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur. » Ipse itaque Dionysius de inspiratione et divina auctoritate libri consentit cum ceteris, solum dubitans de homine libri scriptore, quis fuerit. Imo sicut quoad doctrinam libri confutavit Nepotis opinionem, ita de scriptore et divinitate libri ea quae commemoravimus, scripsit adversus libri calumniatores. Paulo enim ante verba citata ita narrat. « Nonnulli ex iis qui fuerunt ante nos (τινες των προ ἡμων), librum hunc repudiarunt penitus ac refutarunt, singula eius capita refellentes eumque absque sensu et ratiocinatione (ἀσυλλογιστον) esse monstrare volentes... Non modo Apostolorum neminem sed neque omnino aliquem ex sanctis et Ecclesiae viris huius scriptionis esse auctorem; Cerinthum Ioannis nomen... operi suo indidisse » (apud Euseb. l. VII. cc. 24. 25.).

Haec prima audita est adversus Apocalypsin non modo dubitatio, sed plena negatio et atrox calumnia. Iam vero aio, hos calumniatores non fuisse homines Ecclesiae catholicae sed haereticos; nihilominus hanc Dionysii narrationem fuisse unicam rationem Eusebio, cur Apocalypsin non certo et necessario inter libros ὁμολογουμενους ponendam esse significaverit (l. III. c. 25.).

Non possunt esse catholici, talem enim catholicorum sententiam Origenes, ut de aliis rationibus nihil dicam, non potuisset ignorare; et si eam novisset, non potuisset Apocalypsin cum Evangelio et prima epistola numerare

(1) Ἁγιου μεν γαρ ἐιναι τινος και θεοπνευστου συναινῶ.

inter libros unanimi consensu susceptos, eo in loco ubi totus est in indicandis omnibus dubiis, quae quovis modo de libris Scripturae existebant (p. 499.). Epiphanius (Haeres. LI. n. 3. 32. sq.) describit haereticos nomine Alogorum (των ἀλογων), qui scripta omnia s. Ioannis respuentes Apocalypsin nominatim adscribebant Cerintho, eamque velut absurdam per singula capita refutabant. Iam vero haec Epiphanii narratio plane coincidit cum iis, quae Dionysius refert de nonnullis, qui ante suam aetatem Apocalypsin penitus repudiarunt singula eius capita refellentes velut scripta absque sensu et ratione. Ergo hos et Alogos vel his similes haereticos non vero homines Ecclesiae catholicae a Dionysio ut repudiatores libri sacri indicatos esse putabimus (vide Hug. Introduct. T. II. §. 184.).

Alterum, quod dixi de Eusebio unice hanc Dionysii narrationem secuto, prorsus evidens est. Nam *a*) eo in loco ubi describens libros N. T. ait, Apocalypsin posse poni vel inter receptos unanimi consensu (ὁμολογουμενοῦς) vel inter spurios: «quam aliqui repudiant, alii vero definitive collocant inter susceptos unanimi consensu,» eo inquam ipso loco (l. III. c. 25.) promittit, se alibi expositurum, «quid de ea veteres senserint.» Atqui nullo alio in loco quidquam exponit de veterum sententia circa Apocalypsin, nisi hisce capitibus 24. 25. l. VII, ubi refert narrationem Dionysii. Ergo haec sola narratio continet sententiam illam veterum, quae ei fundamentum erat affirmandi, Apocalypsin ab aliquibus inter libros certo non divinos ac spurios recenseri. *b*) Solum ex narratione, ut est apud Dionysium, explicari potest illa sane mira affirmatio Eusebii, cum librum non in secunda classe inter dubios, sed vel in prima inter certos vel in tertia inter spurios collocandum esse dicit. Ad hoc enim necesse est, ut neminem repererit dubium de libri auctoritate; sed plerosque illum certo asserentes divinum, nonnullos vero omnino respuentes eo prorsus modo, quo est in narratione Dionysii. In eo deceptus est Eusebius, quod illos *nonnullos* putaverit fuisse catholicos.

Post Eusebium IV. et V. saeculo saepius narratum re-

perimus, apud orientales Apocalypsin non recipi, eo fere modo quo dicebantur occidentales non admisisse epistolam ad Hebraeos. « Quod si epistolam ad Hebraeos Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas, ait s. Hieronymus, nec Graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt; et tamen nos utraque suscipimus non huius temporis consuetudinem sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes » (ep. 129. n. 3. ad Dardan.). Reipsa in nonnullis catalogis orientalibus eius aetatis omittitur, vel ponitur inter libros ἀντιλεγομενους (supra p. 500.). Aliqui etiam Patres, ut Cyrillus Hierosolymitanus, ab eius citationibus abstinent. Nihilominus non modo occidentales sed etiam multi catalogi orientalium eodem tempore pergunt eam recensere inter ὁμολογουμενους nulla habita ratione invectae dubitationis, et PP. graeci numero plurimi, auctoritate gravissimi saec. IV. eam sine ullo indicio controversiae adhibent ut librum s. Scripturae et librum Ioannis Apostoli, adeo ut quemadmodum Philastrius in occidente (Haeres. XXXII.) ita Epiphanius in oriente (Haeres. LI.) impugnatores Apocalypseos non alios noverit quam haereticos.

Quamvis igitur IV. saeculo in oriente non idem unanimis fuerit consensus sicut tempore ante schisma Nepotianum, huiusmodi tamen non ex Traditione sed aliunde sero superinductae haesitationes Traditionis constantiam labefactare non poterant; unde sicut de ceteris libris N. T. ita etiam quoad Apocalypsin post saeculum V. nulla amplius reperiuntur vestigia dissensionis.

THESIS XVII.

Declaratur, quod s. Hieronymus dixit de consuetudine non suscipiendi epistolam ad Hebraeos et Apocalypsin.

« Quod s. Hieronymus ait ep. ad Dardanum n. 3, « si Latinorum » consuetudo epistolam ad Hebraeos non recipit inter Scripturas canonicas, nec Graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsin Ioannis eadem » libertate suscipiunt; » id nec ipse s. doctor dixit nec inspectis monumentis intelligi potest de consuetudine communi et publica, sed tam » quoad epistolam quam quoad Apocalypsin accipi debet sensu restricto » ad privatas dubitationes. »

I. « Latinorum consuetudo » tempore s. Hieronymi, vel ut habet in Is. VIII. 18. « latina consuetudo, » quae epistolam ad Hebraeos non receperit, *a*) non potest intelligi communis et publica; sed privata aliquorum fuit dubitatio. Imo *b*) inter hos ipsos plerique magis de scriptore quam de divina auctoritate epistolae disputasse putandi sunt.

1°. Quod spectat ad amplitudinem illius negativae consuetudinis, *a*) Hieronymus ipsemet eodem in loco ep. ad Dardan. ubi contrariam Latinorum consuetudinem memorat, simul testatur eandem epistolam « quotidie *Ecclesiarum lectione* celebrari. » Opponit ergo s. doctor consuetudinem publicam Ecclesiarum consuetudini privatae quorundam Latinorum. *b*) Hieronymus non simpliciter affirmat, Latinorum esse consuetudinem non recipiendi epistolam inter Scripturas canonicas; sed loquitur velut permittendo et transmittendo argumentum petitum ex latina consuetudine, quam primus Eusebius asseruit (l. III. 3; VI. 20.), si ea quoquomodo existat. Patet hoc utrumque quod dicimus, ex obvia loci Hieronymi inspectione. « Illud nostris dicendum est, hanc epistolam quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab Ecclesiis orientis sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique eam (quoad dictionem) vel Barnabae vel Clementis arbitrentur; et nihil interesse cuius sit, cum ecclesiastici viri sit, et quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. *Quodsi eam Latinorum consuetudo non recipit* inter Scripturas canonicas, nec Graecorum quidem Ecclesiae Apo-

calypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt; *et tamen nos utramque suscipimus,* nequaquam huius temporis consuetudinem (quae si quoquomodo existat, nec perpetua erat nec universalis est), sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent... sed quasi canonicis et ecclesiasticis. » c) Inter tot scriptores ecclesiasticos latinos saeculi IV. et ineuntis V. usque ad annum 414. quo Hieronymus scripsit ep. ad Dardanum, nullus reperitur, qui de ep. Heb. dubitaverit; scriptores omnes insignes et diversarum latinarum Ecclesiarum Episcopi, Pontifices, Concilia eam citant indubitanter ut Pauli epistolam et Scripturam sacram, atque in catalogis ponunt cum reliquis Pauli epistolis inter Scripturas canonicas. Ita Lucifer Calaritanus (de non conven. cum haeret. Bibl. Max. PP. T. IV. p. 224.); Hilarius Pictaviensis (in Ps. 129. n. 7.); Marius Victorinus Afer (contra Arium l. I. B. M. PP. T. IV. p. 264; l. II. p. 272.); Ambrosius Mediolanensis (de Poenitent. l. II. c. 2.), etiam agens contra Novatianos; Pacianus Barcinonensis (ad Sympron. ep. 3. n. 13.); Faustinus Romanus presbyter (contr. Arian. saepe Bibl. Max. T. V. p. 645. sq.); idem Faustinus et Marcellinus presbyteri Romani (in libello ad Theodos. ibi p. 659.); Philastrius Brixianus (Haeres. 61.); Gaudentius Philastrii successor (de Pasch. B. M. T. V. p. 945.); Chromatius Aquileiensis (de octo beatitud. ib. p. 979.); Rufinus Aquileiensis (in Symbol. n. 37.); Augustinus et ipse Hieronymus frequentissime; Concilia Hipponense et Carthaginense III; Innocentius I. Pontifex. Inter haec monumenta Concilium Hipponense et Carthaginense, s. Innocentius I, Rufinus, Augustinus data opera describunt catalogum Scripturarum canonicarum a maioribus acceptum, interque has Scripturas vel simpliciter 14 Pauli epistolas ponunt, vel distincte epistolam ad Hebraeos inter reliquas Paulinas esse et in Ecclesia legi testantur (Concilia Africana). Evidenter ergo illa « consuetudo latina » non recipiendi ep. Heb. restricta ad paucos fuisse dicenda est. Eodem modo seu potius tamquam versio et relatio ex Eusebio accipi debet illud, quod Hieronymus habet l. de

viris illustrib. v. *Caius:* « sed et apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur. » Eusebius paulo lenius dixit: « usque nunc a *quibusdam Romanorum* (1) non creditur Apostoli esse » l. VI. c. 20.

2°. Apud illos ipsos dubitantes saltem plerosque non tam de auctoritate quam de scriptore quaestio fuisse dicenda est. Nam *a*) licet s. Hieronymus et s. Augustinus aliquando meminerint etiam dubiorum de receptione inter canonicas Scripturas, locis tamen aliis iidem (Hieron. de vir. illust. v. *Paulus* et *Caius;* Aug. Civ. Dei XVI. 22.) et plures alii scriptores, Philastrius, Primasius, Isidorus solum mentionem faciunt controversiae de scriptore (locis citatis supra p. 498.). Porro *b*) rationes quas adferebant occidentales ex nomine Pauli non praefixo, ex stylo ornatiore, et scriptores epistolae quos coniectando proponebant, prorsus conveniunt cum iis, quae iam Alexandrini Clemens et Origenes dixerant (supra p. 498.). Atqui Alexandrini illi certe non de auctoritate, sed de solo scriptore erant ancipites. Ergo idem de Latinis saltem plerisque, qui eorum vestigia sequebantur, sentiendum est.

II. Restringi etiam admodum debet, quod s. Hieronymus primo intuitu dicere videtur de consuetudine Ecclesiarum graecarum quoad Apocalypsin. Usque ad Origenem nullam fuisse nec in oriente nec in occidente de hoc libro dubitationem, supra demonstratum est (p. 498. sq.). De occidentalis Ecclesiae consensu etiam ipse s. Hieronymus fatetur, non posse esse quaestionem. Sane sicut ante Dionysii Alexandrini aetatem, qua primum mentio alicuius controversiae occurrit, ita et post illam nullus inventus est in occidente, qui dubium moveret. Patres Romanae et ceterarum Ecclesiarum Italiae, Galliae, Hispaniae, Africae, Concilia et ss. librorum indiculi Apocalypsin inter Scripturas divi-

(1) Nomine Romanorum posse intelligi Latinos generaliori significatione, ex usu loquendi communi Graecorum certum est, et patet ex Eusebio ipso, qui l. II. cc. 2. 25. Tertullianum *Romanum* appellat. L. III. c. 3. ait Eusebius: « non est tamen ignorandum, quod aliqui epistolam ad Hebraeos deiecerunt (ἠθετήκασι) dicentes, illi contradici apud *Romanorum* Ecclesiam; » quem locum Rufinus ita vertit: « scio tamen apud *Latinos* de ea, quae ad Hebraeos inscribitur, haberi dubitationem. »

nas et Ioannis Apostoli esse testari perrexerunt. A Dionysii usque ad Hieronymi aetatem habemus testes Cyprianum Dionysio synchronum (ad Quirin. et alibi saepe), Confessores Romanos (ep. 26. inter Cypr.), Victorinum Petavionensem (Galland. T. IV. p. 52.), Hilarium (Prolog. in Pss.; comment. in Ps. 1. et 140. etc.), Pacianum (Galland. VII. p. 264. 270. 273.), Ambrosium (de Poenit. l. I. c. 9; de Virgin. l. I.), Faustinum Romanum presbyterum (contr. Arian. c. 3.), Augustinum et Hieronymum (saepe), Orosium (Apolog.cont. Pelag.), latinos canones Scripturarum omnes, quotquot exstant.

At vero etiam in Ecclesia orientali de qua nunc agitur, eodem tempore non solum non praevaluit consuetudo contraria, sed imo Patres gravissimi ex diversis Ecclesiis non minus permanserunt in consensione cum suis antecessoribus. Inter PP. orientales, qui post s. Dionysium usque ad tempora s. Hieronymi utuntur Apocalypsi ut libro divino vel expresso etiam Apostoli Ioannis nomine, recensendi sunt Methodius (Conviv. virg. Galland. III. p. 677; apud Phot. cod.234.237; apud Andream Caesar.B.M.T.V. p.590.); Gregorius Nazianzenus (or. 29. al. 35. n. 27. et apud Andr. Caesar. l. c., quamvis ipse in catalogo ubi solos libros ὁμολογουμένους describere propositum erat, Apocalypsin omittat); Caesarius Gregorii frater (dial. I. n.29. Galland. VI. p. 19. si Caesarius est auctor); Basilius (cont. Eunom. l. II. n. 14; l. IV. n. 2.) (1); ex patriarchatu Alexandrino, unde

(1) S. Gregorius Nyssenus Basilii frater, Nazianzeni amicus orat. in suam ordinationem (Migne T. XLVI. p. 549.) ut est in editis, ita citat: « Audivi Evangelistam Ioannem aenigmatice huiusmodi homines (haereticos) *in apocryphis* alloquentem: utinam, inquit, frigidus esses vel calidus » etc. Apoc. III. 15. Mihi quidem nomen *apocryphorum* h. l. suspectum redditur. Nam alibi Nyssenus Apocalypsin citat simpliciter ut *Scripturam sacram*. « Dicit alicubi verbum *Scripturae* (της γραφης ὁ λογος): ego sum principium » Apoc. I. 8. (Antirrhetic. cont. Apollinar. Migne XLV. p. 1208.). « Ante oculos habere oportet *in Apocalypsi Ioannis* scriptam condemnationem contra eos, qui divina oracula immutant additione vel subtractione » Apoc. XXII. 19. (in Psalmor. inscript. c. 10. Migne XLIV. p. 541.). Praeterea haud verisimile est, Nyssenum a Basilio fratre in hac re dissentire; postremo modus ipse citandi suadet

*

prima audita est mentio controversiae alicuius de hoc libro, Athanasius (frequenter e. g. cont.Arian. or. II. n. 23; or. IV. n. 28; ad Serapion. ep. II. n. 2; in epistola festali ponit Apocalypsin cum ceteris libris N. T. inter Scripturas canonicas absque significatione exortae controversiae); Didymus Alexandrinus (Trin. l. I. c. 15; et in catena Corder. in 1. Io. et in Ps. 50.); Marcus Diadochus (cont. Arian. Galland. T. V. p. 213.); Macarius Aegyptius (hom. 27. et 30. ibid. T. VII. p. 103. 117.); non omittendus quamvis Hieronymo posterior Cyrillus Alexandrinus (de ador. in spiritu T. I. p. 188; Glaphyr. in Exod. ibid. p. 233. et apud Andr. Cretens. l. c.); tum ex insula Cypro Epiphanius (Haeres. 51. n. 32. sq. data opera refellens Alogos qui Apocalypsin respuebant; Haeres. 76. confut. 5ª. T. I. p. 941, ubi ponit Apoc. in canone cum ceteris libris N. T.; citationes expresso nomine Ioannis habet frequenter); in Syria s. Ephraem (T. II. syr. p. 332; T. II. graec. p. 194. 252. 253. etc.).

Ex hac testium serie manifestum est, Apocalypsin etiam post Dionysii et Eusebii aetatem nominatim in Ecclesia Alexandrina permansisse inter Scripturas communi consensu receptas ut librum canonicum et scriptum a Ioanne Apostolo; pariterque in ceteris Ecclesiis orientalibus perrexisse esse in publico usu, nec testes apostolicae Traditionis etiam in Graecorum Ecclesiis umquam defecisse. Nihilominus fatemur, aliquot Patres orientales post Eusebium tum in catalogis indicandam putasse dubitationem alicubi exortam, et ideo Apocalypsin non posuisse inter libros universali consensu admissos (supra p. 500.), tum ob controversiam motam et ex rationibus polemicis a citationibus eiusdem abstinuisse, inter quos sunt s. Cyrillus Hierosolymitanus et s. Ioannes Chrysostomus. Sub hoc temperamento dumtaxat intelligi potest libertas, qua Graecorum Ecclesiae antequam diserta quaestionis definitio data esset aut eis innotuisset, Ioannis Apocalypsin non suscepisse dicuntur.

pro illo ἐν ἀποκρύφοις legendum esse ἐν ἀποκαλύψει; neque enim *Ioannes Evangelista* commode dici potest loqui *in apocryphis*. Si tamen vera esset lectio edita, necessario accipi deberet *apocryphum* in oppositione ad libros in confesso apud omnes, ut designaretur liber tum temporis adhuc *dubius* apud aliquos. Cf. supra p. 465.

SECTIO III.

DE AUTHENTIA EDITIONIS VULGATAE IN CONCILIO TRIDENTINO DECLARATA.

THESIS XVIII.

De notione authentiae, et de dogmatica declaratione authenticae editionis Scripturarum.

« Quamvis authentia Scripturae universim spectatae et authentia » editionis alicuius aut versionis Scripturarum, inter se differant; ad » idem tamen munus custodiendi depositi, ad quod pertinet definitio » canonis Scripturarum, spectat etiam declarare authentiam determinatae » editionis aut versionis. Argumentum vero theologicum, quod Patres » Tridentini ad declarandam authentiam vulgatae editionis latinae aeque » ac ad definiendum ss. librorum canonem ex *longo tot saeculorum usu* » deduxerunt, non aliud tandem est quam appellatio ad supernatura- » lem providentiam et perpetuam assistentiam Spiritus Sancti, sub qua » Ecclesia depositum etiam quatenus verbo Dei scripto continetur, in- » fallibiliter custodit. »

I. Nomen ἀυθεντης significat apud graecos scriptores eum, qui potestatem seu auctoritatem habet (1). In iure autem nomen transfertur ad scripta et instrumenta praesertim publica, quorum *authentia* idem est ac auctoritas ad faciendam fidem, non unius semper modi sed eam, ad quam faciendam proferuntur.

Potest *a*) quaeri de auctoritate instrumenti in ipsa sua origine atque adeo in ipso ἀυτογραφῳ, quam possumus dicere *authentiam originalem*. Haec revocatur ad auctoritatem eius, qui est ipse auctor instrumenti; profecto enim instrumentum non aliunde habet auctoritatem, sed eam sui auctoris exhibet ac repraesentat. Unde si constat de auctoritate eius, cui scriptum tribuitur, quaestio de authentia originali instrumenti quod supponitur rite confectum, coincidit cum quaestione de eiusdem *genuinitate*. Hinc factum est, ut *authentia* et *genuinitas* (γνησιοτης) documentorum saepe confundantur, licet notio utriusque non sit omnino eadem.

(1) Ἀυθεντης χθονος δημος Euripid. Supplic.

Potest *b*) supposita authentia originali, quam diximus, quaeri de authentia exemplarium, quae sint sive ἀπογραφα sive versiones. Si scriptum originale habet auctoritatem, ut supponitur, sane exemplaria descripta et versiones saltem intrinsecus et in se eandem habent, quatenus conformia sunt ipsi originali. Unde possumus hanc dicere *authentiam conformitatis*. Haec ergo, originali authentia supposita, coincidit cum integritate (exclusione interpolationis et corruptionis) in exemplaribus, et cum sinceritate in versionibus (ut nempe sensus instrumenti originalis sincere sit expressus). Sed si documentum originale ipsum auctoritatem non habet, integritas exemplarium et fidelitas versionum nonnisi improprie ex sola conformitate cum originali minime authentico dici potest authentia. Ita Serarius sensu improprio pro sola conformitate accepit authentiam, quando scripsit: « posse versionem esse authenticam, non scriptum (originale)... cuius generis exemplum est, si quis falsam epistolam aut pseudepigraphum et mendacem librum fideliter verteret » Prolegom. Bibl. c. 19. q. 11. Hac generali significatione nominum supposita, deducimus notiones speciales de authentia sacrae Scripturae.

1°. *Authentia originalis* Scripturarum seu illa auctoritas divina, quae eis vindicatur, exsurgit et constat ex eo, quod libri sunt divinitus inspirati, et Deus est eorum auctor: « quid est autem Scriptura sacra nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? » s. Gregor. M. l. IV. ep. 31. Vide th. II. Demonstratio itaque inspirationis est demonstratio divinae *authentiae originalis*, proindeque demonstratio canonis librorum ad Scripturam pertinentium est demonstratio authentiae saltem originalis omnium horum librorum.

At vero fides et definitio Ecclesiae, dum canonem ss. librorum credit et proponit, non solum declarat factum primitivum inspirationis, seu primitus exstitisse libros inspiratos his nominibus censitos; sed fides ac definitio refertur ad Scripturas adhuc nunc in Ecclesia Dei existentes. Unde definitio canonis declarans has determinatas Scripturas esse inspiratas, duo includit: libros scilicet sub his nominibus

cognitos primitus esse a Deo inspiratos, et libros quos in Ecclesia Dei habemus, esse eosdem ut primitus Deo inspirante scripti sunt; h. e. fides et definitio Ecclesiae pro obiecto habet tum *authentiam originalem* quam appellavimus, tum *authentiam conformitatis.*

In hac tamen definitione per se declaratio *authentiae conformitatis* nondum applicatur determinatae alicui editioni aut versioni; sed solummodo declaratur, libros primitus inspiratos adhuc nunc in Ecclesia Dei haberi, saltem ita, ut in omnibus recensionibus simul sumptis verbum primitivum exstet et dignosci possit. Aliud enim est loqui de *conformitate* in editione determinata et aliud de *conformitate* vel indeterminate in aliqua ex omnibus editionibus exstantibus, vel prout confici et haberi posset ex omnibus editionibus simul sumptis.

Concedimus quidem et vero etiam vindicamus, usu ipso publico et universali alicuius editionis aut versionis in Ecclesia iam satis proponi eius *authentiam conformitatis* simpliciter dictam. Hoc tamen non impedit, quominus declaratio authentiae recensionis singularis distincta sit a declaratione authentiae Scripturae universim spectatae; sicut Scriptura ipsa quatenus consideratur in omnibus recensionibus simul sumptis, distinguitur a singulari aliqua editione vel recensione.

Authentia itaque *originalis* potest quidem abstracte per se concipi, quin includatur et intelligatur authentia Scripturae nunc exstantis; sed authentia Scripturae in Ecclesia Dei exstantis non potest concipi, quin duo includat tum *authentiam originalem* tum *authentiam conformitatis* cum libris primitus Deo inspirante conscriptis. Hoc ipso etiam authentia singularis editionis aut versionis Scripturae eandem utramque authentiam *originalem* et *conformitatis* includit.

2°. Alia distinctio in usum venit inter *authentiam internam* et *externam.* Authentia interna est ipsa auctoritas quae inest scripto vel instrumento ex sua origine et ex conformitate cum originali authentico; authentia externa omnino generice sumpta potest dici *authentia interna, quatenus manifestata est.* Haec igitur quae dicitur authentia

externa, praesupponit et includit authentiam internam. Hinc patet, tam *authentiam originalem* quam *authentiam conformitatis* posse esse vel *internam* tantum, vel simul *internam* et *externam;* non posse vero esse *authentiam externam* sine *interna.*

Quando de Scripturis agitur, *authentia originalis* interna constituitur ipsa inspiratione; manifestari autem, sicut oportet, et ita evadere authentia externa non aliter potest nisi testimonio divino. De his superius dictum est (th. V. seqq.).

Hic supposita authentia originali, quaeritur *de authentia conformitatis* in editione vel versione. Haec *authentia conformitatis interna* est ipsum factum conformitatis cum authentico textu primitivo independens a manifestatione aut declaratione; *externa authentia conformitatis* generice sumpta ex dictis est conformitas cum textu originali, *quatenus conformitas est manifestata.* Haec manifestatio potest et ipsa esse duplex *privata* et *publica.*

Scripta omnino privata quorum auctores nullam habent auctoritatem iuridicam sed solum scientificam, habent et ipsa authentiam *internam* solum sensu scientifico, non autem sensu iuridico auctoritate publica valent; ita ergo etiam haec qualiscumque eorum auctoritas solum scientifice per historiam et criticam manifestatur. De his non est nobis sermo.

Si instrumenta sint publica, quibus societas ipsa utitur, regitur, in suis legibus constituitur, potest quidem etiam historice et critice manifestari interna authentia eorum. At talis manifestatio nondum constituit *authentiam externam* huiusmodi instrumentis convenientem. Eorum enim auctoritas debet esse publica pro tota societate; sed talis eius manifestatio est solum *privata* pertinens ad paucos, quatenus singuli ipsi eam intelligunt. Societas tota non regitur nisi auctoritate. Unde *authentia externa* proprie dicta publicorum instrumentorum constituitur tantum per declarationem vel expressam vel aequivalentem, quae fiat ab ipsa *publica auctoritate* societatis.

Hinc editio aliqua vel versio Scripturae, quae est in-

strumentum publicum Ecclesiae a Deo ei consignatum, si sit conformis originali primitus sub Dei inspiratione scripto, est *intrinsecus authentica.* Si haec conformitas mere scientifice demonstratur et ab iis qui sunt idonei demonstrationi, cognoscitur, poterit forte dici *authentia externa privata* vel *authentia critica;* non tamen erit *authentia externa publica,* quae tantummodo per declarationem conformitatis ab Ecclesia ipsa vel expresse, vel aequivalenter per constantem publicum usum factam constituitur.

3^{io}. Ex praestructis notionibus haec de authenticis Scripturis in Ecclesia catholica ex una parte et penes Protestantes ex parte altera consequuntur theoremata.

a) Sicut *authentiam originalem* seu inspirationem Scripturae, ita etiam *internam authentiam conformitatis* declaratio Ecclesiae non efficit, sed supponit et iam praeexistentem manifestat. *b*) *Authentiam publicam externam* aequivalens vel expressa Ecclesiae declaratio efficit. *c*) Quamvis alicuius editionis aut versionis Scripturae authentia externa per usum publicum Ecclesiae iam constituta sit, ac per eum de authentia conformitatis interna simpliciter dicta, praescindendo a gradu perfectionis, publice constet; possunt tamen adiuncta utilem vel necessariam reddere expressam authentiae et eius gradus declarationem, sicut non raro adiuncta opportunam vel necessariam reddunt dogmatum de quibus ex praedicatione ecclesiastica iam pridem satis constabat, solemnem definitionem. *d*) Si aliqua editio aut versio per longum tempus desierit esse in publico usu catholicae Ecclesiae, et ita custodia Ecclesiae corruptelis forte inducendis non amplius obsistat, potest accidere, ut de authentia externa quae fuerat aliquando per publicum usum satis constituta, non amplius pari dogmatica certitudine constet. *e*) Cum in communione Protestantium ex eorum principiis nulla exstet potestas et auctoritas ecclesiastica, atque ideo non sit societas nisi materialiter, formaliter vero singuli regendi sint iudicio proprio (si practice sequerentur sua principia fundamentalia); hinc nulla apud eos potest esse Scripturae *publica authentia externa.* Sicut namque apud eos nullum potest esse iudi-

cium publicae auctoritatis de vero sensu, ita nullum de authentia Scripturarum. Imo cum ex eorum principiis nulla publica auctoritas, et hoc ipso nulla formalis societas ecclesiastica existat, Scripturae non possunt esse instrumenta publica societatis legalis; sed sunt solum scripta destinata singulis. Quare iudicium sicut de sensu ita de authentia non potest esse nisi scientificum tantummodo, ac proinde ad scholam pertinet et ad paucos. Hinc saltem maximae parti hominum, quippe qui scientificis et difficilibus demonstrationibus idonei non sunt, non solum intelligentia veri sensus, de quo diximus in tractatu de Traditione th. XVIII. XIX, sed etiam cognitio authentiae Scripturarum secundum eadem illa principia est impossibilis.

II. Ex eodem iure et officio custodiendi depositum revelationis, ex quo Ecclesia definit canonem librorum sacrorum, ipsa etiam declarat *authentiam determinatae editionis aut versionis Scripturarum.*

1°. Promissa assistentia Spiritus Sancti ad infallibilem custodiam depositi fidei sine dubio extenditur ad infallibilem propositionem librorum canonicorum et verbi Dei scripti, ut ipso charismate infallibilitatis arceatur periculum, ne verbum humanum pro verbo divino, libri humani pro libris divinis umquam fidelibus proponantur (supra th. IX.). Atqui in hoc ipso iure et officio infallibiliter proponendi verbum Dei scriptum includitur munus infallibiliter iudicandi, utrum quod tamquam verbum Dei scriptum sub certa quadam forma, in certa quadam editione vel versione exhibetur, sit ipsum verbum primitus inspiratum, h. e. utrum sit editio aut versio conformis suo prototypo originali. Non enim minus verbum humanum traderetur fidelibus pro verbo divino, si editio vel versio simpliciter difformis a libris primitus Deo inspirante scriptis, vel etiam certa aliqua classis textuum difformis ab originalibus proponeretur velut Scriptura divina, quam si libri et textus primitus humana tantum ope scripti definirentur esse scripti divinitus. Ergo ad munus idem custodiae depositi infallibile sub assistentia Spiritus Sancti spectat sicut definitio canonis Scripturarum, ita declaratio conformitatis in editione vel

versione cum primitivo textu. Idem argumentum distinctius declarari potest.

Ecclesiae ex munere a Christo iniuncto docendi omnes gentes ius est et officium proponendi et tradendi etiam verbum Dei scriptum. Hoc munus non solum complectitur traditionem doctrinae abstractae, existere aliquod verbum inspiratum, sed etiam propositionem ipsius verbi scripti in concreto sub certa et determinata forma, praesertim quoad ea quae in hoc verbo per se spectant ad « aedificationem doctrinae christianae. » Unde in hoc munere continetur etiam ius designandi aliquam editionem vel versionem tamquam genuinam Scripturam sacram, ac proinde conformem textui primitivo praesertim in iis quae per se ad fidem et morum regulam pertinent; vel si una aliqua talis non existeret, efficiendi ut ex omnibus simul sumptis recensionibus talis restitueretur, eamque fidelibus proponendi. Atqui in munere docendi a Christo iniuncto promissum est Ecclesiae charisma infallibilitatis: « docete omnes gentes.... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus » (de Tradit. th. V. sq.). Ergo tum ius declarandi tum charisma infallibiliter declarandi authentiam editionis vel versionis Scripturae praesertim quoad ea, quae diximus et postea distinctius declarabimus per se spectantia ad fidem et mores, in munere et charismate infallibiliter docendi continetur ut particulare in universali.

2°. Imo in hypothesi, quod una aliqua recensio aut versio Scripturae sit in Ecclesia publico usu per longum tempus consecrata eo modo, ut erat editio vulgata latina tempore Concilii Tridentini, in solemni definitione canonis Scripturarum iam continetur definitio indirecta authentiae talis versionis et editionis; definitio inquam authentiae sufficientis et simpliciter dictae (de determinando enim gradu perfectionis in authentia conformitatis alia est quaestio). Sane quando definiuntur libri pertinentes ad Scripturam inspiratam, nominibus librorum non designantur aliae Scripturae, quam ut exstant et ab omnibus cognoscuntur in usu publico Ecclesiae. Atqui in usu publico Ecclesiae omnibus cognito ex hypothesi libri non sunt nisi sub forma talis

versionis. Ergo sub hac forma declarantur pertinere ad Scripturam inspiratam, ac proinde indirecte declaratur, sub hac forma seu versione libros mansisse identicos, ut fuerant Deo inspirante primitus scripti. Si vero nominatim de Tridentina canonis definitione loquamur, ea hypothesis quoad vulgatam latinam editionem non solum reipsa obtinebat; sed Concilium etiam expresse suam canonis definitionem referebat ad libros, ut exstabant sub forma illius editionis: « si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur,* pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. » Ergo saltem indirecte iam per definitionem canonis authentica declarata est editio latina vulgata, sub cuius forma libri et librorum partes pro canonicis suscipi iubebantur. Hanc deinde authentiam Concilium paragrapho sequenti declaratione etiam directa proposuit.

III. In tertia parte agimus de argumento, quod Patres ipsi Tridentini tamquam suae definitionis fundamentum indicabant (1).

Quoniam Ecclesia in suis iudiciis non regitur novis revelationibus sed assistentia Spiritus Sancti, hinc elementum humanum inquisitionis et examinis fundamentorum ad ferenda iudicia ab ipsa etiam Ecclesia adhibendum est (cf. de Tradit. th. XXV.). Iam sicut in definitione canonis librorum sacrorum duplex patebat via, vel novae historicae inquisitionis in Traditionem apostolicam vel appellationis ad manifestam consuetudinem et praedicationem universalis Ecclesiae, quae ipsa erat criterium certum apostolicae Traditionis; ita etiam in decreto de authentia editionis vulgatae latinae poterat quidem institui novum criticum examen, quod tamen nec necessarium erat nec a PP. Tridentinis opportunum existimatum est. Publicus

(1) « Sacrosancta synodus... statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, *quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est,* in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat » Sess. IV.

enim et solemnis totius Ecclesiae occidentalis usus dogmaticus, liturgicus, polemicus ex novem saltem saeculis obtinens fundamentum iudicii suppeditabat dignitati et praxi Ecclesiae multo magis conveniens, cum ipsa divino-humana constitutione Ecclesiae intime nexum et ita certum, ut instituto examine non ad aliam conclusionem, quae quidem veritati consona esset, perveniri potuisset quam ad eam ipsam, quae universali illo tot saeculorum usu iam demonstrata prostabat.

Ratio suprema cur constans ille usus sit criterium certum sicut ad discernendos libros canonicos, ita ad dignoscendam saltem simpliciter dictam authentiam conformitatis in editione librorum eorundem, atque adeo principium quo PP. Tridentini nitebantur in appellatione ad illum usum tam in definitione canonis quam in declaranda authentia editionis vulgatae, tandem revocatur ad perpetuam assistentiam Spiritus Sancti Ecclesiae in docendo et proponendo verbo Dei promissam. Principium scilicet in utraque appellatione hoc erat, sub assistentia Spiritus Sancti promissa fieri non potuisse, ut universa Ecclesia theoretice et practice per multa saecula susceperit et omnibus fidelibus credendos proposuerit libros re ipsa humanos tamquam Scripturam divinam, eorumque testimoniis constanter tamquam divinitus scriptis usa sit ad fidei et morum doctrinam exponendam ac confirmandam. Hoc enim consequens fuisset, ut paulo ante dixi, in hypothesi quod versio et editio, qua Ecclesia constanter utebatur, fuisset simpliciter difformis ab archetypo inspirato, ac proinde libri sub hac forma fuissent diversi ab inspiratis atque non iam libri Dei auctoris sed humani ac fallacis interpretis, non minus quam si libri propositi ut divini iam in sua origine fuissent humani. Unde non modo assistentia Spiritus Sancti principium erat activum praemuniens ab errore Patres Concilii in ferendo iudicio; sed eadem assistentia, quatenus est perpetua in Ecclesia, erat eis etiam principium obiectivum cognitionis ad iudicandum de authentia versionis vulgatae.

Ad intelligendum valorem criterii, quo Patres Triden-

tini usi sunt, distinctiorem considerationem postulat theoria et praxis universae Ecclesiae quoad Scripturas sub hac forma versionis vulgatae.

In primis *practice* inde a saeculo VI aut saltem VII (1) in Conciliis sive Episcoporum occidentis sive simul unitis occidentalibus et orientalibus, in decretis Pontificum et Pastorum omnium, in sacra liturgia, in confutatione haereseon, in institutione populi christiani, in libris scriptis dogmaticis, polemicis, moralibus, in scholis, publice et privatim Scripturae ut sacrae et canonicae usurpabantur, earumque testimoniis confirmatio et explicatio doctrinae fidei ac regulae morum nitebatur in tota Ecclesia occidentali vel unice vel potissimum, ut exstant Scripturae in hac forma versionis vulgatae. Hic porro usus saltem mediate

(1) S. Gregorius in epistola scripta haud diu post annum 590, qua opus Moralium (elucubratum Constantinopoli inter annum 578. et 585.) s. Leandro dedicabat, ait c.5, Sedem Apostolicam uti tum antiqua tum nova Hieronymi versione. « Novam translationem dissero (in enarrando libro Iob); sed cum probationis causa exigit, nunc novam nunc veterem per testimonia assumo, ut quia Sedes Apostolica cui Deo auctore praesideo, *utrâque utitur,* mei quoque labor studii utrâque fulciatur. » S. Isidorus l. I. c. 12. n. 8. de divin. Officiis (qui libri scripti sunt circa annum 620.) universalem iam usum praedicat. « De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit, *cuius editione generaliter omnes Ecclesiae usquequaque utuntur,* pro eo quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis. » Legendum est istud caput 12. Isidori etiam propter alia quaedam, de quibus nos suis locis diximus; inter haec illud est praecipuum, quod egregie *scriptores* et *auctorem* librorum sacrorum distinguit. « Hi (quos singulos nominavit) sunt *scriptores* librorum sacrorum divina inspiratione loquentes... *auctor* autem earundem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur, qui (per) prophetas suos scribenda dictavit » ib. n. 13. Hinc fit, ut Scripturae in versione quantumvis per humanam industriam facta, dummodo in ea sensus textus originalis sint expressi, non minus quam in textu et forma primitiva sint ac maneant *libri Dei auctoris;* quia nimirum *pars formalis*, cuius ratione Deus est *auctor Scripturarum,* in versione humana quidem sed tamen sincera ac fideli, manet eadem, licet *pars materialis* quae est *scriptoris* humani, aliter se habeat. Discrimen tantummodo illud intercedit, quod in *scriptore* inspirato per divinam assistentiam et *a priori* certum est, *partem materialem* respondere *parti formali;* hoc autem in *interprete* sibi permisso non nisi *a posteriori* et ex facto constare potest (vide th. III.).

ex ratione capitis Ecclesiae et ex principalitate ac supremo magisterio in Ecclesia Romana, ac denique ex communione, consensu et approbatione omnium Ecclesiarum, pertinebat ad Ecclesiam universam. Ergo certe vel fundamentum humanum in universa Ecclesia per multa saecula supponebatur tamquam divinum ad aedificationem fidei et morum, vel Scripturae, ut exstant in versione vulgata, sunt sincerum verbum Dei scriptum saltem quoad rei summam et in iis partibus, quae ad scopum hunc principem Scripturarum spectant, ac proinde saltem in his versio est conformis primitivo textui librorum inspiratorum. Illud prius constitutioni Ecclesiae essentiali et assistentiae perpetuae Spiritus Sancti a Christo promissae evidenter repugnat; ergo usus ille publicus et constans est criterium certum *authentiae conformitatis* in editione latina vulgata (1).

Unde etiam *theoretice* inde a tempore, quo diximus, argumenta omnia quibus libri sacri proponebantur ut Scriptura divinitus inspirata, librorum sacrorum canones, demonstrationes pro Scripturarum divinitate consequentes ex solemni usu et Patrum ac doctorum citationibus respiciebant immediate in Ecclesia occidentali, mediate in Ecclesia universa Scripturas sacras sub hac forma editionis vulgatae. In occidente enim non sub alia forma Scripturae erant in publico usu; dum ergo legebantur, citabantur, enumerabantur Scripturae, id totum immediate referebatur ad libros, ut sunt in editione vulgata. Mediate autem haec propositio editionis vulgatae tamquam Scripturae inspiratae ex rationibus paulo ante indicatis fiebat ab universa Ecclesia. Eadem

(1) « Si condusse (la Chiesa) a voler dichiarare in virtù dell'assistenza promessale dallo Spirito Santo, per autentica e sicura qualche traslazione latina delle sacre lettere.... Ed in ciò fare il Concilio, dovendo procedere con le diligenze umane, pensò che secondo esse non convenia tra le interpretazioni approvarsi altra allora che la Volgata, come quella che avanzava tutte d'autorità, e che essendosi adoperata universalmente dal tempo di S. Gregorio fin a quest'età nella Chiesa, toccò alla divina providenza il farla esenta da errori in cose di fede e costumi, per tenerne esenta la Chiesa che di lei si valeva. E vide che se non bastava una tal ragione, tutte le nuove industrie non sariano bastate a schifar la medesima dubietà » Pallavic. l. VI. c. 17. n. 5.

ergo argumenta, quae libros exhibent ut sacros et divinos, eos exhibent hoc charactere insignes, quatenus sunt sub hac forma editionis vulgatae latinae.

Corollarium 1. Iudicium de canone librorum sacrorum in Concilio Tridentino erat explicitum iudicium de dogmate revelato hos libros omnes esse divinitus inspiratos, *et iudicium implicitum de facto dogmatico conformitatis cum textu primitivo in hac latina editione vulgata longo saeculorum usu publice recepta.*

Quare etiam decretum alterum sess. IV. quo explicite declaratur authentia editionis vulgatae, censendum est *decretum dogmaticum,* definiens scilicet factum conformitatis huius versionis et editionis cum textu originali ita, ut sub hac forma vere permanserit et habeatur in Ecclesia Dei s. Scriptura divinitus inspirata. Huius sane facti veritas est intime nexa cum dogmatibus ipsisque divinis documentis et (ut dici solet) fontibus dogmatum, seu cum obiectiva fide Ecclesiae. Haec itaque conformitas seu interna authentia vulgatae est factum eminenti sensu *dogmaticum.* Quare equidem non intelligo, quomodo recentiores quidam possint dicere, decretum primum quidem de recipiendis libris canonicis prout in veteri vulgata editione habentur, esse *dogmaticum;* hoc vero alterum de authentia vulgatae esse *disciplinare.* Sicut definitio, e. g. in epistola Cyrilli (lecta in Concilio Ephesino) contineri doctrinam orthodoxam, in scriptis Nestorii doctrinam haereticam de Incarnatione, vel in libro Iansenii « Augustinus » contineri quinque propositiones haereticas, est decretum non disciplinare sed dogmaticum; ita sensu etiam strictiori *dogmaticum decretum* est, quo declaratur, versionem aut editionem aliquam s. Scripturae esse authenticam, h. e. exhibere sincerum verbum Dei scriptum. Quod in decreto explicite mentio fit publicarum lectionum, disputationum, praedicationum, et expositionum, hoc certe non tollit valorem dogmaticum. Aliud esset, si intelligeretur pro huiusmodi actibus solemnioribus usus vulgatae praescriptus prae textibus aliis genuinis e. g. prae originalibus; haec posset dici *consecutio disciplinaris* deducta ex decreto dogmatico. Concilium vero

hunc usum vulgatae in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus certe non praescripsit ad exclusionem textuum originalium, sed secundum eum modum, ut authentia vulgatae non in discrimen vocetur, sed integra retineatur ac nemo illam reiicere quovis praetextu audeat. Sub hac vero ratione iam praescriptio et prohibitio non est disciplinaris, sed est pro determinatis actibus applicatio authentiae dogmatice declaratae.

Corollarium 2. Cum veritas veritati non possit contradicere, examen criticum quod fallax non sit, authentiam internam editionis vulgatae intra eos limites, quibus usus et diserta declaratio Ecclesiae eam definivit, numquam confutabit, sed in dies clariori in luce constituet. Poterunt tamen opiniones quaedam privatae theologorum de amplitudine authentiae tali examine critico falsae demonstrari. Quare declaratio authentiae sensu, qui ex certis principiis ei inesse demonstratur, praelucere debet sine dubio in examine critico tamquam norma saltem *negativa,* quae studium demonstrandae et defendendae veritatis non solum non impedit, sed praemuniendo ab erroribus etiam iuvat. Non vero possunt haberi normae instar opiniones incertae vel etiam improbabiles nonnullorum theologorum.

THESIS XIX.

De extensione authentiae editionis vulgatae a Concilio Tridentino declarata.

« Ex contextu ac scopo decreti dogmatici de auctoritate canonica » *librorum integrorum cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur,* » demonstratur, 1°. vi declarationis Concilii Tridentini veterem editionem vulgatam latinam habendam esse authenticam non solum velut » indeterminate, quatenus libri sistantur cum originalibus quoad rei » summam identici; sed etiam speciatim hoc gradu authentiae, quod in » eius textibus ad fidem et morum regulam *per se* pertinentibus verbum » Dei originale secundum substantiam dogmatis sincere exhibeatur; non » tamen 2°. authentia versionis declarata est in eo gradu perfectionis, » ut in singulis etiam *per se* non pertinentibus *ad aedificationem doctrinae christianae,* vel secundum modum quoque enuntiationis ubique » cum originalibus conformis credi iubeatur; neque vero 3°. perfectissima » huiusmodi conformitas in vulgata, etiam iussu Pontificum hactenus emendata, aut vi decreti Tridentini aut alia ratione probabili asseri potest. »

Ante omnia ipse sensus quo decretum Tridentinum intelligendum esse putamus, distincte exponendus est, ut constet de statu quaestionis.

De vi et ratione istius decreti duae sunt opiniones extremae sibique invicem ex toto, nostrae mediae sententiae ex parte oppositae. Veteres enim plures theologi non contenti authentia editionis vulgatae eo sensu, secundum quem ex scopo tum Scripturarum tum decreti declarata esse intelligitur et ex multis testimoniis confirmatur, contendebant, vi definitionis Tridentinae conformitatem versionis cum textu primitivo indiscriminatim in omnibus incisis et particulis tenendam esse. Cum enim Scriptura sit verbum Dei inspiratum sicut in magnis ita et in iis, quae nobis possint videri parva; inde concludebant, authenticam editionem ab Ecclesia declarari non potuisse, quin ea sit tam in minimis quam in maximis plene conformis Scripturae primitivae et originali. Si enim, aiebant, Scriptura sub hac forma vulgatae editionis declarata authentica quantumvis per se leves contineret errores sive amanuensium sive multo magis interpretis defectu inductos, iam Ecclesia solemni

suo decreto approbasset verbum humanum imo hominum errata velut verbum Dei; quod sane qui dicit, Ecclesiam ipsam gravissimi erroris accusat.

Ex adverso nostris temporibus sensus Tridentini decreti in significationem, ut nobis quidem videtur, iusto laxiorem a quibusdam viris eruditis explicatur. Docent nimirum, quando de intensione et extensione authentiae versionis et editionis vulgatae sermo est, inter textus « dogmaticos et non dogmaticos » vel, ut melius cum veteribus dicere possumus, inter textus enuntiantes *propter se revelata* fidei dogmata ac morum regulam et inter alios continentes *inspirata propter aliud* atque adeo *revelata per accidens* (cf. tract. de Tradit. th. XXIII. n. I.) distinctionem nullam admitti posse; non quasi distinctionem quoad res contentas in textibus simpliciter negarent, imo admittunt maiorem quam quae nobis concedi posse videtur, sed quod omnes textus Scripturae sunt aeque verbum Dei inspiratum ac proinde supremae atque divinae auctoritatis. Nimirum ut idem paucis dicatur, non negant inter textus Scripturae distinctionem *materialem* (quoad materiam comprehensam), sed negant cum omnibus sinceris catholicis distinctionem *formalem* (quoad formam auctoritatis). Statuunt itaque cum illis nonnullis theologis vetustis paulo ante commemoratis idem principium, in quo ceteroquin omnes consentimus: indiscriminatim omnes textus Scripturae (considerati in sensu auctoris Scripturae) sunt verbum Dei. Unde sicut veteres illi theologi ita et hi recentiores inferunt conclusionem: ergo decretum Concilii de authentia editionis vulgatae ad omnes textus, quantumcumque differant materia, *eodem modo* extenditur. At hanc conclusionem sensu contrario intelligunt. Priores dicunt: vi decreti conformitas vulgatae cum textibus primitivis necessario intelligitur in locis « per se dogmaticis, » ut clare demonstratur; ergo *eodem modo* vi decreti conformitas intelligenda est quoad omnia, quae exstant in vulgata. Posteriores ex adverso concludunt: vi decreti illa conformitas non potest intelligi de omnibus et singulis incisis ac particulis, ut clare demonstratur; ergo *eodem modo* etiam in textibus « per se dogmaticis » vi de-

creti non est intelligenda; sed sufficit admittere conformitatem vulgatae cum Scriptura primitus inspirata ita, ut maneant quoad substantiam libri identici; salva autem hac substantiali conformitate, de singulis locis cuiuscumque argumenti etiam per se dogmatici decreto Tridentino nihil definitum est, sed genuinitatis agnitio vel negatio in singulis ab examine critico pendere debet.

Nos sensu mox declarando putamus verissimum tum illud quod priores probant, vi decreti conformitatem tenendam esse in iis, quae sunt *per se* res fidei et morum christianorum; tum illud quod posteriores demonstrant, conformitatem non esse decretam in supremo gradu et quoad singula incisa, etiam quae non continent dogma aliquod *propter se* revelatum. Qua in utraque sententia simul iuncta continetur negatio conclusionis, quam tum priores tum posteriores ex vero principio per consequentiam non legitimam deducunt. Primum itaque probabimus sententiam priorem adversus recentes quosdam eruditos, tum alteram contra illos nonnullos vetustiores theologos.

I. Fundamenti instar a nobis supponitur distinctio diversarum classium locorum Scripturae. At hoc suppositum ipsum in vero suo sensu explicandum et demonstrandum nobis est, quoniam et hoc in dubium vocatur, imo huius negatio vel detorsio in sensum alienum, ut ex dictis patet, constituit argumentum praecipuum adversariorum.

1°. Nemo negare potest, in Scripturis universim loquendo et quantum ad praesens pertinet, contineri res et sententias duplicis ordinis valde diversi. *a*) Quae spectant ad Deum, ad hominis finem, ad media et ad instituta in hunc finem, ad principia et regulas morum, ad facta quibus oeconomia revelationis innititur aut quae cum ea speciali modo nexa sunt, aliaque multa quae in theologia tractantur, seu complectendo omnia formula generali, « quae sunt res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium » (Trid. Conc. sess. IV); haec inquam sunt huiusmodi, ut Deus ea inspiraverit ad scribendum et humano generi per Scripturam proponere voluerit velut *principali intentione* (προηγουμενῃ εὐδοκιᾳ) propter res ipsas,

seu *quia sunt tales veritates,* et ideo dicuntur *veritates propter se revelatae.* *b*) Plurima alia Scripturis consignata reperiuntur, quae utique sunt et ipsa verbum Dei inspiratum (siquidem « omnis Scriptura divinitus inspirata est »), adeoque ubi constat ea esse in Scripturis divinis, non minus quam priora illa propter auctoritatem Dei loquentis fide divina credenda sunt (1); at differunt a prioribus, quod non *principali intentione* nec *propter se* inspirata ac revelata sunt, sed propter nexum historicum aut logicum (tempore, loco, notione etc.) cum aliis propter se inspiratis ac revelatis. Huiusmodi sunt plurima adiuncta historica, geographica; pertinentia ad physicam, ad zoologiam, botanicam, mineralogiam; tum ad exornationem conceptus per se revelati; ad vitam, prudentiam, mores in ordine naturali ac civili etc. Haec sunt, quae dicimus *revelata per accidens vel propter aliud.*

Duplicis huius ordinis rerum distinctio saepissime obvia lectione per se innotescit. Quis potest dubitare, utrum textus sicut in veteri vulgata editione leguntur, agentes de mysterio SS. Trinitatis vel de Filio Dei incarnato (e. g. 1. Io.

(1) Ex his intelliges, posse quidem textus prioris ordinis per eminentiam dici *dogmaticos,* hos autem posteriores non simpliciter, sed in comparatione cum illis prioribus appellari *non dogmaticos.* Unde facile solvitur obiectio a viro erudito nostrae doctrinae opposita. « Ait nempe: io non posso ammettere in teologia e molto meno in critica la distinzione, che costoro ci danno fra luoghi *dogmatici e non dogmatici;* » ex altera parte mox subiungitur distinctio his verbis: « la parola di Dio ha sempre eguale ed assoluta autorità, sia che ci parli *di ciò che dobbiamo credere ed operare per raggiungere il nostro fine, sia che ci esponga la storia della rivelazione o qualsivoglia altro fatto divino o umano* » (Sulla autenticità delle singole parti della Bibbia Volgata Roma 1866). Ex nostra sententia non modo certissimum est, verbum Dei (quando de eo constat) semper esse aequalis auctoritatis, quodcumque sit eius obiectum materiale; sed etiam « historia revelationis et plurima facta divina vel humana » sunt *propter se revelata,* atque ideo textus huiusmodi facta referentes sunt *eminenter dogmatici.* At simul dicimus, multa esse in Scripturis *revelata per accidens et propter aliud,* et textus quibus huiusmodi res continentur, si constet esse textus s. Scripturae, non quidem simpliciter dicimus *non dogmaticos,* sed *dogmaticos secundum quid* seu *per accidens.*

V. 7; Ps. CIX. 3.), de institutione sacramentorum, de futura resurrectione; de facto peccati Adae, vocationis Abraham et Moysis, nativitatis, mortis, resurrectionis Christi etc. enuntient res *propter se revelatas*, atque adeo sint textus *eminenti hoc sensu dogmatici?* Contra quis non videt, minime ad res *propter se* inspiratas pertinere plurima adiuncta ut leguntur in eadem vulgata, quod Adam usque ad generationem Seth vixerit 130 annis, et patriarchae reliqui vixerint tot annis, quot in vulgata numerantur; quod lapides pretiosi in pectorali sacerdotis fuerint illi ibidem nominati; quod numerus occisorum post adoratum vitulum aureum fuerit 23000 hominum (1); quod virgultum sub quod obdormivit Ionas, fuerit hedera; quod urbs Raguelis vocaretur Rages; quod urbi cuius templum depraedari molitus erat Antiochus, nomen fuerit Elymais (2), et alia innumerabilia (Gen. V. 3; Exod. XXVIII. 17; XXXII. 28; Ion. IV. 6; Tob. III. 7. coll. IX. 3; 1. Mach. VI. 1. coll. 2. Mach. IX. 2.)? Saepe ad sensum textuum, prout sunt in vulgata, eruendum ut intelligatur, ad quam classem pertineant, opus erit subsidiis hermeneuticis externis et internis, ubi ante omnia respiciendum ad iudicium Ecclesiae et ad consensum Patrum, si exstat. Aliquando poterit manere dubium, ad utram classem locus referendus sit; sed profecto absurdum est, propterea distinctionem ipsam reiicere, vel tum etiam negligere, quando de ea constat, quia aliquando ex nostra ignorantia eam in usum deducere non valemus. Distinctionem de qua loquimur, realem esse et in interpre-

(1) Tam in textu hebraico quam in versione LXX numerantur *tria millia*, in vulgata *viginti tria millia* (cf. P. Patrizi de Interpr. SS. SS. P. I. n. 240.). Difficultas similis ex ipsa editione graeca nascitur 1. Cor. X. 8. Ibi nunc legimus, *viginti tria millia* hominum occisa fuisse ob fornicationem, quod non referri posse videtur nisi ad Num. XXV. 9; at hoc in loco Num. dicuntur occisa *viginti quatuor millia* hominum. Habent tamen pauci aliqui codices graeci et latini, versio syriaca Philoxeniana et armena in loco Paulino *viginti quatuor millia*. Probabiliter antiquum σφαλμα librariorum est εικοσιτρεις pro εικοσιτεσσαρες ortum ex litterarum compendio εικοσιτρς.

(2) De hac urbe in libris Machabaeorum vide P. Patrizi de Consensu utriusque libri Mach. Annotat. ad §. XXVI. p. 255.

tanda Scriptura adhibendam, ipsum Concilium Tridentinum satis indicavit, ubi edixit, « ut nemo suae prudentiae innixus, *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia... interpretari audeat. » Nec minus clare eandem distinctionem Concilium Vaticanum expressit (Const. de Fide cap. 2). Quantum vero « res fidei et morum » in Scriptura determinari possunt ab interprete, cur tantumdem distingui nequeant a critico? Sane non percipio, quomodo nostro tempore affirmari potuerit, eam distinctionem « theologice admitti non posse, » eo quod « textus dogmaticos » ab aliis non semper valemus cum certitudine discernere.

2°. Quando dicimus, decreto Tridentino declaratam esse conformitatem *editionis vulgatae* in textibus per se dogmaticis, non affirmamus, exemplar aut codicem aliquem fuisse designatum, in quo sit tenenda haec conformitas; sed decretum respicit *editionem veterem,* prout « *longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.* » Textus itaque per se dogmaticus qui est in editione Clementina utique ex multis rationibus praesumitur esse *veteris editionis, prout in Ecclesia longo saeculorum usu legi consuevit;* sed si de aliquo tali textu posset demonstrari, non esse ex *veteri vulgata editione*, eius conformitas cum Scriptura primitiva non posset dici *per decretum Concilii* declarata. Qui ergo textum ita admittit vel non admittit, prout exstat vel non exstat in *veteri vulgata editione*, quae longo saeculorum usu in Ecclesia probata est, is nihil agit *contra decretum Concilii.*

3°. Neque affirmamus, conformitatem in singulis textibus per se dogmaticis declaratam esse in gradu supremo perfectionis; sed sufficit, quod dogma expressum in vulgata, fuerit etiam expressum in Scriptura primitiva. Unde dicimus, *a*) dogma quod expressum exstat in editione veteri vulgata, non deerat in Scriptura primitiva; *b*) adeoque etiam non erat expressum aliud dogma in textu, et aliud in loco respondente editionis vulgatae; *c*) multo mi-

nus dogma quod in vulgata affirmatur, ibi erat negatum, aut vicissim. Sed non dicimus, *d*) vi decreti Concilii credendum esse dogma in vulgata ***eodem modo*** expressum, ut erat in Scriptura primitiva, dummodo dogma maneat idem; propterea neque dicimus, *e*) in huiusmodi locis nullum posse esse errorem versionis, dummodo non sit huiusmodi, qui substantiam dogmatis mutet vel obliteret ita, ut etiam adhibitis praesidiis necessariis et opportunis intelligi nequeat. Sic non censendus esset contra decretum Tridentinum reiicere authentiam vulgatae, qui veram lectionem in textibus quibusdam etiam per se dogmaticis putaret esse aliam, qua idem quidem dogma, sed non eodem modo ut in vulgata enuntiaretur. Exempla esse possunt, si quis contenderet textus: Gen. III. 15. « ipsa conteret caput tuum; » Ps. CIX. 3. « ante luciferum genui te; » Luc. XXII. 20. « qui pro vobis fundetur; » Rom. V. 12. « in quo omnes peccaverunt; » 1. Cor. XV. 51. « omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, » et si qui sunt alii, iuxta Scripturam primitivam legi oportere: « *ipse* conteret caput tuum » (1); « *sicut ex matutino ros est,* genui te; » « qui pro vobis *effunditur;* » « *quia* omnes peccaverunt; » « *omnes quidem dormiemus* (ad resurgendum cf. Io. XI. 11; Matth. IX. 24; XXVII. 52; 2. Mach. XII. 43. 45.), sed non omnes immutabimur; » imo etiam si legeretur: « *omnes quidem non dormiemus* (vel diuturno vel perpetuo somno mortis cf. 1. Thess. IV. 14–16.), *sed omnes immutabimur* » (vel omnes iusti ad gloriam, vel omnino omnes non quidem ad gloriosam sed tamen ad immortalem vitam corporis) (2). Utrovis modo scriptum primitus fuisse dicas, dogmata eadem promissi Redemptoris et immaculatae eius matris; aeternae generationis Filii; sacrificii eucharistici relativi ad sacrificium crucis; peccati originalis; universalis resurrectionis, utrimque licet

(1) De hoc loco vide eruditissimum opusculum cl. P. Franc. Xaverii Patrizi « De הוא h. e. de immaculata Mariae origine » Romae 1853.

(2) De tribus variis lectionibus huius loci conciliandis, quae mihi maiorem omnibus aliis discrepantiis afferre videntur difficultatem, legendus omnino est Suarez in 3. P. q. 56. a. 2. disput. 50. sect. 2. Cf. Melch. Canum l. II. c. 14; Sabatier Italam h. l.

paulo aliter reperies enuntiata. Huiusmodi varietates modorum Apostoli ipsi frequenter admiserunt in citationibus, non solum suas sententias aeque inspiratas substituendo sententiis inspiratis V. T., ut aliqui persuadere vellent; sed ubi profitentur se citare ipsam Scripturam V. T., adhibent versionem LXX *modaliter* diversam a textu primitivo, ut e. g. Heb. X. 5. Postremo *f*) neque contendimus, *vi decreti Tridentini* constare et tenendum esse, nullum textum dogmaticum exstitisse in Scriptura originali, qui desit in editione vulgata. Advertatur autem plurimum differre haec duo, quod *tali declaratione,* qualis est Tridentina, decerneretur authentica editio, in qua textus exprimens dogma exstaret non sacer et canonicus; vel quod in editione ita declarata authentica aliquod dogma (de quo aliunde constaret) non esset expressum, licet fuerit in Scriptura originali. Dicimus, Spiritum Sanctum non permissurum fuisse, ut *tali decreto* declararetur authentica vulgata editio, si e. g. 1. Io. V. 7. textus esset spurius et proinde non canonicus (cf. tract. de Trin. th. IV.); sed non affirmamus, versionem in qua ille textus desit e. g. syriacam, si adsint cetera requisita, non posse etiam *tali decreto* approbari ab infallibili Ecclesia. Uno verbo dicimus, vi decreti Tridentini in textibus per se dogmaticis ut sunt in veteri vulgata latina editione, comparate cum Scriptura originali non posse admitti *difformitatem contradictionis*, nec *difformitatem diversitatis positivae in dogmate;* non tamen negamus, posse adesse et in pluribus locis revera adesse in ipsis etiam dogmatibus exprimendis *difformitatem modalem.*

Quod vero spectat *difformitatem diversitatis negativam,* in ipso dogmate, dicimus eam *vi decreti Tridentini* uno sensu excludi, alio sensu non excludi. Excluditur talis difformitas, quod dogma expressum in vulgata defuerit in Scriptura originali, et proinde in vulgata textus sit spurius et humanus; non tamen excluditur, quod dogma aliquod expressum in Scriptura originali forte exciderit in editione vulgata.

II. Hunc quem declaravimus, genuinum esse sensum decreti Tridentini, nunc demonstrandum est.

1°. Intelligitur hic sensus *ex ipso contextu ac scopo definitionis*. Iam primum decretum sess. IV. de libris canonicis, ut diximus in thesi antecedenti, saltem indirectam continet declarationem authentiae veteris editionis vulgatae. Concilium ait: « si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur*, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. » Igitur Concilium libros enumeratos cum omnibus suis partibus determinate *sub hac forma vulgatae editionis latinae* declarat canonicos, h. e. divinitus inspiratos (1). Inspiratae autem non sunt nisi partes illae, quae secundum res et sententias seu secundum sensum habent originem a primo scriptore, qui solus erat inspiratus; neque enim quisquam dicet, interpretem seu interpretes latinos fuisse inspiratos. Ergo partes omnes prout in veteri vulgata latina editione habentur, ad quas haec declaratio extenditur, declarantur secundum sensum profectae a primo scriptore inspirato, h. e. secundum sensum conformes primitivae Scripturae. Quaestio igitur tota ad illud revocatur, quid in definitione Concilii nomine *partium* librorum intelligatur. Ostendemus primo *negative*, quae extensio *partium* non sufficiat; tum demonstrabimus, quousque *positive* significatio *omnium partium librorum sacrorum*, quae ibi nominantur, sese porrigere intelligenda sit.

a) Solent quidam extensionem declarationis Concilii restringere affirmantes, nomine *partium* fuisse a Tridentinis Patribus intellectas partes deuterocanonicas libri Esther et Danielis, de quibus cum Protestantibus erat controversia. Hinc putant, utrum e. g. partes Evangeliorum iam antiquitus a quibusdam etiam Patribus notatae velut deficientes in codicibus sive pluribus sive paucioribus, et a recentioribus nonnullis criticis Protestantibus omnino repudiatae (2) habendae sint genuinae et canonicae, nondum *vi decreti*

(1) Cf. Concilii Vaticani Const. de Fide cap. 2. can. 4.

(2) Partes istae sunt Marc. XVI. 9-20; Io. V. 4; VII. 53-VIII. 11; quo etiam ob similem rationem referri possunt Luc. XXII. 42. 43; 1. Io. V. 7. de quo agimus in tract. de Trin. th. IV.

Tridentini certum esse; sed si id constare debeat auctoritate Ecclesiae, aliam eius declarationem esse exspectandam; quae donec edatur, causam integram criticis rationibus commissam manere. Si quis ergo nixus argumentis criticis ea loca reiiceret, non ideo quidquam contra decretum Tridentinum agere censendus esset (1).

At vero α) verba decreti restrictionem ad partes deuterocanonicas Esth. et Dan. non permittunt. Enumeratis enim omnibus libris veteris et novi Testamenti, de *iis omnibus* subditur: « si quis autem libros *ipsos (enumeratos) cum omnibus suis partibus,* prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit..... anathema sit. » Ergo omnium librorum omnes partes, quae ex tenore et contextu decreti merito *partes libri* dici queant, prout in veteri vulgata legi consueverunt, declarantur canonicae. β) Scopus non erat unicus declarare canonicas partes, quas tum temporis Protestantes reiiciebant; sed scopus praeci-

(1) Ita statuitur in opusculo « Sulla autenticità delle singole parti della Bibbia Volgata » p. 10. 45. 46. De hoc opusculo eruditissimi viri Caroli Vercellone plura inferius dicemus; heic aliquam eius sententiam adnotare iuvat, quae mihi in tota disputatione de vulgatae authentia velut principium videtur tenenda; ibi vero solum obiter et per incidens occurrit. Sententia haec est p. 13: « quando sorge un dubbio sull'autenticità d'una parte di quei libri, si deve esaminare se quella parte sia stata solita leggersi nella chiesa cattolica, e se si trovasse nell'antica edizione volgata. Verificandosi queste condizioni, noi dovremo ricevere quella parte controversa come porzione de' libri sacri e canonici. » Si hoc principium a cl. auctore tenetur, plenus inter nos erit consensus. Sed fateor, me hanc sententiam de sensu decreti Tridentini quam puto omnino esse sequendam, non posse conciliare cum iis, quae ibidem dicuntur de valore eiusdem decreti quoad loca Evangeliorum paulo ante memorata. Numquid forte non satis constat vel constare non potest, utrum Mr. XVI. 9–20. pars sit libri sacri, « prout in Ecclesia catholica legi consuevit et in veteri vulgata latina editione habetur? » Si id constat vel saltem constare potest, quomodo decretum Trid. non sufficit, sed alia exspectanda est declaratio ad partis illius canonicam auctoritatem decidendam? Si cl. auctor forte hoc solum sibi voluit, pro catholicis quoque non fore certam authentiam horum locorum *vi declarationis Tridentinae*, nisi legi consuevissent in veteri vulgata editione latina; res tam clara potuisset dici verbis clarioribus.

puus ab ipso Concilio indicatus in hac ultima conclusione decreti erat, editionem vulgatam declarare veram Scripturam sacram in omnibus suis partibus, prae fine nominatim ad quem synodus ipsa erat usura testimoniis tamquam divinis ex eadem hac editione. Insuper controversiae inductae a Protestantibus de partibus ss. librorum et notae Patribus Tridentinis non erant de solis illis Esth. et Dan. (cf. tract. Trin. th. IV.). γ) Maxime in hac re tenendum est principium certum et evidens. Quod error contra unam veritatem particularem praebet *occasionem* definitioni universaliori, in qua proinde etiam ille error sed non solus damnatus reperitur; non ideo propositionem universaliorem definitionis restringere fas est ad solam damnationem illius erroris particularis. Quod Dominus Io. XX. 21. propositionem universalem « sicut misit me Pater, et ego mitto vos, » adhibet, ubi subiungit et confert Apostolis potestatem specialem: « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis » (cf. Matth. XXVIII. 18. sq.); non propterea missio Apostolorum restringitur ad unum hoc munus remittendi peccata. Pariter si occasione negantium valorem sacramenti ab apostatis aut traditoribus ss. codicum administrati definitur valor sacramenti collati extra Ecclesiam catholicam; non ideo definitio solum errorem attingit eum specialem, cuius occasione prolata est. Sic ergo licet concederetur, negationem partium Esth. et Dan. fuisse occasionem et moventem rationem decreti Tridentini, non propterea restrictio admitti posset, quam significatio et contextus verborum respuit.

b) Nunc dicendum, quid *positive* nomine *partium* ibi comprehendatur.

α) Non tam ex significatione verborum quam potius ex scopo decreti, quem Concilium ipsum expresse declarat, consequitur ad *partes* declaratas canonicas pertinere in primis loca omnia prout in veteri vulgata latina editione habentur, quae per se « testimonia ac praesidia » continent ad « confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores, » sive quae per se sunt testimonia de « rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinen-

tium. » Namque Concilium ex definita divinitate librorum cum omnibus suis partibus prout habentur in veteri vulgata editione latina, (et ex divinitate Traditionis) concludit, ex hisce fontibus adeoque ex omnibus libris se usurum esse testimoniis (utique nonnisi divinis) ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores. « Omnes *itaque* intelligant... quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (ipsa synodus) sit usura. » Ergo significavit Concilium, divinitatem librorum omnium nominatim in omnibus partibus, quae per se pertinent ad hunc duplicem scopum, suo decreto esse stabilitam. Ratio scilicet Concilii haec est: primo definit infallibili decreto libros enumeratos omnes cum omnibus suis partibus prout habentur in veteri latina editione vulgata, esse libros divinos; inde habet et proponit eosdem ut documenta, ex quibus tuto depromi possint testimonia tamquam divina, quaecumque ex sensu quem habent, sint valida ad duplicem illum scopum (1). Ergo Concilium ipsum iudicavit, vi sui decreti stabilitam esse divinitatem et auctoritatem canonicam (inspirationem) omnium testimoniorum ut habentur in vulgata veteri latina editione, quae ex suo sensu praebeant normam ad confirmanda dogmata et instaurandos mores, seu quae per se enuntient res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium. At nisi testimonia, prout habentur in veteri editione vulgata, sensu saltem quatenus enuntiant dogma, essent conformia Scripturae originali, non essent testimonia divina et canonica. Ergo testimonia omnia in veteri editione vulgata, quae sunt dicto modo *per se dogmatica,*

(1) Hanc rationem explicat etiam Pallavicinus. « Perchè nel sentenziar di cotanti articoli contro Eretici pertinaci e sofistici convenia levare ogni dubbio sopra i fondamenti delle future decisioni, come ben parla il decreto...... si condusse (la Chiesa) a voler dichiarare in virtù dell' assistenza promessale dallo Spirito Santo, per autentica e sicura qualche traslazione latina delle ss. lettere, essendo quell'idioma l'unico universalmente noto a tutti i bene intendenti di Teologia e però capaci di giudicare intorno a' dogmi della fede » Hist. Conc. Trid. l. VI, c. 17. n. 5.

declarata sunt a Concilio quoad sensum conformia Scripturae originali; seu in his omnibus versio habenda est authentica vi decreti Concilii.

Hac igitur significatione intelligi debet authentia in secundo decreto, in quo explicite declaratur, veterem hanc vulgatam editionem longo saeculorum usu in ipsa Ecclesia probatam « *pro authentica* » habendam esse nominatim in iis actibus, quorum unica vel praecipua pars est exponere, declarare, defendere dogmata christiana morumque regulas, « in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus. »

β) Quamvis contextus decreti sit maxime proprius locus et sufficiens ad hunc sensum probandum, constat tamen praeterea adhuc testimoniis, talem extensionem authentiae intellexisse ac tenuisse Patres ipsos Concilii et theologos, qui vel interfuerant vel paulo post secuti sunt. Legati nomine Pontificis praesidentes Concilio in suis litteris Romam scriptis aperte indicant, agnovisse quidem Patres Concilii imperfectiones et errores vulgatae in rebus minoris momenti, non autem in iis quae per se spectant ad fidem et morum regulam (1). De theologis non loquor illis, qui iustos limites transgressi et fere dixerim fanatici conformitatem asserebant in singulis particulis et paene syllabis;

(1) In litteris ad Card. Alexandrum Farnese Pauli III. nepotem legati respondent difficultatibus Romae motis eo, quod in decreto de authentia vulgatae nihil dicatur de necessaria aliqua eius correctione. Aiunt legati: « Quanto alla incorrettione sua, se ben s'è conosciuta, in lochi però che non mutano le cose essentiali della fede » etc. Rationes cur de correctionibus adhibendis Patres maluerint nullam mentionem facere, sunt: « perchè altro è a dire essere incorretta l'edizione, altro essere incorretti i libri (codices) più o meno. » Tum vero maxime, quia ex confessione incorrectionis Scripturae qua Ecclesia utitur, haeretici potuissent inferre, esse mendosam etiam in locis per se fidem spectantibus, quod legati habent ut calumniam intolerabilem: « Nè saria bastato a dire che le mende fussero dove non importava alla fedē, perchè da uno errore si potria (ab haereticis) arguire a infiniti. » Ex hac defensione contra accusationes apparet commune principium tum Romae tum Tridenti fuisse, errores in editione vulgata non reperiri, « dove importa alla fede. » Vide litteras legatorum editas a cl. P. Vercellone: Dissertazioni Accademiche p. 79. sqq.

sed sapientiores qui fatebantur, non esse declaratam omnimodam conformitatem cum textibus originalibus, ut in ultima parte huius theseos ostendam, unanimes tamen retinebant hunc sensum decreti de conformitate non solum velut abstracte in substantia librorum, sed nominatim in locis quatenus per se exhibent res fidei et morum regulas. Fere omnes expresse eam declarant; pauci sunt, qui non diserte de ea loquuntur, sed tamen toto suo modo argumentandi eam supponunt, dum aiunt non esse contra decretum, si « *in minimis* » quibusdam error in vulgata esse dicatur. At inter veteres multos quos consului, hactenus nullum inveni, qui expresse dixerit vel indicaverit, vi decreti non esse determinatam vulgatae authentiam in textibus huiusmodi per se dogmaticis. In re autem tam gravi a doctrina et interpretatione communi non est recedendum.

γ) Ad rationem nostri argumenti bene advertendum est, ne nobis supponatur opinio quae nostra non est, et deinde rationibus contra hanc forte validis nostrum argumentum confutatum putetur. Aliud est loqui de authentia versionis vel editionis generatim, aliud de gradu seu de intensione et extensione authentiae; nulla de priori saltem inter catholicos potest esse disputatio, sed tota quaestio est de hac altera. Poterit versio aut editio Scripturae dici adhuc simpliciter conformis originali, licet in locis paucis quibusdam etiam per se dogmaticis esset *discrepantia negativa,* vel etiam *positiva;* h. e. licet alicubi in versione aut editione aliud dogma (quod tamen aliunde revelatum constaret) esset expressum quam in originali; dummodo non sit *difformitas contradictionis in dogmate,* talis enim versio foret haeretica. Quod si ita est, neque repugnaret, ut versio vel editio Scripturae adhuc simpliciter licet illo inferiori modo ac gradu conformis textui originali etiam usu publico in Ecclesia, quatenus simpliciter conformis, approbaretur; quatenus vero secundum quid difformis est, toleraretur. Ratio ergo, cur putemus tenendam esse authentiam vulgatae in eo gradu superiori, quo diximus, non est, quia quomodocumque ab Ecclesia proposita est tamquam authentica vel usu publico vel etiam expressa declaratione; sed argumen-

tum ducitur *ex modo declarationis*. Unde concedimus quidem, versiones alias e. g. latinam antehieronymianam, syriacam, armenam usu ecclesiastico probatas esse ut simpliciter authenticas; sed si quis in iis posset demonstrare alicubi difformitatem ab originali Scriptura negativam vel forte etiam positivam in aliquibus textibus per se dogmaticis (sensu explicato), atque inde contenderet, talem difformitatem neque obesse authentiae veteris latinae editionis vulgatae; negaremus consequentiam. Non enim *eodem modo*, non *decreto simili* declarata est authentia illarum versionum, quo authentiam vulgatae definitam habemus non solum generatim sed ex decreti contextu et scopo secundum talem gradum intensionis et extensionis.

2°. Ex omnibus dictis patet, quid sentiendum sit de diversitate inter textum hebraicum et graecum ex una parte et inter editionem vulgatam versionis latinae ex parte altera in iis, quae per se ad fidem et morum regulam spectant. *a*) Negamus in his umquam reperiri diversitatem *contradictionis*, ut in textu affirmetur quod in versione negatur vel vicissim, quin omnibus praesidiis adhibitis demonstrari possit, lectionem genuinam esse eam, quae in sensu dogmatis non discordet ab editione vulgata, prout longo saeculorum usu in Ecclesia catholica legi consuevit. *b*) Idem putamus dicendum de *diversitate positiva discrepantiae realis*, ubi non est eiusdem affirmatio et negatio, sed affirmatio aut negatio discrepantium, hic quoad unum illic quoad aliud dogma. *c*) Eodem etiam pertinet *diversitas negativa discrepantiae*, si in editione vulgata exstet textus dogmaticus, qui in graeco aut hebraico (in praesenti conditione lectionum) videretur deesse. Si quando verificaretur hypothesis, quod loci genuinitas in veteri editione vulgata ut in Ecclesia legi consuevit, saltem secundum substantiam dogmatis praesidiis criticis demonstrari non posset, insistendum esset principiis theologicis, ut concedendo vetustam aliquam in textu hebraico vel graeco corruptelam, is ex vulgata supplendus intelligeretur. *d*) Non eadem esset ratio, si textus per se dogmaticus exstaret in hebraico vel graeco, qui deesset in latina vulgata; hic enim defectus

per se minime demonstraret hebraicum aut graecum textum interpolatum. Postremo *e*) in *discrepantia modali* seu quoad modum solum significandi eandem veritatem, textus hebraicus et graecus plurimum confert et adhibendus sane est ad vim et genuinum sensum versionis vulgatae rite aestimandum.

III. Ut de veritate non solum ex argumentis directis sed etiam comparate cum sententia contraria iudicari possit, necessarium hic putamus examinare recentium adversariorum argumenta, licet pleraque in superioribus praeoccupata iam fuerint.

Ne eorum vim dissimulasse videar, ipsa fere verba viri doctissimi a nobis in hac re dissentientis describam ex opusculo superius citato (Sulla autenticità delle singole parti della Bibbia Volgata). Eius disputatio haec est p. 23. sqq.

1°. Distinctio inter « textus dogmaticos et non dogmaticos » (ita enim cl. auctor loquitur) *theologice* non potest admitti, *a*) quia omnes textus Scripturae sunt inspirati et proinde omnes aeque verbum Dei et divinae auctoritatis. « Verum quidem est, verbum Dei non exprimere semper sententiam pertinentem ad doctrinam revelatam; sed non ideo desinit esse verbum infallibile, auctoritatis supremae, et divinum; ergo pro theologo non datur distinctio quoad auctoritatem inter diversas partes librorum divinitus inspiratorum. » Ad hoc argumentum *a priori* accedit *b*) alterum *a posteriori*. « Si quis in Scripturis velit distinguere ea, quae plus minusve directe pertinent ad doctrinam fidei et morum, » id in concreto fieri nequit, quia plerumque nequeunt discerni huiusmodi loca ab aliis; « saepe enim maxime in latina vulgata et in graeca versione LXX primo intuitu locus videtur indicare doctrinam dogmaticam vel moralem, qui penitius inspectus nihil huiusmodi continere deprehenditur. » Nihilominus fatetur cl. auctor, « saepe sine periculo errandi affirmari posse, in textu enuntiari vel non enuntiari doctrinam dogmaticam. » Imo concedit, distinctionem inter textus qui versantur in rebus fidei et morum et inter loca alia, saepe esse utilem in hermeneutica sacra; vidit enim ipse nimis clare hanc distinctionem indicatam in Concilio Tridentino sess. IV. decret. 2. In

summa asseritur, textus dogmaticos a non dogmaticis saepe quidem facillime, vel saltem adhibita diligentia discerni, hancque distinctionem in hermeneutica esse adhibendam; esse tamen textus « praesertim in libris sapientialibus et propheticis, » quorum valor dogmaticus cum certitudine determinari nequit. Ex his praemissis infertur conclusio: « ergo distinctio illa *theologice* in suo complexu saltem est impossibilis, et practice nulli usui pro studiis criticis. » Argumentum utrumque ab ipso auctore in hanc summam contrahitur. Universa Scriptura est verbum Dei; atqui verbum Dei in omnibus est aequalis et supremae auctoritatis; ergo etiamsi cum certitudine discerni possent omnia loca, quae « referuntur ad fidem et ad mores, » non tamen possemus affirmare his locis competere maiorem auctoritatem quam locis aliis Scripturae (1).

2°. *Critice* spectata distinctio inter textus Scripturae « dogmaticos et non dogmaticos » est absurda, *a*) quia amanuenses et correctores aeque in illis ac in his poterant errare et reipsa errabant, nec id sine miraculis perpetuis poterat impediri. Ergo non apparet, cur errores in locis « qui praetenduntur non dogmatici, » liceat emendare, « in locis vero aliis (dogmaticis) debeant conservari et intacti relinqui. » Mox vero *b*) subiungitur, nullos esse in editione vulgata errores « qui repugnent sanitati fidei; » sed esse « errores innocuos, » hosque (in locis « dogmaticis, » de quibus agitur) emendari posse « corrigendo voces erroneas, re-

(1) Quia nemo facile perspiciet vim argumenti, quo videtur probari, quod certum apud omnes sinceros catholicos non indigebat probatione, et non probari (ut ostendam) quod solum in quaestionem venit, describam ipsa cl. auctoris verba. « In breve: la S. Scrittura è parola di Dio, la quale ora c' insegna il dogma, ora c'insegna altre cose che Iddio volle fossero scritte dagli autori inspirati a benefizio della Chiesa. Ma la parola di Dio ha sempre eguale ed assoluta autorità sia che ci parli di ciò che dobbiamo credere ed operare per raggiungere il nostro fine, sia che ci esponga la storia della rivelazione o qualsivoglia altro fatto divino o umano. Dunque quand' anche si potessero conoscere sempre con certezza tutti i luoghi che più o meno direttamente si riferiscono alla fede e ai costumi, noi non potremmo mai affermare, che a questi luoghi debba attribuirsi maggior peso di autorità che non al rimanente dei libri inspirati » l. c. p. 25.

secando additamenta, supplendo lacunas. » Ad haec c) facto constat, etiam loca nonnulla ex iis quae dogmatica appellant, fuisse post Concilii decretum adhuc emendata.

3°. Custodia et vigilantia Ecclesiae a) solum refertur ad substantiam ss. librorum, ne scilicet libri prae eorundem scopo corruptelis inductis essentialiter alii evadant, quam primitus fuerant. Scopus autem ss. librorum non solum est dogmaticus; certe « in nonnullis libris historicis V. T. substantia et pars praecipua non spectat doctrinam.» Insuper b) Scripturae per se sunt littera mortua, spiritus vivificans non potest contineri in litteris sed in authentica doctrina, qua Ecclesia litteram mortuam vivificat. « Unde apparet, quomodo Ecclesia non sit custos Scripturarum quatenus mere sunt littera mortua, » sed quatenus continent verbum Dei vivum et vivificans, quo in munere Ecclesia numquam potest deficere.

4°. « Etiamsi a) Ecclesia nequeat tribuere Scripturae sensum falsum et errare in illa interpretanda, potest tamen uti etiam textu non legitimo ad confirmandum sensum legitimum. » b) « Textus dogmatici critice certi sunt necessarii solis Protestantibus negantibus auctoritatem Ecclesiae et Traditionis, non autem nobis qui nullum dogma primario in Scripturis fundatum esse novimus » (p. 26. 28. 30.).

5°. Multae versiones sunt legitime receptae in Ecclesia, puta versio graeca V. T., latina antehieronymiana, syra, armena, coptica. Iam vero istae versiones inter se comparatae habent plurimas lectiones « diversas quoad sensum in locis, qui putantur dogmatici; » necessario ergo ibi sunt errores vel interpretum vel amanuensium. Attamen « omnes versiones legitime usurpatae in Ecclesia catholica dogmatice pares sunt, et proinde dogmatice etiam pares sunt textui (originali), quamvis critice differant tum a textu tum inter se » (p. 28. 38.).

6°. Si textus dogmatici non essent supponendi examini artis criticae, hermeneutica deberet praecedere criticam, et haec illi subiiceretur atque ab illa dirigenda esset. At haec est perversio ordinis logici scientiarum; primum enim stabilienda est vera lectio per examen criticum, et tum de-

mum sequi potest eius interpretatio. «Ergo ordo scientiarum non sinit, ut textus quos volunt esse dogmaticos, subtrahantur examini critico « (p. 27.).

Hae videntur esse omnes et solae rationes, quibus sententia theologorum quam sequimur, in erudito opusculo impugnata est; reliqua enim argumenta quae ibi proferuntur, non nostrae sed illorum doctrinae opponuntur, qui conformitatem versionis vulgatae cum textu primitivo indiscriminatim in omnibus incisis et particulis, atque adeo authentiam in gradu supremo vi decreti Tridentini tenendam esse censuerunt. Hanc opinionem a cl. auctore invicte confutatam esse video, et plene quoad hanc partem ei consentio; sed vim argumentorum contra nostram sententiam nondum perspicio, neque ab ea recedendum esse puto. Rationes exponam respondendo brevissime ad singula.

Ad 1um. Probatur optime, distinctionem inter textus qui sunt canonicae Scripturae, non esse intelligendam ratione diversae auctoritatis, quod hic non indigebat probatione; sed non probatur, nullam posse admitti distinctionem neque ratione rei seu materiae quam continent. Imo hanc distinctionem quae sola a nobis supponitur, adversarius ipse diserte admittit verbis longe efficacioribus, quam quibus nos eam explicamus, et extensione multo ampliori quam admitti posse videtur. Porro ex principio certissimo, in textibus, si sunt canonici, auctoritatem non esse diversam, quamvis diversa sit materia, non sequitur quod unice probandum erat, a sacra synodo in editione veteri latinae versionis fuisse declaratos conformes originali et ideo canonicos non alio sensu textus primae classis, quibus expresse dicit se usuram tamquam verbo Dei, quam singula incisa secundae classis, de quibus non loquitur. Nemo ex diversa auctoritate textuum qui sunt Scripturae inspiratae, probare umquam instituit diversam relationem decreti ad loca diversa; sed nostra demonstratio longe alia est. Concilium in declaratione authentiae editionis vulgatae expresse indicat, se prae oculis nominatim habuisse testimonia pertinentia ad « confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores, » et ideo concludimus, hos textus per se dogmaticos

omnes, ut sunt in editione veteri vulgata, comprehensos esse in declaratione authentiae huius eiusdem editionis. Hoc autem de aliis textibus et incisis Concilium non dicit; et ideo pro his non valet idem argumentum, sed *vi decreti* sufficit in his admittere conformitatem eam, quae requiritur, ut versio non sit quoad substantiam difformis et simpliciter non authentica. Si propter aequalem auctoritatem omnium textuum qui sunt canonici, sequeretur, versionem in omnibus *pari modo* conformem originali declaratam esse, potius concedendum foret in sententiam contrariam, qua affirmatur authentia conformitatis in omnibus incisis, etiam enuntiantibus quae per se non pertinent ad aedificationem doctrinae christianae in rebus fidei et morum. Hoc autem quia et nos et pariter adversarius noster certis argumentis falsum demonstrari putamus, idcirco necessario tenendum est, declarationem authentiae a Concilio alia intensione de textibus unius et alia de textibus alterius classis intellectam fuisse, et intelligendam esse; atque adeo cum authentia veteris latinae editionis vulgatae dicitur declarata fuisse *quoad substantiam,* in hac *substantia Scripturae* in primis comprehendi ea loca, quibus synodus « ad confirmanda dogmata et instaurandos in Ecclesia mores se usuram esse » tamquam sacris et canonicis, utique *prout exstant in veteri latina editione,* et quorum causa se inductam esse dicit, ad libros omnes cum omnibus suis partibus sub hac forma, « prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, *et in veteri vulgata latina editione habentur,* » definiendos sacros et canonicos.

Altera pars argumenti quae inducitur *a posteriori,* vix indiget responsione. Eo quod a nobis privata interpretatione non semper potest certo determinari sensus alicuius loci, utrum sit de rebus per se fidei et morum, et utrum proinde pertineat ad partes Scripturae nominatim comprehensas in decreto, nullatenus sequitur, vel distinctionem ratione diversae materiae universim reiiciendam esse, vel usui esse non posse ac debere, ubi de valore dogmatico textus constiterit; adeoque etiam non sequitur, hunc quem diximus, non esse sensum decreti Tridentini. Si propter

rationem adversarii distinctio potest reiici a critico, non video, cur eodem iure non posset seponi ab interprete, pro quo tamen ipsemet eam admittit; nec video, quomodo Concilium ipsum eandem distinctionem nobis ob oculos ponere potuerit: « ut nemo *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia . . . aut etiam contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat. » Quam quidem distinctionem Concilium Vaticanum in authentica declaratione decreti Tridentini iterum repetiit (Const. de Fide c. 2.).

Ad 2um. Quod hic dicitur in prima parte argumenti, non est in quaestione. Concedimus, in codicibus sive scriptis sive excusis posse esse errores amanuensium et correctorum etiam in locis dogmaticis, imo posse esse haereses, hosque errores posse et debere modo opportuno emendari. Quaestio non est de singulis codicibus, sed de *veteri vulgata editione, prout longo saeculorum usu in Ecclesia Dei legi consuevit.* Et in hac iterum non quaeritur, utrum velut *a priori* interpres, vel antiquissimis temporibus omnes aut fere omnes amanuenses (1) errare *potuerint* in textibus etiam dogmaticis; concedimus, id fieri utique potuisse. Quaestio est unica, utrum *re ipsa sint* in editione veteri vulgata errores in textibus per se dogmaticis, iique non qualescumque sed qui transmutent ipsam substantiam dogmatis, ut erat in originali divinitus inspirata Scriptura. Affirmamus, huiusmodi errores nullos esse; idque constare dogmatice, quia Spiritus Sanctus non permisisset, ut Ecclesia *eo modo quo factum est,* versionem *ita mendosam* atque adeo in huiusmodi locis *continentem non verbum Dei inspiratum sed verbum humanum,* declarasset authenticam. Si supernaturalis divina providentia et assistentia Spiritus Sancti in conservatione verbi Dei scripti et in iudicio Ecclesiae de integritate ac puritate huius verbi scripti removetur vel non attenditur, et insuper Scriptura consideratur in con-

(1) Nisi supponatur error *antiquus* et *universalis,* iam non esset in *vulgata veteri editione,* sed in aliquot mendosis exemplaribus.

ditione libri privati; tum sane non aliud remanet ad conservationem integritatis et sinceritatis Scripturae quam industria humana (in qua totum fere negotium redit ad solertiam interpretum ex una lingua in aliam, amanuensium, correctorum); et ad iudicandum de eadem integritate ac sinceritate remanet unum atque ideo independens examen criticum et historicum. At suppositis principiis catholicis, de *facto* integritatis et sinceritatis Scripturae sub hac determinata forma versionis ac editionis, seu de authentia conformitatis eiusque gradu certi reddi possumus per iudicium Ecclesiae. Demonstrato igitur iudicio Ecclesiae de tali gradu authentiae veteris vulgatae editionis, ut in eius textibus « ad confirmanda dogmata et ad instaurandos in Ecclesia mores, » seu ad « aedificationem doctrinae christianae » pertinentibus exhibeatur sincerum verbum Dei scriptum secundum substantiam saltem dogmatis, iam etiam dogmatice demonstrata est conformitas eiusdem editionis cum primitiva Scriptura in omnibus huiusmodi textibus. Hinc quoniam veritas veritati non repugnat, ipso hoc iudicio Ecclesiae securi reddimur, numquam critice *demonstratum iri* talem aliquem errorem in veteri vulgata editione, ut longo saeculorum usu in Ecclesia legi consuevit. Potest tamen fieri, ut ob defectum praesidiorum necessariorum vel ob alias causas sola critica per se aliquando non possit demonstrare veritatem lectionis vulgatae etiam in huiusmodi locis; tum vero quod *critice* non liquet, constabit nihilominus ex principio theologico. Hoc modo dicimus, sicut alias scientias humanas ita etiam criticam subesse theologiae Ecclesiae, hancque oportere velut normam saltem *negativam* et velut stellam rectricem ad praecavendos errores prae oculis haberi.

Ad alteram partem huius obiectionis respondemus. Si agitur de « erroribus innocuis, » mutatur status quaestionis. Sermo nobis est de erroribus, qui transmutent sensum dogmatis, ut erat in Scriptura originali inspirata, cuiusmodi non putabimus « errores innocuos. » Eadem valet responsio de eo, quod ambigue dicitur « emendatio vocum *erronearum*. » Porro non contendimus, vi decreti credi debere in editione

vulgata nullas esse lacunas textuum dogmaticorum, adeoque non negamus, eas posse suppleri (si revera demonstrentur esse). Negamus vero, *in editione veteri vulgata, ut longo saeculorum usu in Ecclesiâ Dei legi consuevit,* et quae eo modo quo ostendimus, declarata est authentica, haberi textus dogmaticos spurios. Rationem dedimus, quia scilicet decretum ex suo contextu et scopo nominatim testimonia ad «confirmanda dogmata» declarat esse canonica; unde si textus essent spurii, declaratum fuisset scriptum verbum hominum pro scripto verbo Dei. Ideo negamus, quod dicitur de «resecandis additamentis,» si haec intelligantur *per se dogmatica,* et quae exstent in *veteri vulgata editione.* Nec profecto video, quomodo hoc ius critices ex veteri vulgata editione «resecandi additamenta» per se dogmatica possit conciliari cum verbis ipsius cl. adversarii, quae superius in nota p. 539. citavimus.

Ad partem tertiam desiderassemus exemplum emendationis textus per se dogmatici post Concilium Tridentinum, sed emendationis, de qua sola disputamus; videlicet *a*) textus certo exstantis in veteri vulgata editione, *b*) emendationis non secundum modum solum exprimendi dogma, sed secundum ipsam rem et substantiam dogmatis. Huiusmodi vel uno exemplo prolato cl. auctor suum propositum efficacius demonstrasset quam omnibus argumentationibus; donec proferatur, negabimus tale aliquod idoneum exstare. Nam talis emendatio non posset esse alia nisi tum inducta, quando correctiones in editione vulgata iussu Pontificum institutae sunt (emendatio enim alia privatorum nihil probaret). At non credam, correctores contra suum primum principium mutasse textum certo exstantem in *veteri editione vulgata,* idque inducendo mutationem substantialem sensus dogmatici, qui fuisset enuntiatus in illa editione, quam ipsimet «suae pristinae integritati ac puritati, quoad eius fieri potuit, restituere» propositum habebant (Praefat. ad edit. Clementinam).

Ad 3[ium]. Huius difficultatis primam partem, ubi dicitur custodia Ecclesiae referri solum ad substantiam librorum sacrorum, possumus transmittere. Neque enim nostra

demonstratio extensionis et gradus authentiae, quae referenda sit ad omnes textus per se dogmaticos, innititur simpliciter huic muneri *custodiae* Scripturarum, sed ducitur *ex modo definitionis*, quo Concilium authentiam editionis vulgatae declaravit. Ceterum scopus princeps Scripturae atque ideo prae hoc scopo substantia sacrorum librorum constituitur in rebus fidei et morum h. e. in iis, quae (iuxta superius exposita) *propter se revelata sunt* in Scripturis, non autem solum per accidens et propter aliud inspirata ad scribendum. Unde illud quod cl. auctor in libris V. T. dicit substantiam e. g. complexum historiae et prophetiae etc., nos comprehendimus inter partes dogmaticas. Adeoque possemus dicere: custodia Ecclesiae hoc ipso, quod (fatente adversario) refertur ad substantiam librorum sacrorum, in primis pertinet ad partes omnes « fidei ac morum, » seu ad ea quae per se revelata sunt, ac spectant ad « aedificationem doctrinae christianae; » de his enim non autem de minimis adiunctis historiae, geographiae, botanicae, zoologiae hisque similium Ecclesia pro munere suo directe et per se est sollicita, et sub hac ratione ei est per se commissa non minus custoditio quam interpretatio verbi Dei scripti. Ex hoc munere custodiae non sequitur quidem, non potuisse textus aliquos etiam per se dogmaticos, imo libros integros inspiratos intercidere, quoniam doctrina revelata non in solis Scripturis sed imo etiam principalius in Traditione conservatur; omnino autem ex munere custodiae verbi Dei sub assistentia Spiritus veritatis consequitur, non posse fieri ut Ecclesia custos verbi Dei proponat verbum humanum tamquam verbum Dei in Scripturis. At haec propositio verbi Dei per Ecclesiam non ex eo adhuc intelligitur, quod verbum contineatur in aliqua editione Scripturae, sed intelligitur ex diserta vel saltem aequipollente declaratione authentiae editionis; et haec authentia declarata ipsa quousque extendatur, ex sensu et modo declarationis discendum est. Ideo munus custodiae verbi Dei sub assistentia Spiritus veritatis est quidem ratio, cur Ecclesia infallibiliter etiam authentiam seu conformitatem versionis et editionis Scriptu-

rae discernere et declarare queat, sed non ex eo munere per se sine huiusmodi declaratione authentiam eiusque extensionem cognoscere possumus. Quare frustra in argumento adversarii illud munus custodiae Scripturarum inducitur, cui nostra demonstratio de authentia vulgatae editionis et eo magis de eiusdem authentiae amplitudine minime innititur. Possumus ergo nunc haec omnia omittere, quia authentiam editionis vulgatae in omnibus locis per se dogmaticis non deducimus simpliciter ex munere custodiendi Scripturas, sed ex *modo* quo authentia declarata est.

Pars altera obiectionis si urgeretur, deveniendum esset ad absurdum, ab Ecclesia totam doctrinam revelatam conservari *tantummodo* in Traditione, atque ideo non magni interesse, si scripta humana habeat ac proponat pro divinis. Sine dubio Ecclesiae transmissa est et sub assistentia Spiritus veritatis in ea conservatur intelligentia verbi Dei; quae res tota pertinet ad Traditionem et ad infallibilem interpretationem Scripturarum. Sed ideo non potest negligi imo in praesenti providentia necessario supponitur custoditio ipsius verbi Dei scripti, quod a cl. auctore « littera mortua » appellatur. « Agnitio (γνωσις) vera est,..: quae pervenit usque ad nos tractatio plenissima neque additamentum neque ablationem recipiens; et *lectio sine falsatione et secundum Scripturas expositio legitima* » Iren. IV. c. 33. n. 8. (cf. th. IX. n. I.). Licet non absolute et ex rei natura, attamen in praesenti providentia Scriptura est necessaria Ecclesiae, neque independenter a Scripturis Traditione distincta conservatur totius revelationis depositum; sed Scripturae ipsae sunt pars magna depositi custodiendi, et vicissim medium ad custodiam depositi; ex eis enim utpote verbo Dei scripto Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti veram intelligentiam, explicationem, defensionemque veritatum revelatarum depromit. « Sicut illis (haereticis) non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptela instrumentorum eius, ita et nobis et a nobis integritas doctrinae non competisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur » Tertull. Praescript. c. 38. Uno verbo: quia Scriptura sine vera intelligentia et

« verbo vivificante » nec sufficit nec prodest, non ideo Scriptura « littera mortua » ad veram intelligentiam et praedicationem « vivificantem » non necessaria censeri potest, aut eius conservatio maxime in « rebus fidei et morum » ibidem divinitus scriptis minus pertinet ad munus custodiendi depositum.

Ad 4um. Si prima pars obiectionis dirigitur contra nostram explicationem decreti Tridentini, responsio in promptu est. Potest quidem fieri, ut Ecclesia verbis alicuius versionis Scripturae utatur ad piam accommodationem, ad exornationem, sub certis conditionibus etiam ad argumentum, quin ideo iam declarare velit, aut verba esse genuina aut hunc esse verborum sensum. At Concilium in decreto de quo agimus, testimonia quorum usum ex editione vulgata ad confirmanda dogmata sibi vindicat, evidenter declarat divina ac proinde authentica, ut satis demonstravimus.

Si in secunda parte textus *critice certi* dicuntur solis Protestantibus necessarii eo sensu, quod Protestantes non nisi per criticam et historiam atque ideo plerique ex ipsorum principiis nullo modo possunt certi fieri de genuinitate Scripturarum, nobis autem sicut de vero sensu ita de genuinitate et authentia Scripturarum constare potest per infallibilem auctoritatem Ecclesiae, id nos maxime contendimus et saepe iam demonstravimus. At si dicitur, necesse non esse ut Ecclesiae catholicae et per Ecclesiam nobis constet de genuinitate textuum per se dogmaticorum, hoc ita universe dictum quam falsum sit, ex paulo ante disputatis constat et etiam per se evidens est.

Ad 5um. Admittimus, versiones in eo statu, quo sunt et quamdiu sunt in publico usu Ecclesiae catholicae, esse simpliciter authenticas authentiâ etiam manifestatâ seu externâ quae internam supponit et includit, ut thesi superiori explicatum est. Dixi pro statu, in quo et quamdiu manent in publico usu Ecclesiae; quia si versio per longum tempus desierit esse in tali usu catholicae Ecclesiae, pro hoc tempore auctoritas Ecclesiae nullum facit vadimonium contra inductionem errorum, atque hoc ipso integritas non

amplius authentice manifestata est et theologice cognoscibilis (cf. supra p. 519. 521.). Quamvis vero illis versionibus pro statu et tempore, quo diximus, concedamus competere authentiam generice et simpliciter dictam, quae manifestatur publico usu ecclesiastico; attamen gradus et extensio authentiae nulla *tali* declaratione determinata est, sicut definitam esse vidimus authentiam editionis veteris vulgatae latinae; non ergo *eodem modo* constat de illarum sicut de huius authentia. Quoad illas authentia simpliciter et generatim atque usu tantum, quoad hanc specifice et *in aliquo determinato gradu* per solemne Ecclesiae decretum manifestata est. Ceterum revera putamus, versiones illas (pro statu quo diximus) demonstrari non posse in locis per se dogmaticis « positive diversas quoad sensum » ita, ut *aliud dogma quoad substantiam* (multo vero minus sensus contrarius, qui esset haereticus) exprimatur, quam fuerit in Scriptura originali inspirata.

Quidquid vero sit de gradu illarum authentiae, de quo disputare nolumus, in obiectione non valemus conciliare haec duo, quod *a*) versiones illae in locis dogmaticis « differunt sensu », utique (si aliquid dicitur ad rem pertinens) quoad dogmatis substantiam, ac proinde vel illae omnes vel omnes unâ exceptâ habent errorem quoad substantiam dogmatis; nihilo tamen minus *b*) omnes cum vulgata editione et cum textibus originalibus *theologice pares* sunt. Quomodo quaeso instrumentum quoad substantiam alicuius vel aliquorum dogmatum exhibens textum humanum (talis enim profecto est, si est error quoad sensum ipsius dogmatis, licet supponatur non esse sensus haereticus, quia non negationem dogmatis sed aliud diversum enuntiat), quomodo, inquam, tale instrumentum *theologice par* dici potest alteri, quod exhibet textum divinum ac inspiratum?

Ad 6um. Si textus genuinitas dubia est et de ea nullo alio ex fonte quam per regulas critices constare potest, debet praecedere critica hermeneuticam, ut constet, hanc versari circa textum genuinum. In textibus dubiis ergo profanis et privatis hic ordo inter criticam et hermeneuticam

semper consistit, quia de eorum genuinitate non nisi ex historia et critica constare potest. At si agitur de instrumento publico et quidem theologico ac nominatim de s. Scriptura, in qua de genuinitate certae cuiusdam classis textuum iudicari potest ex fonte duplici, *a*) ex auctoritate Ecclesiae tamquam ex fonte theologico, superiori, infallibili, qui propterea sit pro fonte altero sibi subordinato instar normae dirigentis, et *b*) ex critica tamquam fonte mere humano et priori subordinato; in hac hypothesi logicus ordo postulat, ut in huiusmodi textibus primum consulatur auctoritas tamquam norma prae oculis habenda, per quam critica dirigenda est. Unde hermeneutica solum praecedit, quando et quatenus necessaria est, ut constet, num locus pertineat ad eam classem textuum, de quorum genuinitate secundum substantiam sensus ex duplici fonte iudicari potest. Porro ubi etiam ex auctoritate et declaratione custodis Scripturarum certiores reddimur de genuinitate secundum substantiam dogmatis, possunt in textibus dogmaticis nihilominus remanere aliae difficultates lectionis quoad modum enuntiandi dogma, quae ante exegesim pleniorem totius enuntiationis et ex sola critica solvendae sint. Ordo ergo hic est: si oritur dubium de genuinitate substantiae sensus dogmatici, praecedit auctoritas et quadamtenus h. e. quando et quatenus requiritur ad dignoscendum valorem dogmaticum, praecedit etiam hermeneutica; succedit et subservit critica auctoritati. Si dubium est de genuinitate pertinentium (salva substantia sensus) ad modum enuntiationis; praecedit critica, sequitur applicatio plenior hermeneuticae et exegesis. Absoluta antecessio criticae prae auctoritate theologica (Ecclesiae), ubi iudicatur de genuinitate textuum dogmaticorum, non magis admitti potest, quam absoluta antecessio aliarum scientiarum humanarum, e. g. philosophiae prae theologia Ecclesiae in materiis etiam ad hanc pertinentibus et secundum aliquam rationem communibus. De hac re dicemus in Appendice horum Tractatuum. (Vide Concilii Vaticani Constit. de Fide cap. 4. cf. Coroll. 2. ad th. XVIII.).

IV. In postrema parte theseos impugnamus alteram opi-

nionem hactenus confutatae contrariam, qua nonnulli vetustiores theologi contendebant, vulgatam editionem esse a Concilio declaratam authenticam in gradu supremo conformitatis cum originali textu quoad singula incisa et paene verba, quaecumque sit materia, in qua textus versentur. At talem sensum profecto vix credibilem decreti vel colligunt ex ipsa appellatione *authenticae editionis* simpliciter dictae, vel ex *speciali aliqua ratione* decreti. Ex utraque consideratione manifestissime erroris convincuntur.

De priori nihil opus est multis dicere. Sane diuturno Ecclesiae usu *authentica* demonstrabatur versio latina usurpata usque ad s. Hieronymum et deinceps adhuc simul cum nostra vulgata saltem usque ad Gregorium M. Nihilominus nemo ex illo usu inferri posse putabat conformitatem cum textu primitivo in singulis quibusque minutioribus rebus et verbis. Imo ss. Patres illo ipso tempore, quo versio erat in usu universali, passim plura adnotabant in illa minus recte posita, s. Hilar. in Ps. 118. v. 96. T. I. p. 354; in Ps. 138. n. 43. p. 582; Marius Victorinus contr. Arian. l. II. Bibl. Max. PP. T. IV. p. 273; s. Hieronym. in Gal. IV. 5; V. 4. T. VII. p. 449. 481; ep. ad Sun. et Fretel. passim et alibi saepe. Universim s. Augustinus ep. 82. n. 3. ad Hieronym. et l. XI. c. 5. cont. Faust. statuit: « ibi (in Scripturis) si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor huius libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut *interpres erravit,* aut tu non intelligis. » Tandem vetus illa editio, licet publico usu demonstrata authentica, paulatim seposita est et ei substituta haec nostra in multis minutioribus huiusmodi rebus non solum modo enuntiandi sed etiam sensu ab illa discrepans. Quae quidem diversitas demonstrat, non potuisse saltem utramque perfecte respondere archetypo textui, non tamen impedivit, quominus utraque esset authentica, quantum ad scopum Scripturarum satis erat. Simile aliquid dicendum est de versionibus vetustis publice per multa saecula usurpatis in Ecclesiis catholicis aliarum linguarum. Opportune unus ex deputatis ad correctionem vulgatae Dr. Valverde in libello supplici ad Pontificem Clementem VIII. (apud cl. P. Vercellone in Prolegom.

ad Lectt. var. Vulg. T. I. p. LXVII.) ita loquitur. « Multa, Pater Sancte, permisit Ecclesia legi publice, non quod omnino probaret, aut rectius legi non posse statuerit... neque ideo dicenda est errores tolerasse in Bibliis, cum haec neque sanam fidem neque mores corrumpant. Plura quidem et maiora multa toleravit Ecclesia, antequam Hieronymus Biblia emendaret, et nemo Ecclesiae hoc exprobravit. »

In declaratione igitur authentiae universim spectatae certe haec opinio nullum habet fundamentum; probari itaque deberet ex specialibus rationibus et adiunctis decreti Tridentini. At ex his omnibus potius evidenter falsa convincitur.

1°. Ex fine declarationis Concilii. Finis propositus est « non parva utilitas accessura Ecclesiae Dei, » quae distincte assignatur in eo, ut omnibus innotescat sinceritas fontium, ex quibus in Ecclesia et a synodo ipsa depromenda sint « testimonia in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus. » Atqui ad hunc finem nihil pertinent minutiora quaeque geographiam, chronologiam, adiuncta infima historiae, botanicam, zoologiam etc. spectantia; sed ad hunc finem satis est versionis et editionis, qua Ecclesia ad fidei et morum aedificationem tamquam genuino verbo Dei utitur, authentia conformitatis in rebus fidei et morum, ac in ceteris quoad rei summam. Ergo hanc non autem illam strictiorem conformitatem declarare propositum erat.

Alia inflexione idem dici potest. Iudicium Ecclesiae de authentia vulgatae est iudicium infallibile de facto dogmatico, et eatenus assistentia Spiritus Sancti atque per eam infallibilitas in iudicando promissa est, *quatenus factum est dogmaticum* h. e. proxime nexum cum conservanda integritate fidei et regulae morum, de quo propterea non secus ac de dogmatibus in se revelatis infallibiliter constare magni interest totius Ecclesiae. Atqui huiusmodi factum est utique editionis Scripturae in publicum catholicae Ecclesiae usum adoptatae conformitas cum archetypo in iis, quae saepe iam diximus, non autem conformitas in minutissimis quibusque. Ergo de illa non de hac authentia Ecclesia infallibilis iudicium tulit.

2°. Ex circumstantiis declarationis. Synodus declaravit authenticam editionem vulgatam tum temporis existentem; eam enim tamquam authenticam Concilium ipsum in suum usum adoptavit. Simul vero agnovit in ea aliqua posse emendari, hocque negotium Romanorum Pontificum curae commendatum voluit; qua quidem in agnitione defectuum et erratorum levioris momenti tam Cardinales ac theologi Romae deputati et consulti a Pontifice, quam Patres Concilii consentiebant (vide epistolas Legatorum supra citatas p. 542.) (1). Nihilominus tamen etiam in hoc statu editio vulgata declarata est authentica, et tamquam authentica adhibita ab ipso Concilio. Ergo de authentia in huiusmodi minutioribus Patres Concilii in sua declaratione non agebant.

His iam etiam responsum est ad id, quod patroni strictissimae conformitatis dicere solebant, non utique errores librariorum esse approbatos; sed vulgatam editionem expurgatam a mendis, ut nunc eam habemus, etiam in omnibus minimis declaratam esse authenticam. At *a*) declaratio non ad futuram tantummodo editionem referebatur, quae est calumnia Protestantium, sed ad vulgatam ut tum exstabat et a Concilio ipso potuit adhiberi. *b*) Concilium nulla indicavit speciatim principia, secundum quae emendatio esset instituenda. Non ergo potuit velle in antecessum declarare, futuram emendationem quae profecto plus minusve a perfectione abesse poterat, talem fore, ut etiam in minimis archetypo primitivo responderet. Propterea *c*) Ecclesia non modo post solemnem illam authentiae declarationem sed etiam post emendationem auctoritate Pontificum institutam, adhuc permittit et ratum habet usum publicum et liturgicum non solum editionum in aliis linguis, sed etiam

(1) De magna varietate in codicibus et exemplaribus illius temporis ita loquitur Bellarminus (opusc. posthumo edito a Zaccaria in Proleg. ad T. I. Tirini 1795). « Testatur Nicolaus Cardinalis (apud Bessarionem in commentar. in illa verba: sic eum volo manere), se scrutatum esse plurima armaria, et invenisse tantam codicum latinorum varietatem, ut paene tot essent exemplaria quot codices. Cum autem veritas non possit esse nisi una, certum est, in tanta varietate plurimos contineri errores. »

alicubi versionis latinae a vulgata in rebus huiusmodi minoribus multum diversae. Ita Psalterium vetustissimum, quod in non paucis differt a Psalterio vulgatae, retentum est in Ecclesia Vaticana S. Petri, in Ambrosiana, in sacello Mozarabico Toleti, et usque ad annum 1808 in Ecclesia S. Marci Venetiis (cf. Brunati dissert. Della Volg. n. 8.); Psalmus 94. (Venite exultemus) ex illa antiqua recensione quotidie in officio divino recitatur, et solum in festo Epiphaniae ex recensione vulgata (1); chronologia in annis patriarcharum iuxta LXX diversa ab ea, quam habet vulgata, conservata est in Martyrologio Romano, nec in eius correctione a Benedicto XIV. circa illam quidquam mutatum (cf. I. B. Branca de latinae vulg. auctoritate p. 541. Mediolani 1781.). Quis autem non videt, talem liturgicum usum textuum in rebus huiusmodi minutis etiam sensu discrepantium manifestissime demonstrare, Ecclesiam auctoritate sua neutros textus in huiusmodi rebus voluisse declarare certe conformes archetypo primitivo?

3tio. Apertissime patroni absolutae etiam in minimis authentiae supponunt multa miracula minime necessaria, et quae facta esse nullis probabilibus rationibus suadere possis. Unum ex his commemorasse satis est. Versio nostra vulgata in longe maxima parte librorum V. T. auctorem habet s. Hieronymum, estque immediate derivata ex textu hebraico, ut tempore s. Hieronymi exstabat, et consequenter in multis discrepans a versione latina vetustiori, quae facta erat ex graeco LXX. In quibusdam libris, in Psalmis, Baruch, Sap. Ecclesi. Mach. conservata est versio Hiero-

(1) Psalterium versum ex graeco iuxta recensionem, ut erat ante curas a s. Hieronymo impensas, adhibetur (paucis mutatis) in Ecclesia Ambrosiana et in sacello Toletano. Psalterium primis curis ab Hieronymo emendatum, quod dici solet *Romanum*, usui est Basilicae Vaticanae, olim erat etiam Basilicae S. Marci; ad idem pertinent Ps. 94. in nostro quotidiano *Matutino, Gradualia* et *Tractus*, *Antiphonae* ad Introitum, Offertorium, Communionem in Missa. Alterum denique ab Hieronymo secundis curis emendatum, quod *Gallicanum* appellatur, exstat in nostra editione vulgata. Psalterium autem versum ab eodem s. doctore ex textu hebraico publice receptum non est, sed exstat in editionibus eius Operum.

nymo vetustior. Psalmos licet verterit s. doctor ex hebraico, tamen Ecclesia non eius versionem adoptavit, sed ne aures populi offenderentur, retinuit interpretationem veterem ex graeco LXX, modice a s. Hieronymo secundis curis emendatam, et a versione ipsius Hieronymi non parum diversam. His positis ad asserendam plenam illam conformitatem affirmari debet, translationem s. Hieronymi perfecte in omnibus particulis respondisse textui primitivo in ceteris libris, solo excepto Psalterio; vicissim vetustiorem versionem quae eo usque fuerat in usu Ecclesiae, non fuisse saltem perfecte authenticam nisi in solo Psalterio et in iis libris, quos s. Hieronymus non attigit. Insuper consequitur, textum hebraicum aetate Hieronymi fuisse corruptum in solo Psalterio, in ceteris libris perfecte conformem archetypo; interpretes LXX non accurate libros ceteros, perfectissime Psalterium vertisse, vel certe eorum versionem solum in Psalterio perfectissimam et incorruptam ad vetustum interpretem latinum pervenisse. Haec omnia et alia plura quae supponi debent, nemini persuadebis sine manifestis argumentis; argumenta autem non solum nulla suppetunt quae haec demonstrent, sed suppetunt, quae ostendant has hypotheses esse falsas. Certe illi theologi si rem melius considerassent, vel adacti fuissent ad suam opinionem deserendam, vel debuissent affirmare, authentiam internam et libros inspiratos per declarationem Ecclesiae non solum manifestari sed etiam effici, quod quam falsum sit, alibi demonstravimus.

4°. Testes gravissimi qui ipsi interfuerant vel suppares erant Concilio Tridentino, et theologi paulo post Concilium magno numero consentiunt, eâ qua diximus, non autem strictiori significatione authentiam editionis vulgatae a Tridentinis PP. fuisse declaratam. Id manifestum imprimis est ex epistolis legatorum Romam scriptis, quas supra commemoravimus (cf. Pallavic. l. VI. c. 17. n. 15. 16.). Praeterea Card. Cervinus hoc idem theologo Concilii Andreae Vegae pridie quam firmaretur decretum, et postea non semel diserte testatus est, ut gravissimis verbis Cervino adhuc superstite scripsit Vega in opere dedicato Cardinali

Paceco, qui et ipse illius IV. sessionis magna pars fuerat (Vega de Iustificat. l. XV. c. 9.). Idem P. Ioanni Marianae significavit Iacobus Lainez postea Societatis Iesu Praepositus Generalis, qui iussu Pontificis Concilio adfuerat (Mariana de Editione vulgata c. 21. p. 101.). Consentiunt Salmeron (Opp. T. I. p. 24. 25. ed. Colon. 1602.), amplissime Didacus Payva de Andrada (Defens. Conc. Trid. l. IV. fol. 247. sqq.), alii multi quos nominant Bellarminus opusc. citato, Mariana l. c., Serarius (in Prolegom. Bibl.), Ioan. Bernardus de Rossi (de Causis neglectae linguae hebraicae c. 4.), Hodius describens ultra octoginta catholicorum theologorum conspirantes sententias (de antiquis Biblior. versionib. P. II. l. 3. c. 15.). Ex Scholasticis confer Dominicum Bañez in S. Th. 1. q. 1. a. 8; ex recentioribus Wirceburgenses T. I. c. 1. a. 4; Trivultianorum Ephemerides 1750. mense Iulio; 1753. mense Septembri et Octobri; Iosephum Brunati (opusculo supra citato, inter dissertationes biblicas ed. Mediolani 1838.).

5°. Argumenta enumerata nemo suspicabitur de editione tantum valere nondum emendata, nunc autem post correctionem iussu Pontificum institutam iam *vi decreti Tridentini* in singulis etiam minimis plenam conformitatem cum archetypo esse asserendam. Huiusmodi suspicio evidenter excluditur.

a) Argumenta nostra omnia ita sunt comparata, ut valeant etiam supposita emendatione.

b) Talem mirabilem conformitatem, quae nonnisi per inspirationem divinam et interpretis et theologorum a Pontifice ad corrigenda Biblia deputatorum constitui potuisset, profecto PP. Tridentini non prophetice praedixerunt; sed sicut vulgatam editionem theoretice declararunt et practice adhibuerunt tamquam authenticam etiam ante correctionem, ita desiderabant expurgationem mendorum, quantum fieri posset, ut uniformitas lectionis in Ecclesia constitueretur. Non ergo decreto Tridentino perfectissima illa emendatae editionis conformitas cum archetypo in antecessum declarata est.

c) Neque vero alia ulla exstat Pontificum declaratio, ex

qua talis authentia conformitatis in supremo gradu asseri deberet. Imo ex historia correctionis Bibliorum constat, ab ipsis viris gravissimis ad hoc negotium deputatis non solum tantam emendatae editionis perfectionem non fuisse agnitam, sed etiam plura, quae viderant corrigi potuisse, ob prudentes rationes consulto fuisse relicta. Id monetur in praefatione ad lectorem emendatae editioni praefixa, cuius auctor est Bellarminus certe mandato et consensu reliquorum ad opus correctionis deputatorum, atque ut res ipsa loquitur, etiam ipso summo Pontifice annuente. Ibi disertis verbis amovetur in primis praeiudicium, ac si haec vulgata editio post institutam emendationem iam necessario haberi deberet « omnibus numeris absoluta. » Deinde succincte redditur ratio methodi observatae in correctione, ubi duo dicuntur: non solos codices latinos editionis vulgatae fuisse adhibitos, sed etiam textus hebraici et graeci rationem habitam; tum vero in pervulgata lectione esse aliqua consulto mutata, « *alia quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta.* » Huius consilii tres causae adferuntur, α) *vitanda iuxta PP. monitum offensio populorum;* β) quod incertum nobis sit, *utrum vetusti interpretes non meliores codices hebraicos et graecos habuerint, quam nunc sint;* unde fit, ut aliquando non constet, utrum vetus latina interpretatio non melius referat textum originalem, quam textus ipse hebraicus et graecus in praesenti suo statu; γ) postremo quod scopus correctionis non erat novam cudere editionem respondentem scilicet in omnibus originali textui, « *sed ipsam veterem et vulgatam editionem latinam a mendis veterum librariorum nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam suae pristinae integritati ac puritati, quoad eius fieri potuit, restituere.* » Haec certe omnia clarissime enuntiant, emendationem non ita institutam esse aut institui potuisse, ut iam etiam in omnibus minutioribus verbis ac sententiis, quae ad fidem et morum regulam firmandam per se non pertinent, textui archetypo perfecte respondere vi decreti Tridentini ac subsecutae emendationis credi debeat.

In eandem sententiam correctione et editione iam a de-

cennio ad finem perducta scripsit Bellarminus anno 1603 ad Lucam Brugensem: « scias velim Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata; multa enim de industria iustis de causis pertransivimus, quae correctione indigere videbantur. » Et ut subdit Brugensis, « similia scripsit I. B. Bandinus praefectus typographiae Vaticanae litteris iussu Illmi Card. Baronii ad Moretum Romae datis pridie kal. Augusti 1604. »

d) Idem demonstratur ex modo, quo sequentes theologi et interpretes catholici sciente et annuente Ecclesia Scripturas tractare et explicare solebant. Huc faciunt, quae ad insigne opus variarum Lectionum editionis vulgatae summo Pontifici Pio IX. dicatum praefatur cl. P. Carolus Vercellone T. I. p. CVIII. « Interim lectorem rogamus, ut obiter animadvertat, singulas huius nostri operis paginas reipsa luculentissime retundere calumniam heterodoxorum, qui Romanam Ecclesiam errores librariorum tamquam veram lectionem ita comprobasse affirmant, ut iam nobis non liceat de vera versionis lectione sollicitos esse, sed quamvis lectionem, etiamsi a textu graeco et hebraico aberret, pro vera nobis agnoscendam esse (Mash Bibl. Sacr. vol. 3. p. 50.). Haec, inquimus, re ipsa nostro volumine satis superque refutantur. Neque enim nobis fas esset varias lectiones expendere, si catholica Ecclesia cui ex divina institutione Romanus Pontifex praeest, vel errores librariorum comprobasset vel quamlibet vulgati lectionem pro vera ita habendam iussisset, ut numquam vel minimus error ei subesse possit. »

Corollarium 1. Patet tum ex auctoritate qua correctio et editio est instituta, tum ex eius scopo qui inter reliqua etiam erat, ut uniformitas lectionis ecclesiasticae in omnibus et ubique servaretur, nemini fas esse in vulgatae editionis lectionibus quidquam mutare, nisi forte ipsius s. Sedis auctoritas aliquando tale aliquid fieri iuberet.

Ex eadem auctoritate et ex modo, quo facta est correctio et lectiones sunt in usum susceptae, aeque patet, vulgatae editionis lectiones ut nunc sunt, etiam in accidentalibus et minutis caute et prudenti reverentia esse tra-

ctandas, quamvis, ut iam Bellarminus indicavit Lucae Brugensi (1), laude digni sint viri docti, qui a scientia ceterisque praesidiis satis comparati suam conferunt operam ad genuinas lectiones in minutissimis quibusque explorandas et stabiliendas.

Si quando ipsi genuinae vulgatae lectioni in huiusmodi accidentalibus realis discrepantia a textu originali subesse certo demonstrari possit, non sane ideo « praetextu aliquo editio vulgata reiicitur, » quod prohibuit Concilium; sed sacri textus explicatio iuvatur et suppletur ex aliis praesidiis, quae suppetunt. Tiletanus qui inter theologos adfuerat Concilio, ita loquitur. « Non vetant Patres Tridentini, ut vetus et vulgata editio latina diligenter ab explanatoribus cum fontibus conferatur, et si quid certa ratione comperiatur cum fontibus non satis quadrare, id commodius ac magis proprie aut etiam magis vere explanare et transferre. Sed hoc solum est, quod synodus constituit, ut vetus et vulgata editio latina, quae per multa saecula cum reverentia et honore usitata est in omnibus Ecclesiis, nullo praetextu reiiciatur... Hoc est autem editionem aliquam reiicere, eam de suo loco quem obtinet, destituere et tamquam publico usu et honore indignam reiicere, aspernari et contemnere. Quod non est censendus facere, qui editionem in omnibus Ecclesiis receptam et multorum saeculorum usu approbatam et commendatam sic suscipit et veneratur, ut tamen eam ad fontem diligenter conferat; et ex fonte illustrat, quae obscura sunt, et explicat quae ambigua, aut denique etiam corrigit, ubi certo deprehenditur vel vitium aliquod irrepsisse vel interpretem Scripturae sensum non plene assecutum, nihil tamen temere aut mutat aut corrigit » (Iodocus Ravesteyn Tiletanus in Apologia pro Conc. Trid. 1568. T. I. fol. 99.).

Corollarium 2. Absurdi plane sunt, qui ut olim Anglicanus Thomas Iames (in libro inscripto « Bellum Papale »),

(1) « Tu ipse plane vides, scripsit Bellarminus Brugensi 1. Nov. 1606, non facile huiusmodi mutationes in sacro textu esse faciendas, quamvis utilissimum sit, ut viri docti tum de variis lectionibus tum de iudicio peritorum hominum tui similium admoneantur. »

contra infallibilitatem Pontificum argumentum deduci posse putant ex eo, quod editio vulgata iussu Sixti V. typis iam impressa iterum ad incudem revocata et iuxta canones criticos paulum mutatos correcta tandem in lucem prodiit iussu Clementis VIII. Ut enim omittamus reliqua, totum illud negotium diversitatis inter utramque recensionem nihil ad res fidei et morum pertinebat.

Corollarium 3. Authentia editionis vulgatae non est declarata in comparatione cum textibus hebraico et graeco nec cum antiquis versionibus, multoque minus ad excludendam auctoritatem horum textuum; sed declarata est in comparatione cum versionibus latinis, quae recentius ab haereticis plerumque hominibus procusae tum circumferebantur, ut constat ex verbis decreti, ex historia Concilii (Pallavic. l. VI. c. 15; c. 17. n. 5. 8.), ex testimonio theologorum qui interfuerunt Concilio, suntque iidem supra a nobis citati. Manserunt ergo illi textus et illae antiquae versiones in tota externa auctoritate, ut fuerant ante editum decretum, in quo de illis nullo modo agebatur. Porro licet nullo explicito Ecclesiae decreto declarata sit authentia textus hebraici in V. T. et textus graeci in N. T. ut nobis adhuc praesto sunt, de ea tamen certo constat non solum critice et historice, sed de authentia quoad rei summam etiam dogmatice. Ipsa enim authentia editionis vulgatae quae dogmatice declarata est, supponit authentiam textus hebraici et graeci, saltem ut in omnibus exemplaribus simul sumptis in Ecclesia Dei adhuc exstat et dignosci potest. Ad quam intimam connexionem cum vulgata accedit quoad textum graecum N. T. ipse multorum saeculorum publicus usus in Ecclesia inde ab aetate apostolica. Utrumque hoc argumentum suo modo valet etiam pro authentia versionis LXX. « Profecto, inquit Bellarminus in opusculo superius citato, valde male merentur de Ecclesia, qui tam insignem thesaurum illi eripiunt, quique de scriptis originalibus Apostolorum et Prophetarum tam contemptibiliter loquuntur, ut ea authentica esse negare non vereantur. » Animadvertendum nihilominus est, non eandem vigilantiam catholicae Romanae Ecclesiae, et ex

multis iam saeculis non eundem publicum usum ad textum graecum multoque minus ad textum hebraicum referri sicut ad versionem et editionem latinam, nec utrimque eundem esse *modum* declarationis ecclesiasticae, per quam ipsa authentia et praesertim extensio et gradus authentiae nobis proponitur et manifestatur.

Scholion. Decretum, quod velut a s. Congregatione Cardinalium Concilii Trid. interpretum die 17 Ianuarii 1576 sancitum circumfertur, Serarius Prolegom. c. 19. q. 11. memorat editum ab haereticis Francofurthi 1608; Leo Allatius in « Animadversionibus ad antiquitates Etruscas » numquam a se editis sed post ipsius obitum publicatis (Parisiis 1640) idem decretum n. 101. descripsit ex scheda reperta in bibliotheca Cardinalis Biscia. Dicitur autem ibi: « Congregatio generalis censuit, nihil posse asseverari, quod repugnet vulgatae latinae editioni, etiam quod esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, vel dictio sola, vel syllaba, iotave unum. » At iam Serarius l. c. suspicatus est illud supposititium; pluribus id contendunt Branca (de Vulg. T. I. p. 31) et Brunati (Dissert. della Volg. p. 79. 80.). « Aut commentitium est, inquit Branca, quod nullae nisi transalpinae editiones quaedam privata fide ex variis privatorum schedis collectae aliae aliter hocque etiam uno suspectae protulerunt, aut expers auctoritatis, quod ex alicuius e Cardinalibus eorumque anagnostis vel theologis parata scripto sententia, quale ego in rem hanc ipsam nonnihil olim in Ms. quodam vidi, fortasse excerptum, neque vel totius Concilii vel, ut opus est, summi Pontificis auctoritate firmatum. » Certe in Archivis Romanis ultimis his annis rogatu cuiusdam harum rerum studiosissimi scientissimique viri diligenter quaesitum, nuspiam hoc documentum repertum est. Ceterum si vere aliquando prodiit, intelligi debet prohibere, ne quid asseratur repugnans editioni vulgatae in rebus fidei et morum. Quod quidem responsum ante paucos annos (1. Aug. 1859) summo Pontifice per vivae vocis oraculum approbante datum est, cum ille idem vir doctus de decreti sensu, eius genuinitate supposita, s. Congregationem Concilii Trid. interpretum nterrogasset.

APPENDIX
DE HABITUDINE RATIONIS HUMANAE
AD DIVINAM FIDEM

Non est nobis propositum hoc loco in tota sua amplitudine tradere doctrinam de habitudine, quae sit inter scientiam mere rationalem ac naturalem et inter supernaturalem cognitionem fidei, quamvis de ea etiam necessario aliquid dicendum erit; sed scopus princeps est declarare ipsas rationis humanae per gratiam elevatae functiones in supernaturali cognitione fidei. In superiori duplici tractatu habuimus pro obiecto fidem *quae creditur*, eiusque fontes, organa, ac praesidia; hic appendicis instar subnectimus praecipua quaedam capita doctrinae de fide subiectiva *qua creditur,* eiusque internis principiis.

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS QUIBUSDAM PRAEVIIS.

I. *De veritate.*

1. Veritas definiri solet « assimilatio rei et intellectus. » Potest ergo veritas considerari in rebus sive obiectis, et in intellectu.

Veritas ut est in obiectis, est eorum habitudo ad intellectum quatenus, sicut sunt, cognosci possunt, seu est eorum *cognoscibilitas.* Quidquid habet rationem *entis,* prae aliquo intellectu est cognoscibile; et vicissim quidquid cognoscibile est, habet rationem entis. Tam late ergo patet haec veritas, quam ratio entis; unde ***ens et verum convertuntur.***

Quia ratio entis ac proinde entis habitudo ad intellectum transcendit omnes categorias, haec veritas dicitur ***transcendentalis.***

Quia cognoscibilitas non est formaliter sed tantum fundamentaliter assimilatio rei et intellectus, haec veritas etiam dicitur *fundamentalis*.

Veritas ut est in intellectu h. e. in actu intelligendi seu in cognitione, consistit in conformitate cognitionis cum obiecto seu cum veritate fundamentali. Haec conformitas est veritas *formalis*, quae in definitione initio posita declaratur.

2. Si cognoscens manifestat suam cognitionem, conformitas manifestationis cum cognitione est *veritas moralis* seu veracitas, quae magis pertinet ad voluntatem quam ad intellectum. Praesupposita veritate formali in intellectu, in manifestatione cognitionis est etiam conformitas cum obiecto. Haec conformitas manifestationis cum obiecto est *veritas manifestationis simpliciter*, quae oritur ex veritate formali in intellectu et ex veritate morali seu veracitate pertinente ad voluntatem.

3. Deus quatenus est *Esse* infinitum et necessarium (ὁ ὢν) infinite cognoscibile, a quo ut principio et fine essentialiter pendet omnis ratio entis, est *prima veritas fundamentalis*. Quatenus est intellectus infinitus identificatus cum infinita essentia et ideo substantialis intellectio veri infiniti atque in eo omnis veri, pariterque quatenus sub hac ratione infinitae intellectionis est exemplar, fons et origo omnis luminis intellectualis participati; Deus est substantialiter *prima veritas formalis*. Quatenus est ipsa rectitudo, norma, exemplar, principium et finis omnis rectitudinis; Deus est *prima veritas moralis*. Propterea omnis Dei manifestatio, omne verbum Dei est necessario verum veritate morali et *veritate manifestationis simpliciter dicta*. Deus est *veritas* (ἡ ἀλήθεια). Per appropriationem posset praedicari Pater prima veritas fundamentalis, Verbum prima veritas formalis, Spiritus Sanctus prima veritas rectitudinis seu sanctitatis. Vide tract. de Deo th. XXVIII. XXXVI. sqq.

Intellectus (1) creatus non est ipsa veritas; est tamen naturalis imago Dei, quatenus ex natura sua factus est ad

(1) Intellectum in hac tractatione non sumimus stricto illo sensu quo distinguitur a ratione, sed generalius tum pro facultate intellectuali et rationali, tum pro eadem facultate ut est in actu seu actu cognoscens.

veritatem, quam cognoscendo possidet, et per quam ex potentia (i. e. possibilitate et ordinatione ad ulteriorem connaturalem perfectionem) fit in actu (h. e. in sua propria perfectione). Veritas ergo est proprium bonum intellectus, eoque maius, quo veritas est nobilior; unde veritas suprema i. e. Deus obiective, et possessio Dei per cognitionem subiective est ultimus finis intellectus (1).

Corollarium 1. Veritas formalis quadamtenus est etiam in simplici obiecti apprehensione. Est enim apprehensio simplex conformis et quidem semper suo obiecto; unde simplex perceptio sive sensuum sive imaginationis sive intellectus nulla potest esse in se falsa, quamvis praebere possit occasionem falsi iudicii. Quia tamen huiusmodi simplex repraesentatio est potius inchoatio et elementum cognitionis humanae quam cognitio, quae demum per iudicium completur; ideo aliquando dicitur in simplici perceptione nec veritas esse nec falsitas. Cognitio itaque sensu magis proprio in praesenti nostra conditione perficitur per compositionem et divisionem seu per iudicium, dum unum conceptum comparamus cum altero, et sic unum cum altero convenire vel non convenire iudicamus. In iudicio potest esse conformitas vel difformitas intellectus cum obiecto, i. e. potest esse veritas formalis aut falsitas. Haec igitur iudicii conformitas magis proprie quam conformitas simplicis perceptionis est et dicitur veritas formalis. « Intellectus nostri, inquit s. Thomas, duplex est operatio. Una qua format simplices rerum quidditates, ut quid est (το τι ἡν ἐιναι) homo, vel quid est animal; in qua quidem operatione non invenitur verum per se nec falsum, sicut nec in vocibus incomplexis. Alia operatio intellectus est, secundum quam componit et dividit affirmando et negando, et in hac iam invenitur verum et falsum sicut et in voce complexa (enuntiatione seu sententia), quae est eius signum » S. Th. de Veritat. q. 14. a. 1. Θ.

(1) Per se patet, hic solum in confuso sermonem esse de ultimo fine. In praesenti ordine elevationis finis ultimus nobis praestitutus est supernaturalis, excedens scilicet sicut exigentias ita vires omnes intellectus creati, possessio Dei per visionem intuitivam. De hac visione agimus in tract. de Deo sect. II. cap. II.

Corollarium 2. Veritas in rebus, ut diximus, est earum habitudo ad intellectum; unde patet, quae possit et quae non possit rebus subesse falsitas. In ordine ad ideas divinas et ad divinum intellectum practicum veritas rerum est earum conformitas cum intellectu divino, qui (ut practicus) vel efficiens est vel praecipiens. Repugnat difformitas ab ideis divinis effectricibus (λογοι οὐσιοποιοι Dionys. div. nomin. c. 5. n. 8). Sed supposita libera voluntate creata potest esse in ordine morali difformitas a ratione divina praecipiente et a divina norma rectitudinis. Unde omne peccatum in Scripturis dicitur *mendacium*. In ordine ad ideas intellectus creati etiam practici potest esse et saepe est difformitas in rebus ab illo practico intellectu pendentibus. In ordine ad intellectum speculativum sive divinum sive humanum nulla potest rebus ipsis subesse falsitas proprie dicta, quamvis possint esse occasio falsitatis in intellectu creato. In ordine ad intellectum divinum id, quod dicimus, per se patet; est enim intimâ essentiâ et perfectione suâ determinatus ad comprehendendum omne verum. In ordine etiam ad intellectum creatum facile intelligitur, quod affirmavimus. Veritas enim in rebus est entis cognoscibilitas, cui falsitas non *contradictorie* sed *contrarie* opponitur. Negatio ergo cognoscibilitatis nondum esset falsitas; deinde haec ipsa negatio non est in obiecto, sed est ex imperfectione intellectus creati; ens enim in se tantum est cognoscibile, quantum ens est. Falsitas autem *contraria* veritati esset talis ex ipsa entis naturâ habitudo, ut ab intellectu recte cognoscente eliceret iudicium falsum; hoc autem est evidenter absurdum. Nulla ergo in rebus secundum habitudinem ad intellectum speculativum potest esse falsitas. Possunt tamen esse et sunt multae res ita comparatae, ut intellectui imperfecto facile et frequenter occasionem praebeant eis tribuendi praedicata, quae reapse non competant, aut vicissim negandi quae competant. Illa quibus alia et praesertim nobiliora praedicata quam conveniant, tribuuntur, si facile praebeant occasionem ita errandi, a scientibus denominantur eo praedicato ut *falso;* quod ab errantibus eis tribuitur ut verum: falsi dii, falsi amici, falsa virtus, falsum aurum.

II. *De assensu, certitudine, evidentia.*

1. *Assensus* est adhaesio seu *conquiescentia mentis* in obiecto iudicii tamquam vero. In simplici apprehensione nullus est assensus.

Assensus proprie est facultatis intellectivae; conquiescentia autem voluntatis in suo obiecto quod est *bonum,* dicitur potius *consensus,* quia voluntas ad inhaerendum suo obiecto praerequirit aliquam propositionem obiecti per iudicium intellectus, ut ipsa quasi *sentiat cum illo.* « Voluntas, inquit s. Thomas, respicit aliquam praecedentem potentiam scilicet intellectum, non autem intellectus; et ideo *assentire* proprie pertinet ad intellectum, quia importat absolutam adhaerentiam ei cui assentitur; sed *consentire* est proprie voluntatis, quia consentire est simul cum alio sentire, et sic dicitur in ordine vel per comparationem ad aliquid praecedens » S. Th. Veritat. q. 14. a. 1. ad 3.

2. *Certitudo obiectiva* rei est ipsa veritas rei manifestata iis rationibus, quae postulent firmum assensum; seu aliis verbis: certitudo obiectiva est dignitas rationum postulans firmum assensum absque formidine erroris.

Unde *certitudo subiectiva simpliciter dicta* erit firmitas assensus absque formidine erroris respondens obiectivae dignitati rationum, quibus veritas menti manifestatur (1).

(1) Dignitas rationum postulans assensum intellectus habet suos gradus superiores et inferiores, quod maxime attendendum est, ubi ratio assentiendi non est veritas *intrinsecus* manifestata et perspecta, sed auctoritas *extrinsecus* manifestans. Hinc sicut sunt gradus in *certitudine obiectiva,* ita his respondeant necesse est gradus in *certitudine subiectiva* seu in firmitate assensus. Ad veritatem igitur perfectam assensus requiritur, ut gradus firmitatis eius respondeat gradui dignitatis rationum, ut nimirum nec maior sit nec minor firmitas assensus, quam postulet dignitas rationum, relata non modo ad intellectum sed etiam ad voluntatem (cf. Propos. XIX. inter damnatas 2 Martii 1679.). Unde porro duo consequuntur magni momenti corollaria. *a*) Ubi ratio assensus est auctoritas Dei revelantis veritatem, firmitas assensus debet esse *super omnia,* quod fieri nequit nisi ex inclinatione seu (ut dici solet) ex imperio voluntatis et ex elevatione ac viribus gratiae, de qua re alibi sermo

Certitudo mere subiectiva autem poterit forte dici firmitas assensus absque formidine erroris, praescindendo a dignitate rationum (motivorum), quae assensum postulent.

Ex his intelligitur repugnantia, ut assensui *simpliciter certo* subsit error. Si enim obiectiva et realiter exstans dignitas rationum manifestata intellectui postulat firmum assensum mentis, et mens assentiens secundum dignitatem rationum adhuc falleretur, falsitas inesset ipsis rebus, quod paulo ante vidimus repugnare. Profecto enim in illa hypothesi res ipsae eam haberent habitudinem ad intellectum, ut ipsâ illâ sui manifestatione, qua sunt cognoscibiles tamquam verae, postularent falsum iudicium intellectus. Vicissim intellectus operans secundum ordinem veritatis ad ipsum et secundum naturam suam, qua factus est ad veritatem, falleretur in ipso fine suae naturae, amplectens errorem pro veritate; nec iam ad veritatem sed ipsâ facultate cognoscendi verum ad errorem ordinatus esset, sicque non imago Dei esset sed metaphysica contradictio.

Hinc certitudo etiam dici solet *necessarius nexus iudicii*

recurret. *b)* Ubi ratio assensus est auctoritas non infallibilis, digna tamen assensu in relatione tum ad intellectum tum ad voluntatem, fieri potest, ut firmitas assensus ex imperio voluntatis respondeat dignitati rationum h. e. auctoritatis re ipsa existenti, atque adeo sit simpliciter *certitudo* licet solum in gradu inferiori, qui respondet gradui inferiori auctoritatis; *veritas* autem in iudicio h. e. adaequatio intellectus cum suo obiecto manifestato sit solum *secundum praesentem manifestationem*, non autem secundum omnem manifestationem possibilem. Hoc ipso ibi semper est veritas *in iudicio reflexo,* licet aliquando forte non sit veritas *in iudicio directo;* seu exactius loquendo, veritas ibi semper est in iudicio, in quo mens proprie acquiescit; de eo autem, quod supponitur esse falsum, mens proprie non iudicat. Sic in ordine naturali dignitas rationum hic et nunc existentium potest esse talis, ut ex iustitia tenear credere homini affirmanti. Iudicium meum respondens dignitati rationum solummodo est, rem affirmatam esse tenendam ut veram secundum praesentem rei manifestationem, et in hoc non erratur, etiamsi res affirmata forte non sit in se vera; neque enim exigitur aut fertur iudicium, rem absolute et infallibiliter esse in se veram. In ordine supernaturali haec doctrina suo modo applicationem habet in iis, quae alibi diximus de obedientia intellectus erga auctoritatem *providentiae doctrinalis,* cum doctrinam aliquam proponit tenendam vel proscribit non tenendam, quin eam definiat ut infallibiliter veram aut falsam (in tract. de Tradit.p.127.sqq.).

cum veritate. Videlicet intellectus reflexe certitudinem cognoscit, quatenus videt necessarium nexum sui iudicii cum veritate; hoc autem ipsum ideo videt, quia cognoscit dignitatem obiectivam rationum exigere firmum assensum prae quovis intellectu.

3. *Evidentia obiectiva* est ipsa cognoscibilitas obiecti sese manifestans intellectui ea claritate, ut assensum per se et necessario determinet. Quamvis evidentia (ἐναργεια) ab auctoribus classicis forte solum dicta sit ista claritas obiectiva, et *evidens* solum obiectum cognitionis; a posterioribus tamen etiam evidens (quasi videns) cognitio, et evidentia (quasi videntia) in intellectu esse dicitur.

Evidentia itaque subiectiva est ipsa claritas intellectionis cum necessitate assensus respondens evidentiae obiectivae.

4. Iam his positis possumus declarare *originem* certitudinis subiectivae. Aio certitudinem simpliciter dictam quae sola est vera certitudo, nasci dupliciter: naturaliter quidem ex modo, quo dignitas rationum menti se manifestat; supernaturaliter etiam ex modo speciali, quo mens tendit in veritatem seu assentitur veritati.

Modum priorem ita declaramus. Potest certitudo generari naturaliter ex evidentia veritatis, et etiam citra evidentiam veritatis ipsius quae certa redditur. Sane dignitas rationum (motivum formale) postulans firmum assensum potest intellectui manifestari dupliciter, *a*) ita ut claritas manifestationis per se determinet et rapiat assensum in ipsam veritatem, quae rationibus manifestatur; ac proinde veritas manifestata menti sit *evidens,* quo ipsa possibilitas formidinis sive prudentis sive imprudentis excluditur. *b*) Potest manifestatio talis esse, ut prae quovis intellectu dignitas rationum postulet firmum assensum, non tamen rapiat assensum in veritatem manifestatam, eo quod excludit quidem possibilitatem *prudentis* formidinis de errore, non tamen formidinis *imprudentis.* Hac in hypothesi manet ergo intellectus ex sese indeterminatus inter firmum assensum veritati praestandum respondentem cognitae dignitati rationum et inter negationem talis assensus. Determinatio autem

facultatis ex sese non determinatae ad unum pertinet ad voluntatem. Voluntas habet motivum sufficientissimum, ut inclinet intellectum ad firmum assensum et excludat formidinem imprudentem seu, quod dici solet, ut imperet assensum firmum intellectus. Habet inquam voluntas motivum sufficientissimum ad imperandum firmum assensum in eo ipso, quod intellectus ei exhibet dignitatem rationum, quae postulet firmitatem assensus; hoc vero bonum recti ordinis insuper habet saepe coniuncta bona alia efficacissima ad movendam voluntatem (1). Voluntas autem manet libera ad imperandum vel non imperandum assensum, quia ab intellectu non ei proponitur consensus ut bonum absolutum clare cognitum. Quod si ergo voluntas inclinat intellectum non ad firmum assensum postulatum a dignitate rationum seu motivi formalis, sed ob bonum aliquod apparens potius ad negandum assensum; ordo intellectus ad veritatem ut suum finem et rectus ordo voluntatis ad bonum violatur levius vel gravius, quando nempe et quantum veritas proposita et motiva manifestantia inducunt officium assentiendi maioris vel minoris gravitatis ac necessitatis. Ex his denuo intelligitur, quod iam supra dixi, firmum assensum respondentem obiectivae dignitati rationum quamvis libere praestitum habere nexum necessarium cum veritate, atque adeo esse assensum *simpliciter certum*.

Porro ex dictis intelligitur, omnem cognitionem evidentem esse etiam certam, non tamen omnem cognitionem certam esse necessario evidentem. Latius igitur patet certitudo quam evidentia veritatis. Nihilominus in omni cognitione quae ex ipso modo manifestationis rationum certa sit,

(1) Hoc tantum sibi vult s. Thomas, cum ait: « quandoque intellectus determinatur per voluntatem, quae eligit assentire uni parti determinate et praecise propter aliquid sufficiens ad movendum voluntatem non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire... Sic etiam movemur ad credendum dictis in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium aeternae vitae; et hoc praemio movetur voluntas ad assentiendum his, quae dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum » S. Th. Verit. q. 14. a. 1. O. cf. 3. dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 1; et 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2; q. 2. a. 9. ad 3.

necessario adest aliqua evidentia, videlicet evidentia dignitatis rationum.

5. Dixi altero loco, certitudinem supernaturaliter posse oriri ex ipso modo, quo tendit intellectus in obiectum. Hoc autem non est ita intelligendum, ac si assensus supernaturalis non posset esse et per sese deberet esse certus obiective ex modo etiam manifestationis, qua vel veritas in se evidens sit intellectui supernaturaliter elevato vel evidens sit dignitas rationum postulans firmitatem assensus, quorum unum aut alterum diximus esse semper necessarium ad certitudinem naturalem. Sed aio, supernaturalem certitudinem h. e. nexum necessarium cognitionis cum veritate oriri ex modo supernaturali, quo mens supernaturaliter elevata tendit in obiectum, etiamsi dignitas rationum non eo modo esset manifestata, ut *prae quovis intellectu* postularet firmum assensum. Hoc ita declaramus.

Ex dignitate rationum manifestata quae postulet firmum assensum, et ex firmitate assensus respondente dignitati rationum constituitur *certitudo simpliciter dicta,* quia talis assensus nexum habet necessarium cum veritate, nec umquam ei potest subesse error. At hoc verum est, si dignitas rationum manifestata excludat absolute et prae quovis intellectu possibilitatem formidinis prudentis, ac postulet firmitatem assensus. Si autem manifestatio talis sit, ut non prae quovis intellectu, sed solum prae aliquo intellectu et quasi per accidens excludat formidinem prudentem; sane talis assensus non habet necessarium nexum cum veritate, nec repugnat subesse errorem, quamdiu actus assensionis elicitur viribus naturalibus intellectus. At si actus subiectivus assensionis procedat ab interno principio supernaturali, et ideo ex natura sua elici numquam possit supposito errore, sed solum adhaerendo veritati; profecto talis assensus intrinsecus et ex sua natura habet nexum necessarium cum veritate; et si talis assensus existat, prorsus repugnat ei subesse errorem.

Unde firmus assensus supernaturalis respondens dignitati motivi ita manifestati, ut prae hoc determinato intellectu licet non prae quovis intellectu excludat formidinem

prudentem, est *simpliciter certus;* non tamen in iisdem adiunctis assensus naturalis esset *certus simpliciter*. Ratio discriminis est, quia firmus assensus naturalis non ex natura sua excludit possibilitatem erroris, sed solum quatenus eius firmitas respondet manifestationi motivorum, quae evidenter et prae quovis intellectu excludit formidinem prudentem; assensus autem supernaturalis ex sua ipsa natura excludit possibilitatem erroris, etiamsi manifestatio motivi per accidens ita sit comparata, ut non prae quovis sed tamen prae hoc determinato intellectu excludat formidinem prudentem. Supplet igitur supernaturalis modus actus, quod per accidens deest modo obiectivae manifestationis ad constituendam *certitudinem simpliciter*. Cur autem postuletur manifestatio excludens formidinem *prudentem* prae hoc saltem determinato intellectu, facile patet. Neque enim assensus imprudens posset esse supernaturalis.

Nondum agimus de fide supernaturali; sed quoniam haec omnia per se spectant ad declarationem ipsius actus fidei, nec ullum aliud exemplum suppetit talis supernaturalis assensus, principia exposita applicamus ad actum fidei, ut in concreto considerata facilius intelligantur. Sine dubio motivum fidei, auctoritas scilicet Dei et locutio Dei, sive auctoritas Dei has veritates determinatas revelantis, per se manifestatum est et potest in Ecclesia catholica facile applicari singulis credentibus ita, ut prae quovis intellectu modus ipse manifestationis excludat possibilitatem formidinis prudentis; atque ideo *dignitas rationum* postulans respondentem firmissimum assensum est simpliciter evidens. Nihilominus pro rudibus obiectiva manifestatio aliquando ita se habet, ut non prae quovis intellectu sed tamen prae illis excludat formidinem prudentem. Tum vero *non ex modo manifestationis* repugnat, ut sub tali modo posset etiam proponi error; repugnat tamen error in actu fidei, quae est virtus theologica, *ex ipsa propria ratione assensus supernaturalis.*

« Assensus fidei, ait Card. de Lugo, habet certitudinem et infallibilitatem imprimis a suo principio (quo elicitur), quod cum sit habitus supernaturalis vel auxilium supplens

pro habitu, exigit concursum Dei *ad solos assensus veros*. Deinde habet infallibilitatem ex obiecto formali saltem proximo, quod diximus esse revelationem Dei mediatam adaequate sumptam... cum non minus repugnet Deum decipere per alios quam per se immediate. Loquendo vero de propositione parochi exempli gratia, illa quidem licet secundum se non habeat infallibilem connexionem cum veritate rei revelatae, adhuc dici posset, quod prout attingitur ab assensu fidei, habet infallibilitatem. Nam licet parochus possit proponere falsum, fides (habitualis) tamen exigit non concurrere ad suum assensum, nisi quando parochus proponit revelationem veram, et hoc sufficit ad infallibilitatem fidei » Lugo de Fide disp. I. sect. 8. n. 171. Eodem pertinet, quod ait idem Cardinalis disp. VI. sect. 1. n. 21. « Adverte, inquit, nec etiam requiri ad assensum certum, quod obiectum taliter proponatur, ut iudicari prudenter possit, non posse sub tali motivorum gradu proponi aliquid falsum; nam hoc iudicium plerumque in rusticis ante assensum fidei esset falsum, siquidem aliquando cum aequalibus motivis proponitur eis aliquid falsum tamquam pertinens ad fidem... Unde id requiri diximus et sufficere, quod proponatur obiectum taliter, ut iudicari evidenter possit *repugnantia hic et nunc cum prudenti dubitatione,* quod iudicium etiam in rustico datur ante actum fidei;... nam evidens ei est, taliter proponi obiectum credendum, ut hic et nunc ipsemet non possit prudenter dissentire vel dubitare de veritate obiecti. »

Corollarium 1. Non omnis assensus praestitus absque formidine erroris est assensus *simpliciter certus.*

Corollarium 2. Licet certitudo *negative spectata,* quatenus est exclusio formidinis actualis, non habeat gradus diversos; possunt tamen spectatis elementis *positivis* esse diversi gradus tum certitudinis obiectivae quoad dignitatem rationum, tum certitudinis subiectivae quoad firmitatem adhaesionis. Non ergo excluditur comparatio inter certitudinem maiorem et inferiorem, quae ceteroquin penes theologos communis est.

CAPUT II.

DE DISCRIMINE RATIONIS FORMALIS IN SCIENTIA ET IN FIDE UNIVERSIM SPECTATA.

Ut verum (veritas fundamentalis i. e. obiectum ipsum) cognoscatur, rationes eius intellectui sese manifestent oportet ac velut illucescant.

Rationes quibus veritas sese manifestat intellectui, dicuntur cognitionis *obiectum formale sub quo*. Sunt autem illae rationes vel *internae* vel *externae*. Rationes manifestantes internae iterum vel identificantur cum veritate manifestata, atque ita ea se manifestat per se ipsam; vel sunt veritates aliae praecognitae, per quas veritas cognoscenda in illis inclusa manifestatur. Est ergo omnino generice loquendo triplex modus diversus, quo veritas nostro intellectui manifestatur; huicque modo diverso manifestationis respondet triplex modus diversus cognitionis, *intellectio* specifice dicta quae est *immediata* cognitio veritatis in se ipsa; *scientia* quae est rationalis cognitio veritatis per rationes internas praecognitas; *fides* quae generatim est cognitio veritatis per rationem externam auctoritatis.

I. *De veritatibus per se notis.*

1. Ratio interna in nonnullis veritatibus lucet immediate ex ipsis terminis perceptis. Sunt nimirum veritates, in quibus vel omnis intellectus sui compos vel saltem paulo excultior comprehensionem notarum in una et altera idea, quae comparantur suntque termini iudicii ac propositionis, facili intuitu percipit sufficienter, ut ex ipsa percepta notione immediate ei evidens sit earum convenientia vel discrepantia. Cuivis intellectui hoc modo evidentia sunt illa vera, quorum elementa sunt ideae universalissimae et ideo comprehensione notarum simplicissimae, quas primo format intellectus exiens in actum. Haec sunt prima principia, ex quibus intellectus ad alia intelligenda progreditur. Unde apparet, cur nobis sit principium simpliciter primum (in ordine logico) illud,

« non posse idem simul esse et non esse. » In idea scilicet *entis*, quam intellectus omnium primam format, istud principium fundatur, et ex ea immediate intelligitur; in ipso autem fundantur omnes cognitiones subsequentes. Omnes enim conceptus subsequentes formantur ex additione ad *ens* universalissime et ideo abstractissime acceptum, non quidem ex additione alicuius quod sit extra rationem entis, extra quam nihil est, sed per expressiorem conceptionem modorum qui afficiunt omne ens (res, unum, aliquid, verum, bonum), vel per conceptionem graduum entis, secundum quos sunt diversa rerum genera. Vide S. Th. de Verit. q. 1. a. 1. Θ.

Quia lumen intellectus seu vis intellectualis nobis congenita huiusmodi fundamentales conceptus et prima principia connaturaliter format sine studio et cultura disciplinae, quam primum sese exserit in proprios suos actus, et quia tota activitas subsequens intellectui connaturalis ex illis primis principiis progreditur; ideo illa dicuntur principia nobis innata. « Praeexistunt in nobis quaedam scientiarum semina, scilicet primae conceptiones intellectus, quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur per species a sensibilibus abstractas, sive sint complexa ut dignitates (ἀξιωματα seu principia), sive incomplexa ut ratio *entis, unius* et huiusmodi, quae statim intellectus apprehendit. Ex istis autem principiis universalibus omnia principia sequuntur sicut ex quibusdam rationibus seminalibus» S. Th. de Verit. q. 11. (de Magistro) a. 1. cf. q. 10. a. 6.

2. Aliquando ideae conferendae seu termini iudicii et propositionis non a quovis intellectu qui sui compos sit, sed solum ab intellectu iam pluribus notionibus praeformato et exculto sufficienter percipiuntur secundum suas notas, ut ex ipsis terminis perceptis convenientia vel discrepantia earundem evidenter intelligatur. Huiusmodi veritates non omnibus sed solum doctioribus immediate evidentes multae sunt in omnibus disciplinis.

Utramque classem veritatum quae sunt per se notae, declarat s. Thomas. « Sicut dicit Boëthius, quaedam sunt dignitates (ἀξιωματα) vel propositiones per se notae communiter omnibus, et huiusmodi sunt illae propositiones, quarum

termini sunt omnibus noti... Quaedam vero propositiones sunt per se notae solis sapientibus, qui terminos propositionum intelligunt, quid significent... In his autem quae in apprehensionem hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primum cadit in apprehensionem, est ens cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit; et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur super rationem entis et non entis, et super hoc principio omnia alia fundantur » S. Th. 1. 2. q. 94. a. 2.

3. In veritatibus quae ex ipsis terminis perceptis intelliguntur, seu quae sunt *per se notae, obiectum materiale* (quod manifestatur intellectui et quod cognoscitur) est etiam *obiectum formale* (sub quo illud manifestatur et cognoscitur); recte ergo dicuntur veritates *cognitae se ipsis*. Nihilominus tamen etiam in his *obiectum materiale* et *formale* potest ratione et consideratione mentis distingui.

Cognitio veritatis per sese manifestatae seu per se notae, ut patet, est *cognitio immediata,* haecque a veteribus specifice dicitur *intellectio* seu *intellectus* in distinctione a *scientia* (de qua mox); unde aiunt: *intellectus est principiorum*. Hinc etiam facultas mentis seu mens ipsa quatenus refertur ad intuitionem veritatis per se notae, dicitur *intellectus* ad distinctionem a *ratione,* quae refertur ad *scientiam* veritatum cognitarum ex aliis ut ex principiis.

Corollarium. Quando simpliciter et sine addito loquimur de veritatibus *per se notis,* significamus veritates per se notas *quoad nostrum intellectum* humanum. Quoad se ipsas omnes veritates necessariae essent *per se notae;* sufficienter enim intellecta quidditate terminorum, eo ipso intelligeretur eorundem convenientia vel discrepantia. Sed quando humanus intellectus quidditatem terminorum non satis penetrat, inde fit, ut neque convenientiam et discrepantiam ex ipsis terminis possit intelligere; atque ita huiusmodi veritates *quoad nos* non sunt per se notae. S. Th. de Verit. q. 10. a. 12.

II. *De veritatibus cognitis per alias.*

1. In ordine ontologico exstat connexio, dependentia, et relatio entium inter se. Generalissima significatione nominum possumus pro re praesenti revocare omnes relationes ad connexionem causae ac principii cum effectu et principiato. Unde etiam in ordine cognitionis veritates, seu entia quatenus cognoscibilia, mutuo nectuntur, ut a cognita veritate una ad cognitionem alterius mens humana progredi possit. Causa enim secundum suam perfectionem spectata continet in se effectum saltem in potentia, et quatenus est causa univoca h. e. operans secundum perfectionem naturae ad producendum effectum homogeneum et eiusdem rationis cum ipsa, eius perfectio determinat simpliciter perfectionem effectus; quando vero est causa aequivoca h. e. non agens secundum totam perfectionem virtutis et producens effectum heterogeneum ac diversae rationis a se ipsa, eius perfectio quadamtenus determinat perfectionem effectus. Porro causa necessaria, et causa quatenus est in actu quamvis non necessario agens, nectitur cum existentia effectus; causa vero in potentia et non necessario agens cohaeret cum possibilitate effectus. Vicissim perfectio effectus nectitur cum perfectione causae, et effectus existens cum existentia causae ac seriei causarum usque ad primam, quae non habet causam. Hinc in ordine cognitionis potest effectus cognosci ita, ut intelligatur eius nexus et relatio ad causam, et supposito hoc nexu ex cognita natura et perfectione effectus cognoscatur perfectio causae, quantum haec ex illo nexu et ex perfectione effectus manifestatur; vicissim et causa potest in sua perfectione et formali ratione ita cognosci, ut cognoscatur eius nexus cum effectu, et ex eius perfectione et actione cognoscatur propria ratio et perfectio effectus. Quod dicimus de causa efficiente, suo modo valet de causa formali in ordine ad ea quae ab ipsa pendent, et de causa finali in ordine ad ea, quae sunt ad finem, et generatim de quavis relatione principii ad principiatum.

Dum ratio humana ex eo, quod est solum in cognitione prius sed ontologice posterius, cognoscit illud quod est ontologice prius et solum in cognitione posterius, dicitur cognitio *a posteriori*. Cognitio *a priori* descendit ab eo, quod tum in *esse* tum in cognitione prius est, ad cognitionem posterioris.

Quatenus causa seu principium est medium, *ex quo* cognoscitur effectus seu principiatum vel vice versa; in summa quatenus una veritas est obiectum formale, *sub quo* manifestatur et cognoscitur altera, cognitio est *mediata*. Facultas autem mentis quatenus pertingit ex una vel pluribus veritatibus cognitis ad alias cognoscendas, specifice *ratio* vocatur saltem apud scriptores ante hanc nostram aetatem, ut iam supra dictum est. Cf. S. Th. 1. q. 79. a. 8.

2. Cognitio eorum quae pendent ab aliis tamquam causis et principiis in ordine ontologico, numquam est perfecta nec menti cognoscenti plene satisfactum est, nisi cognoscantur ex ipsis suis causis et principiis. Tum vero non iam solum causae et veritates quae sunt cognoscendi *medium in quo,* ut vocant, sed ipsi effectus et veritates ex principiis intellectae cognoscuntur *in se ipsis* et secundum *intestinam suam rationem*. Quo vero altiores causae usque ad supremam cognoscuntur, et quo plenius ex ipsis cognoscuntur dependentes effectus et consequentia, eo perfectior est cognitio.

Cognitio ex causis a veteribus proprie dicitur *scientia*. Haec si sit scientia ex causis altissimis, ex quibus pendent omnes ordines scibilium, adeoque si sit scientia ex eminenti universalitate principiorum, quae sub se velut norma continent principia inferiora particularium scientiarum, nomen habet *sapientiae*.

« Verum est dupliciter considerabile, ait s. Thomas, uno modo sicut per se notum, alio modo sicut per aliud notum. Quod autem est per se notum, se habet ut principium et percipitur statim ab intellectu, et ideo habitus perficiens intellectum ad huiusmodi veri considerationem vocatur *intellectus,* qui est habitus principiorum. Verum autem quod est per aliud notum, non statim percipitur ab intellectu

sed per inquisitionem *rationis,* et se habet in ratione termini. Quod quidem potest esse dupliciter; uno modo ut sit ultimum in aliquo genere, alio modo ut sit ultimum respectu totius cognitionis humanae. Et quia ea quae sunt posterius nota quoad nos, sunt priora et magis nota secundum naturam... ideo id quod est ultimum respectu totius cognitionis humanae, est id quod est primum et maxime cognoscibile secundum naturam. Et circa huiusmodi est *sapientia,* quae considerat altissimas causas... Ad id vero quod est ultimum in hoc vel illo genere cognoscibilium, perficit intellectum *scientia;* et ideo secundum diversa genera scibilium sunt diversi habitus scientiarum, cum tamen *sapientia* non sit nisi una » S. Th. 1. 2. q. 57. a. 2.

Advertes ex his obiter, quomodo Deus etiam hoc sensu sit *ipsa sapientia* (ἡ ἀυτοσοφια), quatenus nimirum in sua essentia ut in suprema ratione intuetur totam amplitudinem, omnes ordines, et omnes relationes cognoscibilium. Omnis vero creata sapientia est divinae illius quaedam assimilatio et participatio (vide Lessium de Perfection. divin. l. IV.). In Deo non est sicut in nobis *sapientia rationis* progredientis ab intellectis causis ad intelligendum effectus et quidquid a causis et principiis pendet; sed est *sapientia intellectus* omnia intuentis in sua ipsius essentia ut repraesentatione omnis veri; non autem intuentis solum ut est omne verum in divina essentia tamquam in suprema ratione, sed etiam ut est in se ipso (cf. tract. de Deo th. XXXVI–XXXIX.).

3. Omnes illi qui assumunt, modum nostrae cognitionis esse perfectissimum, et eius ordinem inde a primis suis initiis respondere ordini ontologico cognoscibilium, eo ipso etiam statuunt, primam inchoationem ac progressum cognitionis nostrae incipere ab immediata intuitione *entis absoluti,* quod est suprema causa et ratio omnium cognoscibilium; et consequenter sub ratione et per ideam *entis absoluti* omnium primam cognosci a nobis, quidquid cognoscimus. Cum vero ex una parte *ens absolutum* immediate in se intellectu conspici non possit, quin propter ipsam suam simplicitatem conspiciatur secundum omnem perfectionem ut

in se est (tract. de Deo th. XVII.), et cum ex altera parte prorsus evidens sit, illam rationem entis quam primum cognoscimus, ex qua progredimur ad omnes gradus entis cognoscendos, et sub qua omnia cognoscimus, esse *ens abstractum universale;* sane periculum imminet, ne ens absolutum intensione perfectionis infinitum, unum ac singulare, et eminens super totam rationem entis, quam nos naturaliter immediate in se ipsa cognoscere possumus, confundatur cum ente universali, intensione perfectionis omnium quae cogitari possunt minimo, utpote quod abstractissimum unica constet nota (tract. de Deo th. XXIV.). Cf. Concil. Vatican. Constit. de Fide cap. 1. can. 3. 4.

Modus itaque nostrae rationalis cognitionis non ita habet, ut ab altissima causa incipiat et ex ea progrediatur ad intelligenda cetera, quae ab illa causa suprema pendent; sed imo quae sunt ontologice posteriora, sunt priora in cognitione nostra. Ex phaenomenis et operationibus primum intelligimus substantiam eis substantem, ex effectibus causam, ex sensibilibus incipit progressus cognitionis ad supersensibilia, ex inferioribus ad superiora quadamtenus intelligenda. Maxime vero ipsam primam causam non nisi a posteriori, quatenus in effectibus et in omnibus ab ipsa pendentibus sese manifestat, possumus naturali lumine rationis cognoscere. Ex cognita realitate *posterioris,* possumus cognoscere realitatem *prioris,* ex existentia effectus existentiam causae; perfectio autem et *quidditas* causae ex effectu eatenus solum cognoscitur, quatenus perfectio actionis transeuntis seu effectus eam manifestat. Ubi ergo effectus est aequivocus h. e. alterius plane rationis, ac est essentia causae, cognitio causae ex effectu, *quid illa sit,* non potest esse nisi imperfecta concludendo ex perfectionibus praecognitis effectus vel actionis ad perfectiones analogas sed eminentes ipsius causae (tract. de Deo th. X. sqq.). Insuper effectus ipsi et ea quae a causis pendent, non perfecte cognoscuntur, ut menti plene satisfactum sit, quamdiu non cognoscuntur ex suis causis.

Haec igitur cognitio *a posteriori,* quamdiu unice in ea sistitur, imperfecta quidem in ratione scientiae, necessaria

autem est *scientiae* humanae inchoatio; potest tamen sine dubio simpliciter appellari *scientia,* licet hoc nomen ei competat sensu minus stricto quam cognitioni *ex causis.* Cognita autem saltem aliquatenus iam causa ex effectu, potest ratio ipsa diligentiori consideratione perfectionum causae proficere ad cognitionem earundem profundiorem, ex eis progredi ad cognoscendas alias, et denique regredi ac velut descendere ad scientiam effectuum ex causis. Vide S. Th. in Boëth. de Trin. lect. 2. q. 2. a. 1. solut. 3.

Ex dictis etiam patet, quomodo rationalis cognitio mediata, ubi una veritas intellectui manifestatur per alteram, sit tamen cognitio *ex rationibus internis.* Lumen enim rationis unam veritatem quae ei est principium cognitionis, ita intelligit, ut simul videat eius intestinum nexum cum alia veritate, et hanc intelligat *vi sua* ex perspecto illo nexu interno cum veritate instar principii praecognita. Est tamen verum, magis in *se ipso* et ideo magis ex ratione intima cognosci *effectum ex sua causa*, quam *causam ex effectu.*

III. *De formali ratione fidei generatim spectatae.*

1. Verum cognoscere possumus non solummodo, quatenus in se per *rationes internas* immediate vel mediate intellectui nostro sese manifestat; sed etiam ex *ratione externa,* quatenus certi reddimur, ab aliquo alio intellectu illud cognosci tamquam verum. Sic quivis etiam expers scientiae astronomicae potest cognoscere futuram solis eclipsin, quatenus certus redditur, eam ab astronomis futuram cognosci ex fixis et (physice) immutabilibus legibus. Cognitio astronomi est cognitio veritatis in *se ipsa* ex perspectis causis, adeoque est scientia *ex rationibus internis;* cognitio hominis rudis nititur unice scientia et veracitate praecognita astronomorum. Quamvis scientia astronomorum dici possit nexa cum futura eclipsi velut posterius cum priori, hic tamen nexus praecognitus non efficit, ut homo rudis intelligat veritatem (futuram tali hora eclipsin) *in se ipsa,* cur sit et quomodo sit; sed pro eius intellectu illa auctoritas astro-

nomorum est *ratio externa* cognoscendi existentiam obiecti, de quo testantur.

Hic modus cognitionis non est proprie dicta *scientia et intelligentia* veritatis, quia non *intus legit*, ut dicere solent Scholastici; sed est *fides*, quia *fidens* scientiae et veracitati alterius praestat assensum veritati, quae ipsa assensio significatur per verbum *credere*. Quatenus respicitur obiectum formale, *credimus alicui;* quatenus est assensus in obiectum materiale, *credimus aliquid* (1). Comprehendendo utrumque dicimur *credere in aliquem;* sed id proprie non dicitur nisi relate ad primam veritatem quae Deus est, quatenus fide in Deum tendimus ut in supremam veritatem et ultimum finem; unde et in symbolo *credimus in Deum,* et *credimus sanctam Ecclesiam* (cf. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 9. ad 5.). Vide de toto hoc modo distinguendi Gregor. Nazianz. or. 31. (al. 37.) n. 6; Rufinum in Symbol. n. 36; s. Aug. in Io. tract. 29; serm. 144. c. 2; theologos in 3. dist. 23; in S. Th. 2. 2. q. 2. a. 2.

Sicut ergo in *intellectu* specifice sic appellato *obiectum formale* seu motivum assensus est *interna ratio veri immediate sese manifestans* intellectui, et in *scientia* specifice sic dicta obiectum formale sunt principia *a priori* vel saltem *a posteriori* manifestantia veritatem cognoscendam intrinsecus et in *se ipsa,* licet *mediate* et per aliud; ita *obiectum formale* seu motivum assensus *in fide* est praecognita scientia et veracitas (auctoritas) alterius, quae quia non reddit veritatem *in se* intelligibilem pro intellectu assentientis, prae hoc intellectu est *ratio externa* postulans assensum in veritatem. Est igitur fides generatim spectata assensus in obiectum iudicii tamquam verum praestitus propter auctoritatem testantis. Cf. S. Th. de Verit. q. 14. a. 1.

2. Constat ex dictis, cognitionem veritatis credendae ex ipsa fidei natura esse semper *mediatam;* cognoscimus scilicet veritatem credendam tamquam obiectum materiale per

(1) Ita distinguit etiam s. Thomas *credere Deum,* quatenus est *materiale* obiectum fidei, et *credere Deo*, quatenus est obiectum *formale,* propter quod creditur 2. 2. q. 2. a. 2. Res est per se manifesta; sed in celebri editione Romana 1570. errore typographico legitur ordo inversus.

veritatem aliam praecognitam tamquam per *obiectum formale,* quo illa ut credenda manifestatur.

Praesupponitur ergo ad quemvis assensum fidei (sive naturalem sive supernaturalem, sive divinae sive humanae fidei) multiplex cognitio. Praerequiritur enim *a*) cognitio, alterum in notitia seu scientia veritatis non falli, et in eius manifestatione non fallere; *b*) cognitio existentiae talis manifestationis; *c*) ut aliquo modo sin minus distincte saltem in confuso intelligatur sensus testimonii; quod fieri nequit, nisi mens res ipsas terminis seu verbis externis vel internis significatas conceptibus saltem analogicis apprehendat. Manifestum est autem, has ipsas praerequisitas cognitiones nominatim in fide divina, praestanda scilicet propter auctoritatem Dei loquentis, supponere mentem iam pluribus ideis et principiis intellectualibus informatam. Unde evidenter repugnat eorum doctrina, qui vel primam cognitionem mentis humanae tamquam conditionem ad explicandum usum rationis et tamquam fundamentum totius certitudinis, vel omnino omnem cognitionem certam derivandam esse putant ex fide, in qua formale obiectum ac motivum assensus sit auctoritas sive divina sive humana (auctoritas consensus, ut putant, generis humani). Ad fidem divinam quod spectat, huc pertinet propositio iussu s. Sedis subscripta (8. Sept. 1840. et 11. Iunii 1855.): « Rationis usus fidem praecedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit. » Cf. Encycl. S. P. Pii IX. 9. Nov. 1846.

Corollarium 1. Fides *obiecto formali,* quo manifestatur et propter quod credendum est obiectum materiale, ac consequenter modo cognitionis differt a scientia. Neque tamen inde sequitur, non posse esse aliquam scientiam fidei, nominatim fidei divinae *quae creditur*. Potest enim esse scientia fundamentorum fidei; et fide supposita potest esse aliqua scientia ipsarum veritatum fidei, dum aliae assumuntur velut principia ad aliás velut ex eis consequentes intelligendas; ac denique veritates fidei possunt esse instar principiorum ad veritates alias, quae per se fidei non sunt, amplius et profundius intelligendas. Cf. Concil. Vatican. Constit. de Fide cap. 4. Haec fidei divinae scientia est sacra

theologia, quae secundum formam accidentalem, secundum amplitudinem etiam et profunditatem potest esse varia variis aetatibus, simpliciter tamen numquam potest in Ecclesia Dei deficere, quia custodes fidei ex divina institutione sunt etiam doctores fidei, et quia ex suavi divina providentia ad custodiam depositi elementum humanum requiritur sub assistentia Spiritus Sancti eo ipso, quod Ecclesia non perpetuis novis revelationibus et proprie dicta inspiratione, sed per assistentiam Spiritus Sancti regitur (de Tradit. th. XXV.).

Corollarium 2. Rationalistae omnium diversissimarum classium fidem, quae sit assensus propter auctoritatem Dei revelantis, nullam possunt admittere, cum ipsum fundamentum, revelationem scilicet, negent. Quando igitur nihilominus multi sunt in commendanda *fide religiosa,* eius notionem essentialem necessario pervertunt. Distinguunt illi fidem prout est in vulgo hominum, tamquam cognitionem religiosarum veritatum sub involucris symbolicis citra cognitionem scientificam et ideo in infimo gradu; tum *fidem rationalem* quam alii appellant *metaphysicam,* prout est in hominibus doctis ac philosophis fides iam eliquata et elevata ad scientiam. Cum ergo fides haec cui soli puram veritatem attribuunt, non sit aliud quam scientia rerum divinarum ad religionem pertinentium, pro diversa ratione qua religionem et divinorum scientiam declarant, etiam alias atque alias tradunt definitiones *fidei religiosae.* Rationalistis *speculativis* non alia *fides* est in sua plena veritate, quam *scientia speculativa;* unde pantheistis suprema perfectio religionis et ultima eliquatio fidei in eo est, quod homo se ipsum scit identicum cum Deo. Kantiani fidem non aliam agnoscebant, quam idearum religiosarum (moralium) approbationem propter *exigentiam practicam,* ut homo servet suam propriam dignitatem. Qui dicuntur *Pietistae,* fidem constituunt in religioso quodam animi sensu vel interiori sensibili experientia, quae ad caecum quendam instinctum revocatur, sive eam derivent fanatice a Spiritu Sancto (Methodistae, Quakeri etc.), sive eam rationalistice reponant in vago quodam *sensu dependentiae,* qui cum ra-

tionali natura cohaerens dicitur esse unica essentialis nota verae religionis (Schleiermacher). Rationalistae qui *vulgares* appellantur, *fidem* generatim dicunt mentis assensum in obiectum, quod non immediate in se sed mediate ex demonstratione verum intelligitur; unde *fidem religiosam* declarant esse persuasionem rationis de rebus divinis (Wegscheider Instit. §. 2. et alii plurimi).

Ab his quoad ipsam fidei notionem parum differt doctrina Georgii Hermes. Is enim omnem firmam persuasionem rationibus *cogentibus* theoreticis vel practicis inductam dicit esse *fidem* proprio sensu. « Exclusâ falsâ credulitate, inquit, etiam illâ quae per accidens verum credit, sed secundum rationem non minus reprehensione digna est, fidei definitio haec esse debet: *fides est in nobis status certitudinis seu persuasionis de veritate rei cognitae, in quem statum inducimur per necessarium assensum rationis theoreticae vel per necessarium consensum rationis practicae.* Haec fides rationalis est finis supremus totius philosophiae, unica vera norma hominis in hac vita, et conditio necessaria ad eius elevationem » (Hermes Introduct. philos. in theolog. p.259.).

Alii recentiores cognitionem immediatam veritatum, quae non deductae sint ac demonstratae ex principiis saltem logice prioribus, *fidem* appellant. Ordine inverso alii (nominatim Güntheriani) eodem nomine *fidei* significant cognitionem causae ex effectu, fundamenti ontologici ex phaenomenis, ontologice prioris ex posteriori; nempe quae ab ipsis *fides* dicitur, non aliud est quam scientia a posteriori. Huiusmodi cognitionem causae ex effectu, ubi pro obiecto habet veritates religiosas, putant esse fidem eam, qua fideles nominamur et sumus. Ita unus ex illis (in Lexico Ecclesiastico Friburg. T. IV. p. 522.). « Quid est fides sensu sublimissimo? Fides est apprehensio eorum, quae phaenomenis et experientiae substant. Christianus cognoscit et *credit* Dei existentiam, dum in universo eius maiestatem et divinitatem conspicit. » Atqui haec certe non est virtus fidei christianae; imo cognitio causae ex effectibus ipsis supernaturalibus, formaliter ut est illatio rationis, non est fides proprie dicta; sed pertinet sub una ratione ad scien-

tiam, sub alia ratione ad motiva credibilitatis, et iterum sub alia ad fundamenta fidei (Tract. de Deo th. VIII.).

In hisce omnibus theoriis *obiectum formale* fidei divinae, quae nempe assensus est propter auctoritatem Dei revelantis, tollitur ei substituendo *obiectum formale scientiae.* Hoc autem ipso essentialis ratio fidei proprie dictae, quae virtus est theologica, omnino pervertitur, et pro christiana inducitur fides philosophica, si illam scientiam improprie et ex aliqua analogia fidem appellare placet. Vide Conc. Vatican. Constit. de Fide cap. 3. can. 2.

Est quidem inter duplicem modum cognitionis, quam diximus ab his recentioribus fidem appellari, et inter fidem proprie dictam analogia aliqua, quae causa esse potuit permutationis nominis. Quoad modum priorem enim, ubi *intellectio immediata veritatis* nomine *fidei* appellatur, aliqua analogia in eo est, quod sicut veritas immediate evidens, ita veritas verbi Dei non demonstratur ex alio principio ontologice priori. Hoc sensu a Clemente Alexandrino fides dicitur « gratia ex indemonstrabilibus deducens ad principium universorum » Strom. l. II. p. 364; l. VII. p. 757. 772. cf. inter Opp. s. Basil. comment. in Ps. 115. n. 1. Modus alter, *cognitio nempe causae ex effectibus* comparari potest cum *fide,* quod sicut substantia ut principium ontologicum se manifestat in suis phaenomenis et operationibus, atque ex his manifestationibus eam intelligimus (ἐκ των φαινομενων το νοουμενον) cf. S. Th. 2. 2. q. 8. a. 1; ita Deus se suamque veritatem manifestat in verbo auditus fidei, et ex hoc Deum cognoscimus. Porro sicut cognitio substantiae ex suis phaenomenis est directa et secundum quid immediata, quantum pro praesenti conditione fieri potest; in comparatione tamen cum intuitione substantiae in se ipsa, est cognitio imperfecta et mediata: ita cognitio per fidem in comparatione cum cognitione Dei ex creaturis est magis directa et immediata, in comparatione autem cum visione intuitiva est et ipsa mediata et imperfecta « per speculum in aenigmate » 1. Cor. XIII. 12. At huiusmodi analogiae non tollunt essentiale discrimen inter fidem et rationalem cognitionem causae ex effectu, secundum obiectum formale; quod

discrimen multo etiam maius est, si fides formaliter quatenus est *supernaturalis,* conferatur cum cognitione *naturali,* de qua re nunc non est dicendi locus. Nomen itaque *fidei* non *univoce* sed solum *analogice* commune censeri potest utrique cognitionis modo.

CAPUT III.

DE NECESSITATE FIDEI TUM GENERATIM SPECTATAE TUM SPECIATIM FIDEI DIVINAE.

Potest spectari *a*) necessitas fidei sive in communi et abstrahendo a specifica ratione fidei humanae aut divinae sive speciatim fidei divinae, universim in ordine ad cognitionem cuiusvis veritatis. *b*) Singillatim considerabimus necessitatem fidei, quae asseritur inclusa in necessitate absoluta institutionis socialis et doctrinalis ad explicandum usum rationis, et quae fides ultimatim ad primitivam Dei revelationem revocanda sit. *c*) Potissimum considerationem postulat necessitas fidei divinae ac proinde revelationis, qua continetur fidei obiectum, tamquam medii ad assecutionem ultimi finis hominis in hoc praesenti ordine supernaturalis elevationis. *d*) Huic doctrinae connectitur quaestio altera de necessitate revelationis et fidei ad hominis finem naturalem assequendum pro hypothesi, quod humana natura non esset elevata ad finem supernaturalem. Tota vero haec disquisitio pertinet ad designandos generatim limites humanae rationis, ne vires negemus quae revera ei insunt, et sine quibus fides ipsa consistere non posset; et ne ex parte altera ei adscribamus vires confictas, quibus necessitas et beneficium revelationis ac fidei labefactaretur. Non sane nobis propositum est hoc compendio argumentum amplissimum pro dignitate tractare; sed principia solum indicasse contentis nobis esse licebit.

I. *De asserta a quibusdam necessitate fidei in communi et nominatim fidei in revelationem relate ad totum ordinem nostrarum cognitionum.*

Ad hanc priorem quaestionem quod spectat, prorsus repugnat, primam cognitionem velut fundamentum totius cer-

titudinis esse cognitionem fidei; nullus enim potest esse assensus fidei, quin in mente praevertat sin minus tempore saltem ratione prius intellectualis cognitio plurium veritatum, quae non sit per assensum ex motivo externo auctoritatis in testante, sed omnino sit per assensum ex intrinsecus perspecta veritate vi insiti luminis; huius autem principii negatio accommodata est ad omnem certitudinem et fidem ipsam labefactandam.

1. Profecto fides non est assensus in veritatem creditam ex perspecta interna ratione, et multo minus assensus in veritatem notam per se et immediata sui manifestatione; sed est essentialiter et ex formali sua ratione assensus mediatus in veritatem propter veritatem aliam fundamenti instar praecognitam, propter praecognitam scilicet auctoritatem testimonii. Unde necessario quemvis et ergo etiam primum assensum fidei praevertunt in mente multiplices intellectuales conceptus seu ideae requisitae ad intelligendum aliquatenus sensum testimonii, tum cognitio certa auctoritatis testantis, et cognitio certa existentiae testimonii, ut paulo ante dictum est. « Nemo credit aliquid, *nisi prius cogitet esse credendum* » Augustin. de Praedest. SS. c. 2. « Quamvis *nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum*, tamen ipsa fide qua credit, sanatur ut intelligat ampliora » Id. in Ps. CXVIII. serm. 18. n. 3. « *Etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus*.... Si rationabile est ut ad magna quaedam, quae capi nondum possunt, fides praecedat rationem, *procul dubio quantulacumque ratio quae hoc persuadet (ut credamus), etiam ipsa antecedit fidem* » Id. ep. 120. n. 3. Nempe « fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id quod creditur; *habet tamen inquisitionem quandam eorum, per quae inducitur homo ad credendum; puta quia sunt dicta a Deo et miraculis confirmata* » S. Th. 2. 2. q. 2. a. 1. ad 1.

Si quis forte exciperet, illam praevertentem cognitionem auctoritatis testimonii esse ipsammet cognitionem fidei, aequivocatio dilucidanda esset. Poterit dici cognitio fidei, quatenus tamquam fundamentum supponitur et ita ut elementum necessarium ingreditur omnem assensum fidei; at

non potest esse per se *cognitio fidei formaliter*, h. e. assensus propter cognitam auctoritatem alterius testimonii, quin ultimo tandem sistendum sit in cognitione ex intrinsecus intellecta ratione. Quaero enim, si auctoritatem testimonii A credis et suscipis propter auctoritatem testimonii B, quomodo cognoscis hanc auctoritatem? an ex cognita ratione interna? Tum habeo, quod contendo. An propter auctoritatem tertii testimonii C? Tum eadem redibit quaestio, et progressus erit in infinitum. Hoc autem ipso evidens est, nullius testimonii auctoritatem fore certo cognoscibilem, eodem prorsus modo, quo in singulis entibus contingentibus cuiuscumque seriei nulla est ratio sufficiens existentiae, nisi perveniatur ultimo ad ens necessarium. Est ergo evidens, non posse affirmari primam cognitionem esse cognitionem fidei propter auctoritatem testimonii, quin fundamentum ipsum fidei subtrahatur (1). Eadem argumentatio recurrit in quaestione, quomodo certo cognoscatur existentia testimonii, et undenam originem habeant praecognitiones necessariae ad intelligendum sensum cuiusvis proindeque etiam primi testimonii.

Haec ratio omnino evidens et ineluctabilis est, saltem quamdiu agitur de fide solum naturali. Nihilominus ad eam eludendam invenerunt aliqui novam theoriam de *cognitione immediata*. Dixerunt scilicet, primam cognitionem esse utique per fidem, non tamen esse ex praecognita auctoritate testimonii, sed ex quodam animi instinctu, quod quidem negotium obscurissimum docto vocabulo appellarunt *cognitionem immediatam*. At ille assensus in verum vel est ex perspectione veritatis in se ipsa, tum ea non erit fides proprio sensu, de qua agitur, sed cognitio immediata veritatis

(1) Haec labefactatio fundamentorum fidei certe praeparatur sententiis, cuiusmodi sunt sequentes. « Toute certitude repose sur la foi; » « la certitude n'est qu'une foi pleine dans une autorité infaillible » Lamennais Essai sur l'indifférance etc. T. II. p. 41. 132. 184. 225. « Le principe d'autorité ou de foi étant la base de la certitude même, la raison de chacun ne peut exister, que par l'adhésion á ce principe. Ce n'est pas la foi qui nait de la raison, c'est la raison qui nait de la foi » Gerbet Doctrines philos. sur la certitude p. 70.

per se notae lumine intellectus (cap. II. §. I.), nec opus est alio animi instinctu; vel si dicitur assensus esse, quin verum ulla ratione interna vel externa sese intellectui manifestet ut verum, huiusmodi assensus esset utique ex instinctu eximie caeco, sed nec fides esset (quamvis Iacobius hoc nomine illum assensum appellaverit), nec ulla veri cognitio, multoque minus cognitio certa (cap. I. §. II.). Perinde absurdum est, si dicitur esse assensus in rem *testimonio* propositam, ex caeco tamen instinctu, quin cognoscatur credibilitas et veritas testificationis (scientia et veracitas in testante) (1). Sane talis assentiendi modus indifferenter se habet ad verum et ad errorem propositum, nec potest esse ullatenus certus seu necessario nexus cum veritate. Proinde quomodocumque concipias assensum fidei (saltem quamdiu agitur de assensu naturali rationis), cui non supponatur aliqua cognitio certa ex interna veri ratione sese manifestante intellectui, cognitio videlicet saepe iam commemorata auctoritatis testimonii, certitudo cognitionis fidei consistere non potest; et quando talem fidei cognitionem nullo certo nixam fundamento ponunt ut fundamentum vel necessariam conditionem omnis certitudinis, haec ipsa subvertitur (2).

2. Aiunt alii, fundamentum fidei esse certissimum ipsam revelationem Dei infinitae veritatis; hanc enim fidem se ponere ut fundamentum omnis certitudinis. At *a*) iuxta hanc doctrinam revelatio positiva et fides in illam dicenda esset

(1) « Il faut que la verité se donne elle même à l'homme... Quand elle se donne, il la reçoit; voila tout ce qu'il peut; encore faut-il qu'il la reçoive de confiance, et *sans exiger qu'elle montre ses titres; car il n'est pas même en état de les vérifier* » Lamennais Pensées diverses p. 488.

(2) « L'évidence même emprunte sa force du témoignage, par lequel nous nous assurons que l'évidence affecte les autres hommes de la même manière que nous et à l'égard des mêmes objects »; « y a-t-il quelque chose? toute raison humaine est impuissante à résoudre cette question » Id. Pensées p. 485. 491. « Soutenir que chaque homme (consideré isolement) a en soi même la certitude rationnelle de son existence, c'est déclarer qu'on adopte la philosophie Cartésienne avec toutes ses conséquences. C'est se rejeter dans les inconvenients, les contradictions, les absurdités inhérentes à cette philosophie » Id. Défense de l'Essai etc. p. 193.

complementum absolute necessarium humanae rationis, quo haec compleatur et reddatur idonea ad suas naturales functiones; in hoc autem principio continetur radix confusionis ordinis naturalis et supernaturalis. *b*) Quaero, quomodo certo cognoscatur auctoritas Dei revelantis et existentia revelationis? Veritas enim formaliter est in intellectu; nec de obiecto quidquam affirmare possumus, nisi quatenus est cognitum. Si certo cognoscitur auctoritas revelationis ex rationibus internis sese manifestantibus intellectui, non ergo prima cognitio ac fundamentum omnis certitudinis est vel esse potest fides formaliter accepta, quae est assensus propter testimonium; si ea auctoritas revelationis cognoscitur per aliam revelationem, redibit eadem quaestio, donec sistatur in cognitione aliqua ex rationibus internis, ut superius declaratum est.

Verum reponunt, si ita est, certitudo reducitur ad cognitionem subiectivam, nec iam Deo sed sibi ipsi homo credit. Haec difficultas est argumentum perturbationis omnium notionum. Certitudo formaliter est in cognitione, cognitio autem est actus vitalis intellectus; adeoque repugnat certitudo formalis, quae non sit subiectiva, h. e. quae non sit in subiecto cognoscente; at certitudo simpliciter non est, nisi quatenus firmus assensus respondet dignitati obiectivae rationum postulantium firmitatem assensus; adeoque certitudo subiectiva respondens cognitae auctoritati divini testimonii est certitudo fidei, de qua agitur. Non autem est certitudo *mere subiectiva,* quam non nos admittimus, sed adversarii admittere coguntur, si asserunt firmum assensum in testimonium absque cognitione rationum obiectivarum, quibus veritas testimonii sese intellectui manifestet (cap. I. §. II.). Porro hominem *credere sibi ipsi* est locutio absurda ex eo derivata, quod certitudo formalis et reflexa cognitio certitudinis confunditur cum motivo seu formali obiecto assensus. In omni cognitione certa utique homo ipse cognoscit cum certitudine, et potest reflexe cognoscere hanc certitudinem; nemo autem *credit* vel credere potest nisi alteri, cum *credere* propria significatione nihil sit aliud, quam assensum praestare propter auctoritatem cognitam alterius testantis.

3. Postremo dici posset, non naturalem sed supernaturalem fidem esse illud fundamentum omnis certitudinis; in hac autem fide ipsum infusum lumen fidei determinare intellectum ad assensum in veritatem revelatam, et ideo non requiri praeviam cognitionem rationum postulantium assensum. At *a*) si hoc modo *supernaturalis* fides constituitur necessarium fundamentum omnis certitudinis, eo ipso asseritur talis fides naturae rationali debita, atque adeo *naturalis*, non supernaturalis. Cum vero *fides supernaturalis* sit fundamentum et radix totius supernaturalis iustitiae (Conc. Trident. sess. VI. cap. 8.), ex illa doctrina consequitur subversio totius ordinis vere supernaturalis ac indebiti. *b*) Quoniam tamen verbis saltem appellatur *fides supernaturalis*, dicimus assensum huiusmodi absque cognita ratione postulante assensum non posse esse supernaturalem, quia imprudens est. Quamvis enim lumen fidei possit supplere, quod in modo proponendi obiectum per accidens forte deest, dummodo cognitio rationum praecedat hic et nunc excludens formidinem prudentem (cap. II. §. III.), non tamen lumen fidei potest concurrere ad assensum, quin obiectum ut credibile manifestetur. *c*) Imo assensus fidei absque cognitione *formalis obiecti*, et absque cognitione aliqua qua percipiatur verus sensus *obiecti materialis*, est impossibilis. « Sequeretur enim, inquit Suarez, fidem (habitum fidei) non praebere assensum rationali et intellectuali modo sed per modum naturalis agentis, quod nec dici nec cogitari potest; quomodo enim intellectus praebebit assensum, nisi videat et cognoscat aliquod sufficiens motivum assentiendi?» de Fide disp. III. sect. 3. n. 2. Unde *d*) lumen fidei adeo non ordinatur ad excludendam necessariam cognitionem obiectivarum rationum *(auctoritatis Dei et Dei revelantis)*, ut imo detur et necessarium sit ad supernaturalem elevationem et confortationem cognitionis earundem rationum. Vide Conc. Vatican. Constit. de Fide cap. 3. can. 3.

II. *De necessitate fidei, quae dicitur inclusa in necessitate institutionis socialis.*

Omnem nostram cognitionem saltem ordinis metaphysici, theologici, ethici ex fide suscipi vel tamquam ultimo fundamento necessario fidei inniti, contenderunt aliqui probare ex illa opinione, quae absolutam statuit necessitatem institutionis et eruditionis in societate humana ita, ut sine hac institutione homo perpetuo et necessario maneret expers omnium huiusmodi idearum et cognitionum, atque ita destitutus usu rationis (1). Pleniore disputatione de his sen-

(1) Sacra Congregatio Indicis anno 1843. et 1844. in Theodicea et in Logica Professoris Lovaniensis cl. Gerardi Ubaghs « emendandas indicavit » propositiones nonnullas, quod mandatum deinde Congregationes S. Officii et Indicis coniunctim confirmarunt annis 1864. et 1866. (vide tract. de Traditione p. 132. sqq.). Inter eas propositiones huc maxime pertinent sequentes. « Haud posse nos in cognitionem cuiusvis externae metaphysicae veritatis venire (nempe quae respiciat ea quae sub sensus nostros non cadunt), *absque alterius instructione, ac in ultima analysi absque divina revelatione.* » « Probationes existentiae Dei *reduci ad quandam fidem aut fundari in hac fide*, qua non tam videmus quam *credimus*, seu naturaliter persuasum nobis est, ideam hanc esse fidelem, id quod evidentia mere interna cernere non possumus. » « Veritatem internam immediate cognoscere possumus, *externam non sine interposita fide.* » « *Necesse est, ut institutio aliena nobis manifestas faciat veritates,* quae nec merae animi affectiones sunt, nec sub sensus nostros externos cadunt. » Vide Revue des sciences écclésiastiques T. X. p. 568; T. XI. p. 184; T. XII. p. 168.

Ut in contextu distinctius intelligi possit doctrina auctoris, describam aliqua ex Theodicea ed. 3. 1852, ubi recentiora systemata *ontologismi* (ut vocant), *idearum innatarum*, *traditionalismi* simul coniunguntur. « Idea Dei est illud lumen intelligibile menti nostrae semper praesens, quo fit ut Deus a nobis cognosci possit, etiamsi non semper cognoscatur... Nobis haec idea Deus ipse esse videtur menti nostrae numquam non praesens, etsi non semper notus (cf. Propos. 1. inter prohibitas 18. Sept. 1861. et descriptas in nostro tract. de Deo th. XXIV.)... Cognitio seu notitia Dei est actus mentis, quo sibi insitae Dei ideae vere conscia fit. *Ut Dei cognitio in nobis aperta gignatur, aeque ac ut rationis usus acquiratur*, hae conditiones necessariae sunt: 1°. ut Dei idea nobis insita sit; 2°. ut aliquot rerum sensibilium perceptiones habeamus; 3°. ut ope instructionis excitemur ad mentem elevandam a rebus sensibilibus ad ideas, quae supra sensus sunt, utque mens ita excitata sua ipsius alacritate ad ideam

tentiis ad psychologiam remissâ, ubi de origine idearum agitur, nobis ad praesentem scopum sufficiet declarare munus *institutionis* ordinatae ad *cognitionem veri ex rationi-*

Dei sibi insitam attendat, eam distincte percipiat atque ita Deum vere cognoscat. Cum porro huiusmodi instructio *vera primaevae revelationis continuatio sit, et sicut nos instructione ita primi homines divina revelatione indiguerint, ut ad Dei notitiam pervenirent;* hoc sensu revelatione divina homini opus esse dicimus, ut ad veram Dei cognitionem pertingat.... Homini mente sano naturaliter certum fit Deum esse, hoc ipso quod huius ideam aperte percipit... Ratio autem qua tunc vere ducitur et nititur, etsi eam nondum reflexe advertat, ipsa illa est intuitio divinae ideae, quam videt et agnoscit, at non distinguit; sicut etiam fieri potest, ut lumen physicum vere intueamur et reflexa cogitatione non distinguamus. (Quomodo cl. auctor non intellexit, fieri quidem posse ut quod sensibus videmus, mente non cogitemus; sed fieri nullo modo posse, ut aliquid mente videamus, et idem tamen non cogitemus?) Itaque haec naturalis nostra de Deo institutio vera et proprie dicta certitudo est, certitudinem philosophicam antecedit, atque huius fundamentum seu rationem vere continet. Haec enim posterior certitudo, quae argumentis philosophicis ad scientiae regulas exactis perficitur, tunc tantum in nobis oritur, quum mediate cogitando et scientifice ratiocinando eo pervenimus, ut rationum momenta, propter quae Deum esse iam naturaliter *credebamus,* si ita loqui licet, recogitemus et recognoscamus... Deum esse philosophice probare seu demonstrare non possumus aliter quam idoneis verbis exponendo ea rationum momenta, quibus is nititur, cui naturaliter certum est Deum existere..... Aliud igitur est primam rei cuiusdam notitiam acquirere, aliud rem quomodocumque cognitam probare. Prius si de Deo agitur, *sine ullo institutionis atque adeo divinae revelationis auxilio a nobis fieri non posse censemus* (et proinde censet etiam auctor, ut mox patebit, nullam supersensibilem veritatem quae sub experientiam non cadit, sine revelatione cognosci posse); posterius, ubi prima illa notitia acquisita iam est, *non invocata revelationis auctoritate* fieri posse existimamus (i. e. ad cognitionem quam ope revelationis acquisivimus reflectere, et rationum momenta, quae sunt revelatio et divinae ideae seu Dei ipsius intuitio, idoneis verbis exponere possumus sine nova revelatione)..... Haec idea, quae ipsa entis vere infiniti idea est, nulli posterior aut inferior dici potest, siquidem in nulla alia tamquam generaliori includitur nec ex ulla alia tamquam priori consequitur. Sed contra omnium idearum realium ipsa maximae comprehensionis et ordine prima est, a cuius veritate pendet veritas omnium aliarum, seu quidquid veri in quibusvis aliis deprehenditur, proindeque ipsa veritas omnium prima dici stricte debet (committitur nempe nota illa confusio ordinis ontologici cum ordine

bus internis, quam brevitatis causa dicemus *scientiam*, huiusque institutionis discrimen a traditione, qua proponitur obiectum *credendum propter auctoritatem testimonii*, cui respondet *fides*.

1. Institutio quaevis, seu quae extrinsecus fit veritatis propositio, vires intelligendi subiectivas non efficit sed supponit. At vero, respondent adversarii, institutio necessaria est ad vires rationis humanae explicandas; sine institutione enim, ut constat experientia, homo numquam pervenit ad usum rationis. Sit ita; quaero iam, quid sibi vult, hominem habere usum rationis? Puto non aliud, quam quod supposita sana harmonia facultatum cognoscitivarum eius intellectus iam informatus est sufficienti amplitudine idearum et veritatum (iudiciorum in habitu), quibus pro vi insita rationis recte uti possit, atque ex iis progredi ad veritates alias cognoscendas. Quod ergo institutio, sive connaturalis et communis in societate humana sive artificialis et scientifica, necessaria esse dicitur ad explicandum usum rationis, non potest significare aliud, nisi quod institutio necessaria est ad acquirendam sufficientem amplitudinem idearum et cognitionum veri (seu iudiciorum). Institutio ergo considerari debet in ordine ad acquirendas ideas seu conceptus intellectuales, et in ordine ad formanda iudicia seu cognoscendas relationes idearum et obiectorum quae ideis exhibentur.

a) Ideae formari non possunt nisi ab ipso intellectu vi sua insita ex obiectis ei logice praesentibus, h. e. cognoscibiliter exhibitis (1). Institutio ergo ad formandas ideas non

logico)... Hinc sequitur, 1°. eam veritatem primum rectâ seu immediate percipi debere, quia veritas prima, non derivata est; sequitur 2°. eandem eo apertius certo veram esse, quod *sine ipsa nihil aliud verum esse aut philosophice probari queat, aut alterius veritatis ratio reddi possit* (cf. Propos. 2. inter prohibitas 18. Sept. 1861.); sequitur 3°. argumenta philosophica quae ratiocinando et inferendo procedunt, huius veritatis certitudinem non gignere sed vere confirmare » l. c. p. 10. 11. 12. 23. 24.

(1) Non posse formari aio ideas nisi operatione intellectus praescindendo ab hypothesi, quod Deus ideas actuales vel habituales iam ad usum expeditas menti infunderet, ad quas acquirendas sane iam nulla institutione opus esset. Si qui vero ideas sic dictas innatas admittunt, quae ab aliis aliter sed ab omnibus obscurissime describuntur, parvi

aliud potest conferre, quam quod apto modo facultatibus cognoscitivis obiecta exhibeat, primum quidem ea quae cadunt sub experientiam, deinde vero formatis ab insita vi intellectus illorum conceptibus intellectualibus, et hoc ipso perspectis iam relationibus et formatis ab intellectu sponte sua iudiciis ac primis principiis, apta connexione cum praecognitis repraesentet cognoscibiliter intellectui obiecta alia, etiam quae nulli subsunt experientiae, ut sua vi intellectus eorum ideas concipiat. In summa totum negotium institutionis in concipiendis ideis unice revocatur ad aptam obiectorum exhibitionem. Non igitur ex auctoritate testimonii ac proinde non per actualem fidem idea concipitur aut concipi potest; sed intellectus vi sua naturali vel supernaturaliter elevatâ format conceptum ex obiecto sibi repraesentato.

Dantur quidem obiecta, quae sola revelatione divina exhibentur intellectui, et ad quorum apprehensionem numquam pervenisset sine revelatione: attamen apprehensionem simplicem, qua nihil affirmatur vel negatur, intellectus non format *ex auctoritate* revelationis; sed dum per revelationem obiectum in connexione cum aliis ideis et cognitionibus iam praehabitis exhibetur, aliquem format analogum conceptum ipsius obiecti exhibiti. Ita formamus ideam aliquam e. g. de generatione Filii Dei, de processione Spiritus Sancti, de persona constituta per relationem, de natura humana unita Verbo secundum hypostasim etc. « Intellectus nostri duplex est operatio, una qua format simplices rerum quidditates, ut quid est homo vel quid est animal; in qua quidem operatione non invenitur verum per se nec falsum, sicut nec in vocibus incomplexis. Alia operatio intellectus est, secundum quam componit et dividit affirmando et negando; et in hac iam invenitur verum et falsum sicut et in voce complexa (in propositione), quae est eius signum. *Non autem invenitur credere in prima operatione, sed in secunda; credimus enim vera et discredimus falsa* » S. Th. de Verit. q. 14. a. 1. Θ.

refert ad praesens negotium; ad eas enim excitandas requiruntur omnia, quae nos dicimus sufficere ad formandas ideas.

Est igitur prorsus evidens, institutionem et doctrinam externam quoad formationem idearum non posse ita se habere, ut ideae concipiantur per fidem seu per assensum propter auctoritatem, cum ibi nullus adhuc sit assensus; sed institutionem pertinere unice ad aptiorem obiecti exhibitionem.

b) In ordine ad iudicia seu ad cognitionem veritatum proprie dictam, quam altero loco posuimus, institutio potest se habere dupliciter; potest videlicet tendere ad ingerendam *scientiam* vel ad provocandam *fidem*. Hic alter modus propositionis ac institutionis locum utique habet in quam plurimis obiectis nostrae cognitionis, quae nonnisi fide vel divina vel humana novimus; sed nec est nec potest esse universalis quoad universas ac nominatim quoad eas cognitiones veritatis, quae fidei necessario supponuntur velut eius fundamenta eamque praecedunt, ut superius satis demonstratum est. In propositione vero ac institutione ad *scientiam* veritatum omnia eadem valent, quae diximus de institutionis munere relate ad concipiendas ideas. Totum scilicet negotium consistit in apta veri exhibitione ad intellectum, ut vi sua propria verum perspiciat ex rationibus intestinis.

2. Possumus hanc institutionem tam relate ad ideas quam ad scientiam veritatum considerare distinctius, ut perficitur *rebus* vel *signis*. Quatenus perficitur rebus, non est aliud quam obiectorum sensibilium et signorum naturalium (horum enim eadem est ratio ac rerum), repraesentatio ad sensus, ut vis insita intellectus conceptus formet intellectuales et prima quaedam iudicia ac principia; qua in institutione, si tamen hoc nomine appellanda est, auctoritas et fides nullam habet partem, non secus ac quando obiecta exhibentur per sese nemine monstrante.

Institutio proprie dicta tum incipit, quum iam signis utitur arbitrariis, inter quae primum locum tenent verba et verborum contextus (sermo scilicet). De hac proprie dicta institutione sequentia sunt manifesta.

a) Repugnat, institutione per signa arbitraria, cuiusmodi praeprimis sunt verba, concipi primas ideas et pri-

mas cognitiones intellectuales. Nisi enim mens discentis iam informata sit pluribus conceptibus intellectualibus et cognitionibus veritatum, signa arbitraria (e. g. vocabula) non erunt ei signa formaliter sed *res* tantummodo, sonus inquam. «Cum primum istae duae syllabae, cum dicimus *caput*, aures meas impulerunt, tam nescivi, quid significarent, quam cum primum audirem legeremve *saraballas* (Dan. III. 27.). Sed cum saepe diceretur *caput*, notans atque animadvertens, quando diceretur, reperi vocabulum esse rei, quae mihi iam erat videndo notissima. Quod priusquam reperissem, tantum mihi sonus erat hoc verbum; *signum* vero esse didici, quando cuius rei signum esset inveni, quam quidem, ut dixi, non significatu sed aspectu didiceram. Itaque magis signum re cognita, quam signo dato ipsa res discitur» s. Aug. de Magistro n. 33. Lege ibi reliqua.

b) Cum mens iam novit rationem signi, et quid verba audita significent, adeoque plures ideas iam praehabuit, et plurium veritatum ac principiorum intellectione instructa est, oratio ordinata ad ingerendam scientiam tantum potest in connexione cum veritatibus iam praecognitis discenti exhibere per signa nota veritates alias modo apto, ut eius intellectus has alias veritates ex illis praecognitis et ex rationibus intestinis perspiciat. Institutione igitur per verba quae sit ad scientiam directa, nihil aliud efficitur nisi apta exhibitio veri in connexione cum veritatibus praecognitis; lumen autem intellectus a Deo datum, conservatum, adiutum (naturali vel supernaturali concursu) veritatem ex intima ratione perspicit. Ergo hac institutione nec primae ideae et primae veri cognitiones acquiri possunt, sed illae tamquam fundamentum aut conditio necessaria ei supponuntur; nec scientia, ad quam institutio iuvat, auctoritati innititur aut rationem habet fidei.

De tota hac re subtilissime disputat s. Augustinus l. c. n. 38. sqq., cuius sensum explicatum habes apud doctorem Angelicum. «In scientiae acquisitione eodem modo docens alium ad scientiam ignotorum deducit inveniendo, sicut si aliquis deducit se ipsum in cognitionem ignoti. Processus

autem rationis pervenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones et ex his in alias. Unde et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli per huiusmodi sibi proposita sicut per quaedam instrumenta pervenit in cognitionem ignotorum... Cognitio rerum in nobis non efficitur per cognitionem signorum sed per cognitionem aliquarum rerum magis certarum scilicet principiorum, quae nobis per aliqua signa proponuntur et applicantur ad alia, quae prius erant nobis ignota simpliciter, quamvis nota secundum quid (in principiis praecognitis).... In discipulo describuntur formae intelligibiles, ex quibus scientia per doctrinam accepta constituitur, immediate quidem per intellectum agentem (discipuli) sed mediate per eum qui docet. Proponit enim doctor rerum intelligibilium signa, ex quibus intellectus agens accipit intentiones intelligibiles et describit eas in intellectu possibili (1); unde ipsa verba doctoris audita vel visa in scripto, hoc modo se habent ad causandam scientiam in intellectu, sicut res quae sunt extra animam... Quod aliquid per certitudinem sciatur, est ex lumine rationis divinitus interius indito, quo in nobis loquitur Deus, non autem ab homine exterius docente, nisi quatenus conclusiones in principia resolvit nos docens; ex quo tamen nos certitudinem scientiae non acciperemus, nisi inesset nobis certitudo principiorum, in quae conclusiones resolvuntur » s. Thomas de Verit. q. 11. a. 1. Θ. et ad 2. 11. 13.

Ex omnibus hactenus dictis ita concludimus. Longe alia est quaestio, utrum ideae et primae nostrae cognitiones veritatum vel omnino omnes cognitiones certae suscipiantur aut suscipi possint per fidem, h. e. propter auctoritatem testimonii; et alia est quaestio, utrum et quatenus necessaria sit institutio sive connaturalis in humana societate sive ar-

(1) Intellectus quatenus *agens*, format rerum intellectuales conceptus; quatenus *possibilis* recipiens et perficiendus, illis informatur.

tificialis per disciplinam ad informandum intellectum sufficienti amplitudine idearum et cognitionum veritatis in quovis ordine. Illud prius evidenter falsum est, et negandum esset, etiamsi necessitas institutionis absoluta affirmaretur. Necessitas enim haec unice consequeretur ex eo, quod obiecta cognitionis nullo alio modo quam per institutionem cognoscibiliter intellectui exhiberi possent, ut ex declarata functione institutionis constat; non autem inde ortum haberet, quod veritas nonnisi ex auctoritate et per fidem nobis sit certo cognoscibilis.

3. Reliquum est, ut de hac ipsa institutionis necessitate ad sufficientem cognitionum amplitudinem acquirendam dicamus, quid nobis verum videatur. Necessitas institutionis ad sufficientem amplitudinem idearum et principiorum acquirendam, ut usus rationis humanae satis explicatus censeri possit, non oritur ex defectu vis intellectualis ad verum intelligendum in obiectis rite propositis; si enim ita esset, omnis etiam institutio esset inutilis. Sed quaecumque tandem sit necessitas positivae doctrinae ac institutionis, ea prae veritatibus rationalibus et naturaliter cognoscendis revocatur ad necessitatem aptioris modi in propositione et exhibitione obiectorum, ut intellectus facilius et promptius et ideo etiam ad ampliorem et distinctiorem veritatum cognitionem perveniat.

Status hominis connaturalis, ad quem ex ipsa sua natura factus est, certe est socialis in communione et coniunctione cum aliis hominibus. Cum homo ex ipsa conditione naturae compositae animalis rationalis indigeat praesidiis externis ad explicationem sicut aliarum ita et intellectualium virium, praesidia connaturalia ad congruam facultatis cognoscitivae explicationem habet in ipsa humana societate, ut obiecta in primis proponantur sufficienti amplitudine et varietate, ut excitetur et foveatur constans attentio ad obiecta, ut apta eorundem copulatione ratio ex aliis ad alias cognitiones deducatur. Si iam supponatur, qua hypothesi nonnulli mire abutuntur, homo inde ab infantia ab humana societate extorris, eo ipso supponitur destitutus praesidiis connaturalibus ad aptiorem obiectorum propositionem,

ad attentionis excitationem, ad idoneam idearum et iudiciorum inter se invicem comparationem. Obiecta quam plurima, ex quibus facilior est et promptior idearum et principiorum praesertim moralium efformatio, proponentur ei numquam; ex iis obiectis quae ei per sese obgerentur, ideas abstrahet et iudicia efformabit fere non alia, quam quae vi insita intellectus *sponte* enascuntur; consideratio enim et constantior aliqua attentio in praesenti naturae conditione, ubi appetitus inferiores multo vehementius trahunt et distrahunt, exspectari non potest in homine ita, ut supponitur, destituto externis praesidiis, nisi Deus quod in externis subsidiis deest, suppleat specialibus adiutoriis internis.

Ad distinctiorem declarationem possumus considerare in homine facultates subiectivas intellectus et voluntatis, deinde vero externam obiectorum propositionem ad intellectum et excitationem voluntatis, ac postremo interna Dei adiutoria. Facultates physicae adsunt homini tum intellectus tum voluntatis ex ipsa sua natura, ita tamen ut necessaria sit pro intellectu obiectorum conveniens propositio, ut a voluntate deinde figatur et contineatur satis constans attentio et consideratio; voluntas vero morali necessitate indigeat excitatione et praesidiis etiam externis. Iam in statu illo abnormi propositio obiectorum pro intellectu non quidem omnino deficit, sed est admodum manca; externa excitatio et subsidia pro voluntate, quae in societate sunt plurima, ibi fere desunt. Conceptus igitur intellectuales et prima rationalia iudicia intellectus efformabit, quantum *sponte* et *necessario* enascuntur ex obiectorum licet manca propositione. Amplitudo harum idearum et horum iudiciorum non potest certa aliqua norma definiri. Sine dubio illuc pertinent rerum sensibilium ideae universales; conscientia sui suorumque actuum, et iudicia ex his sponte enascentia. Ad huiusmodi *spontaneas* cognitiones referri debere etiam obscuram et confusam notitiam entis superioris alicuius, a quo omnia pendent, et inde similiter confusam cognitionem boni et mali moralis, tum philosophice persuadetur ex natura humanae rationis *imaginis Dei* et ex na-

turali eius destinatione, tum theologice deducitur ex modo, quo ss. Patres praeeuntibus Scripturis constanter describunt primam confusam notitiam Dei velut insitam et congenitam naturae rationali, spontaneam, nulla indigentem institutione (ἐμφυτον, ἀυτοματον, ἀδιδακτον χρημα). Vide tract. de Deo th. VI. VII. Cum mens primis ideis et iudiciis iam informata est, posset homo *(possibilitate physica)* libera et deliberata voluntate attentionem figendo in obiecta et reflectendo ad se ipsum suasque iam acquisitas cognitiones, pervenire ad ulteriorem aliquem profectum et expolitionem cognitionum; attamen ex ipsa confusione et obscuritate cognitionum, ex modo minus accommodo quo obiecta consideranda sistuntur, ex defectu omnis excitationis externae pro voluntate, ex sensualium cupiditatum vigore, difficultates tantae sunt, ut oriatur *moralis impotentia* perveniendi in conditione tam abnormi et connaturalibus externis praesidiis destituta ad gradum aliquem sufficientem claritatis et distinctionis idearum ac cognitionum.

At in hac consideratione facta est abstractio ab adiutoriis Dei specialibus internis. Haec adiutoria interna consideranda sunt, quatenus hominem excitarent ac dirigerent, ut moraliter posset adhibere sufficientem attentionem ad comparandam clariorem cognitionem Dei et actionum moralium, ut deinde moraliter posset adhibere diligentiam in observanda lege naturali secundum cognitionem iam acquisitam; quod si praestaret, Deus abundantioribus adiutoriis eum promoveret, et in praesenti ordine supernaturalis elevationis ei vel provideret externam revelationis doctrinam, vel gratiam externam suppleret interna extraordinaria illustratione. Ita certe docent s. Thomas et alii theologi. Illi nimirum huiusmodi homines in ordine ad divinam providentiam non spectant velut infantes rationis usu destitutos, de quibus baptismo praemorientibus quomodo sentiendum sit, explicatur in tractatu de voluntate Dei salvifica (tract. de Deo th. LIII.); sed considerant eos ut rationis satis compotes ad merendum ac demerendum, atque ideo capaces ac indigos gratiae actualis. Ad obiectionem, quod si fides explicita necessaria est ad salutem, consequen-

ter homo « nutritus in sylvis » careret necessariis ad salutem, hunc in sensum respondet s. Thomas. « Non sequitur inconveniens posito, quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in sylvis vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. *Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali,* certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret » S. Th. de Verit. q. 14. a. 11. ad 1; 3. dist. 25. q. 2. a. 1. sol. 1. ad 2. Eodem modo loquitur Hugo a S. Charo in Scholiis ad Rom. II. 12. « Sit aliquis nutritus in nemore ab aliqua bestia, et post fuerit ibi diu; talis nihil scit de Christo, talis videtur excusari... Respondeo, in talibus iudicia Dei abyssus multa; verumtamen quod nec talis excusatur, *quia habuit rationem naturalem, qui si secundum eam fecisset, quod in se esset,* Dominus contulisset gratiam. »

Ceterum de tota hac hypothesi status abnormis extra societatem homini connaturalem haec tenemus. *a*) Inepte assumitur talis conditio velut terminus comparationis ad iudicandum de naturalibus viribus humanae rationis; non secus ac si quis vim vegetalem et animalem discendam esse contenderet ex consideratione hominis inde ab infantia arctissimis vinculis toto corpore constricti. *b*) Explicatio rationis in huiusmodi hominibus erit varia pro diversa indole et pro diversis conditionibus externis, in quibus versantur. Quaecumque vero futura sit illa explicatio, hoc unum discere possumus, quod aliunde est certissimum, indigere hominem accommoda obiectorum cognoscibilium propositione, et pro diverso gradu magis minusve aptae propositionis diversos etiam esse gradus explicationis rationis, acquisitionis idearum et cognitionum. Si obiecta intellectui proposita essent paucissima et omnino uniformia, ut ante quinquaginta fere annos accidit misero illi iuveni Gaspari Hauser in Germania inde ab infantia tenebricoso carcere

incluso, et si inde homo reipsa maneret expers omnium idearum ordinis superioris, id non probaret absolutam necessitatem institutionis in societate humana ad eas acquirendas; sed solum demonstraret aliquam satis amplam requiri obiectorum propositionem. *c*) Inepte provocatur ad experientiam, qua probetur nullas posse acquiri ideas ordinis metaphysici, theologici, ethici citra institutionem in societate humana. Nam exempla tamquam termini comparationis sunt paucissima; si vero in illis etiam concederetur factum suppositum defectus omnium huiusmodi idearum, nondum probaretur non posse aut potuisse acquiri, cum praeter privationem institutionis multa sint, quae acquisitionem impedire potuerint. At probatio ipsa facti ex sola experientia haberi non potest; constat enim, recordationem idearum et cognitionum obscurarum et confusarum obliterari supervenientibus ideis claris ac distinctis; illorum ergo hominum posterius testimonium edicentium, se omnibus huiusmodi ideis fuisse destitutos, non pluris est quam nostra oblivio, quod non recordamur nostrarum idearum et cognitionum obscurarum ex prima pueritia.

III. *De revelationis et respondentis ei fidei supernaturalis necessitate ad assecutionem ultimi finis in ordine praesenti elevationis.*

1. Finis ultimus creaturae rationalis non potest esse constitutus nisi in cognitione Dei supremae veritatis et amore Dei summi boni ita, ut destinationi intellectus et voluntatis ad verum et bonum plene satisfiat, atque hoc ipso creatura suam ultimam perfectionem consequatur, et in suo ultimo fine veri et boni plene beata sit. Modus autem cognitionis et amoris finalis potest dupliciter se habere, *a*) ita ut exigentiam creatae naturae rationalis non excedat, sed eius viribus in ultima naturali perfectione constitutis sit accommodatus; *b*) ita ut supra exigentiam omnem naturae et facultatum naturalium per donum superadditum et per singularem participationem (assimila-

tionem) divini luminis quo Deus videt se ipsum, creatus intellectus elevetur ad divinam essentiam, infinitam veritatem intuitive in se ipsâ (non ideis aliunde comparatis) clare videndam ut in se est, et consequenter voluntas supernaturaliter elevata Deum infinitum bonum amet amore respondente intuitivae visioni; atque ita creatura *fruitione Dei supernaturali* beata sit. Priori modo spectatus finis ultimus creaturae est *finis naturalis,* supposita creatione consequens non ex libera Dei destinatione distincta et diversa a voluntate creante, sed ex necessario obiectivo ordine, ex necessariis nempe Dei perfectionibus et ex perfectione creaturae rationalis. Unde hic finis ex ipsa perfectione Dei quatenus in operibus creationis se manifestat, et ex perfectione creaturae rationalis, lumine rationis cognosci potest. Spectatus posteriori modo est *finis supernaturalis,* ad quem supposita etiam creatione potuit creatura non destinari, et ad quem non nisi libera Dei largitione elevata est; adeoque hic finis non nisi ex revelatione Dei per fidem a nobis cognosci potest.

Iam si creatura rationalis et, quoniam de homine solum nunc agimus, si homo constituitur in via ad illum terminum, necesse est ut status viae aliqua proportione respondeat statui termini; ut media quibus a Deo homo dirigitur ad finem, apta sint fini ad quem ordinantur; ut hominis dispositiones, quibus praeparatur fini assequendo, tum in intellectu tum in voluntate pertineant ad illum ordinem tamquam inchoatio, in quo est visio et fruitio finalis tamquam consummatio.

Quoniam igitur in ordine praesenti homo non est relictus in sua destinatione solum naturali, sed elevatus ad eum quem diximus, *finem supernaturalem*, et ad hunc in via constitutus; cognitio et cognitioni respondens dilectio naturalis non sufficit, sed cognitionem et dilectionem directam ad illum finem oportet esse supernaturalem in primis *subiective,* ratione principii elicientis ac virium, quae superadditae intellectui et voluntati constituant facultates idoneas ad actus supernaturales proportionatos illi fini. Tum vero *obiective* praeter manifestationem Dei in suis operibus creationis respondentem hominis fini naturali, re-

quiritur alia Dei manifestatio immediata respondens finali manifestationi facie ad faciem, in qua videbimus eum sicuti est. Haec autem manifestatio in via non est ita, ut Deum intueamur sicuti est; talis enim intuitio est finis, non medium et praeparatio ad finem; sed revelatio in via est per ipsius Dei testimonium, quo (ut ait s. Thomas 1. q. 1. a. 2.) veritas tamquam nota in scientia Dei nobis innotescat, cui proinde revelationi non iam visio sed *fides* respondet. « Est igitur triplex cognitio hominis de divinis. Quarum prima est, secundum quod homo naturali lumine rationis per creaturas in Dei cognitionem ascendit; secunda est, prout divina veritas intellectum humanum excedens, per modum revelationis in nos descendit, non tamen quasi demonstrata ad videndum, sed quasi sermone prolata ad credendum; tertia est, secundum quod mens humana elevatur ad ea quae sunt revelata, perfecte intuenda» S. Th. contr. gent. l. IV. c. 1.

2. Distinctius necessitas revelationis et respondentis ei fidei supernaturalis in hypothesi elevationis ad finem supernaturalem considerari potest tam secundum ipsum finem quam secundum media fini proportionata.

a) Finis ipse supernaturalis ad quem homo rationali modo dirigendus esset, erat ei necessario cognoscendus, nec cognosci nisi per revelationem et revelationi respondentem fidem potuit. Insuper sin minus absolute necessarium certe naturae ipsius finis valde conveniens erat, ut homo Deum finem suum *obiectivum* in termino possidendum fruitione immediatae visionis et respondentis amoris, iam in via ad hunc finem cognosceret secundum perfectiones etiam illas, quae ex operibus creationis lumini rationis non manifestantur; non solum secundum « notum Dei » Rom. I. 19. quod per se respondet fini naturali, sed etiam secundum « profunda Dei » 1. Cor. II. 10, quae respondent fini supernaturali, ubi « videbimus Deum, sicuti est, » et « cognoscemus, sicut et cogniti sumus. » Haec autem profunda Dei sicut sola supernaturali et immediata visione innotescere possunt ad *intelligendum*, ut in se sunt; ita solo testimonio Dei et

revelatione possunt innotescere ad *credendum* (1). Hinc etiam postquam revelata sunt fidei nostrae, non tamen lumine intellectus in se ipsis ex sua propria ratione intelliguntur, quia cum creaturis, ex quibus intellectus suas cognitiones accipit, non ita habent nexum intestinum, ut intellectus sive eorum essentiam *quid sint*, propriis notionibus perspicere, sive existentiam *an sint*, ex suis principiis demonstrare valeat. Ideo veritates sunt simpliciter superrationales, quae proprio sensu appellantur *mysteria* (vide tract. de Trin. th. XVII).

b) Media ad finem supernaturalem ordinata eidemque proportionata, atque adeo saltem in formali ratione mediorum sunt *supernaturalia*. Patet horum cognitionem homini tendenti ad finem esse necessariam; attamen nisi per revelationem et fidem innotescere non poterant. Nam partim sunt non ex sese et ex natura finis necessaria, sed libera Dei voluntate in ratione mediorum constituuntur, hocque ipso manifestum est, quod dicimus. Partim sunt quidem necessaria ex sese et ex natura finis; at primo finis ipse non nisi revelatione cognoscitur, unde cognitio mediorum ultimo

(1) « Est autem duplex hominis bonum ultimum... quorum unum est proportionatum naturae humanae, quia ad ipsum obtinendum vires naturales sufficiunt... aliud est hominis bonum naturae humanae proportionem excedens, quia ad ipsum obtinendum vires non sufficiunt, nec ad cogitandum vel desiderandum; sed ex sola liberalitate homini repromittitur 1. Cor. II. 9... Nihil autem potest ordinari in aliquem finem, nisi praeexistat in ipso quaedam proportio ad finem... Unde oportet etiam, quod ad hoc quod homo ordinetur in bonum vitae aeternae, quaedam inchoatio ipsius fiat in eo, cui repromittitur. Vita autem aeterna consistit in plena Dei cognitione Io. VIII. 3. Unde oportet huiusmodi cognitionis supernaturalis aliquam inchoationem in nobis fieri, et haec est per fidem, quae ea tenet ex infuso lumine, quae naturalem cognitionem excedunt » S. Th. de Verit. q. 14. a. 2. cf. a. 10.

Obiter animadverte, quam clarum sit ex hisce verbis, s. Thomam quoties loquitur de desiderio naturali videndi Deum, intelligendum esse loqui ex supposita revelatione et ordinatione ad hunc finem supernaturalem, vel agere non de desiderio *naturali* visionis beatificae, qualis nobis promissa est, sed de desiderio *elicito et inefficaci*, quo homo *in confuso* vellet cognoscere Deum, sicut in se est. Quomodo enim Angelicus censuisset *naturale* desiderium illius finis, ad quem ne cogitandum quidem et desiderandum vires naturae sufficere diserte docet?

nititur revelatione; deinde quoniam natura finis etiam supposita revelatione non cognoscitur in sua propria ac intestina ratione, non est consequens, ut revelato fine iam sine explicita et speciali revelatione cognoscatur necessitas talium mediorum, quantumvis ex sese pertinentium ad talem finem; multo vero minus est consequens, ut intelligatur insita ratio ac natura mediorum (1).

Quae diximus, confirmantur verbis summi Pontificis Pii IX. in litteris ad Archiepiscopum Monachiensem (11. Dec. 1862), ubi postquam locutus est de rebus fidei superrationalibus, subdit continuo: « atque ad huiusmodi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant, quae supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et sane cum haec dogmata sint supra naturam, idcirco naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt. »

Constat igitur supposito ordine elevationis ad finem supernaturalem, fuisse humano generi simpliciter necessariam aliquam revelationem mysteriorum fidei, saltem ipsius finis supernaturalis; et fuisse necessariam revelationem in ea extensione, qua Deus voluit *ratione obiecti* inchoatam cognitionem « profundorum Dei » in via respondere visioni in patria, cognitionem « in aenigmate » sperandae visioni « facie ad faciem. » Quae necessitas revelationis ut medii et principii obiectivi ad cognitionem illarum veritatum absoluta, atque ut dici solet *physica* censeri debet, quoniam mysteria sunt supra ambitum luminis naturalis, et proinde simpliciter desunt rationi vires ad ea ex suis principiis cognoscenda.

3. At erraret omnino, qui factum ipsum vel necessita-

(1) Possunt media ita esse comparata, ut proprio sensu superius indicato adnumerentur *mysteriis;* possunt vero etiam ita se habere, ut postquam revelata sunt, secundum suam insitam rationem et naturam intelligantur (quo pertinent e. g. plures notae ac proprietates Ecclesiae, primatus Romani Pontificis etc.). Posterioris ordinis dogmata possunt dici supra rationem *veritate existentiae,* sicut priora sunt supra rationem *veritate tum existentiae tum essentiae.*

tem revelationis ad solas veritates per sese superrationales seu proprie dicta mysteria restringeret. Alia quidem sed tamen verissima in praesenti ordine est necessitas revelationis etiam quoad eas veritates ad religiosam ac moralem doctrinam pertinentes, quae per se vires rationis non transcendunt.

Sine dubio tam de Deo qui omnium creatorum ultimus finis est etiam in ordine naturali, quam de mediis necessariis ad hunc finem multa lumine rationis humanae citra revelationem per se loquendo intelligibilia sunt, ut Dei existentia et attributa absoluta, naturalis hominis ordinatio ad Deum, lex naturalis, quae ideo in se simpliciter sunt *veritates rationales*. Quaeritur ergo, quae sit necessitas revelationis et fidei quoad has veritates. Dicimus necessitatem esse triplicem: ex nexu harum veritatum cum superrationalibus; ex modo quo cognoscendae sunt; ex ipsa necessitate cognitionis simpliciter et (ut loquuntur) quoad substantiam spectatae.

a) Essent hae veritates cognoscendae etiam in hypothesi, quod finis tantum naturalis homini praestitutus esset, unde dici solent constituere religionem naturalem. Iam vero sicut finis hominis supernaturalis non est negatio sed elevatio finis naturalis, ita etiam religio naturalis per religionem supernaturalem revelatam non exclusa, sed ad superiorem ordinem elevata censeri debet. Unde veritates huiusmodi in ipsa revelatione veritatum superrationalium et praeterrationalium saltem implicite revelatae continentur; non ergo possunt hae revelari, quin et illae revelatae sint.

b) Omnes huiusmodi veritates, quatenus iam referuntur ad finem hominis supernaturalem, cognoscendae sunt modo proportionato fini adeoque cognitione supernaturali. Quia vero modus proprius supernaturalis cognitionis in via est fides, vel saltem habet fidem pro fundamento (1); ideo etiam

(1) Utrum rationalis cognitio Dei et ordinis moralis ex obiectiva naturali manifestatione per creaturas etiam ante fidem in ordine praesenti sit supernaturalis per illustrationem supernaturalis gratiae, disputatio aliqua est inter theologos; plurimi graves doctores negant. Certum est, talem cognitionem Dei non sufficere ad iustificationem; da-

hae veritates fide credendae sunt, ac proinde ut modus cognitionis nostrae responderet fini, etiam harum revelatio divina erat necessaria.

c) At non solum spectato modo supernaturali cognitionis, sed etiam cognitione simpliciter per se spectata debet in praesenti ordine affirmari necessaria revelatio veritatum licet per se rationalium, quae brevitatis causa possumus dicere veritates religionis naturalis. Non est sermo de veritatibus omnibus rationalibus, quas omnes in complexu spectatas a nemine cognosci posse sine charismate extraordinario tam evidens est, ut mirum sit a theologis argumenta conquiri ad probandam thesim, qua statuunt « neminem sine gratia posse assequi omnes veritates naturales in complexu. » Sermo nobis est de veritatibus theoreticis et practicis religiosis ac moralibus per se rationi humanae non imperviis. Porro de his ipsis non quaeritur, utrum omnes in complexu ab omnibus ac singulis hominibus solo rationis lumine possint cognosci; id enim nec necessarium est, et fieri moraliter non posse, fere aeque evidenter constat ac illud, quod paulo ante diximus. Postremo neque quaeritur, ad quas veritates singuli rationis lumine absque revelatione possent et deberent pertingere, ita ut ignorantia ceterarum excusaretur in illis tamquam invincibilis; haec enim invincibilitas ignorantiae in maiori vel maxima parte hominum quoad veritates per se necessarias licet singulos posset excusare a peccato, esset tamen ipsamet ratio, cur revelatio veritatum etiam rationalium *humano generi* censeri deberet necessaria. Status itaque quaestionis hic est, utrum in praesenti ordine veritates rationales religiosae et morales humano generi in communi spectato sufficienter manifestatae censeri possint per lumen rationis ita, ut ad substantiam cognitionis consequendam revelatio non sit necessaria. Quae sit et quae non sit necessitas revelationis ita spectatae, ex certis principiis declaratur.

mnata est enim a s. Sede haec propositio: « Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustificationem sufficit » (Prop. 23. inter damnatas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679.).

α) Revelatio eo, quo diximus, modo considerata est *adiutorium* quoddam ad cognitionem veritatum; gradus autem necessitatis adiutorii ad actum respondet gradui impotentiae in subiecto ad actum eundem. In humano genere non est *impotentia physica* ad veritates rationales assequendas; ideo enim dicuntur rationales, quia vires rationis humanae eas assequi possunt; ergo spectata solum substantia cognitionis, i. e. abstrahendo a modo supernaturali cognitionis qui in praesenti ordine requiratur, non esset quoad has veritates rationales *necessitas physica* revelationis. Attamen saltem pro maxima parte hominum adeoque pro genere humano in communi spectato ad assequendas has veritates debito tempore, sufficienti amplitudine, sufficienti claritate et plena certitudine, sine admixtione errorum, difficultates tantae sunt, ut pro more modoque quo homines in huiusmodi difficultatibus semper agunt, potentia physica saltem in maxima parte hominum sine speciali adiutorio numquam ad actum secundum talis cognitionis perventura sit. Difficultates ita comparatae constituunt *impotentiam moralem*. Impotentiae morali respondet moralis necessitas adiutorii. Ergo in praesenti conditione humani generis ad sufficientem illam veritatum etiam rationalium cognitionem est *moralis necessitas* adiutorii specialis. Quamvis porro adiutoria sufficientia plura divinae omnipotentiae praesto essent; ubi unum prae aliis omnibus possibilibus elegerit, illud sane debet dici adiutorium necessarium. Cum ergo Deus prae aliis adiutoriis in praesenti ordine elegerit revelationem, revelatio etiam quoad has veritates rationales, spectata cognitione simpliciter et secundum substantiam, debet dici humano generi in praesenti ordine *moraliter necessaria*.

β) Scriptura ipsa in locis, quibus docet manifestationem Dei pro lumine rationis per ea quae facta sunt (vide tract. de Deo th. II. sqq.), distinguit ubique possibilitatem cognitionis ipsamque actualem aliquam cognitionem imperfectam a facto cognitionis sufficientis ad cultum Deo naturaliter debitum exhibendum. Possibilitatem affirmat; sed simul docet, universim homines (sua utique culpa) ad ta-

lem sufficientem cognitionem et ad practicam applicationem non pervenisse, atque huic infirmitati et indigentiae tamquam salutarem ac necessariam medicinam opponit misericors Dei auxilium per revelationem, quae in praesenti ordine utique etiam prae his veritatibus per se naturalibus datur ad finem supernaturalem. «Nam quia in Dei sapientia (effusa super omnia opera eius) non cognovit mundus per sapientiam (per sapientiam humanam, qua potuisset et debuisset cognoscere) Deum; placuit Deo (εὐδοκησεν ὁ θεος misericorditer decrevit Deus) per stultitiam praedicationis salvos facere credentes » 1. Cor. I. 21. (1); Act. XIV. 15; XVII. 30; Sap. IX. 14-19.

Causae ex quibus oritur *moralis illa impotentia* et consequenter respondens ei *moralis necessitas* revelationis, declarari solent verbis notissimis s. Thomae 1. q. 1. a. 1; 2. 2. q. 2. a. 4; Verit. q. 14. a. 10. Θ; contr. gent. l. I. c. 4. « Necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea quae sunt supra rationem, sed etiam ea quae per rationem cognosci possunt; et hoc propter tria. Primo quidem..... scientia ad quam pertinet probare Deum esse, et alia huiusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda

(1) « Quia mundus, id est mundani non cognoverunt Deum *per sapientiam* ex rebus mundi acceptam; et hoc *in Dei sapientia,* divina enim sapientia faciens mundum sua indicia in rebus mundi instituit, secundum illud Ecclesi. I. 10: *effudit illam super omnia opera sua;* ita quod ipsae creaturae per sapientiam Dei factae se habent ad Dei sapientiam, cuius indicia gerunt, sicut verba hominis ad sapientiam eius, quam significant. Et sicut discipulus pervenit ad cognoscendum magistri sapientiam per verba, quae ab ipso audit; ita homo poterat ad cognoscendum Dei sapientiam per creaturas ab ipso factas inspiciendo pervenire secundum illud Rom. I. 20: *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed homo propter sui cordis vanitatem a rectitudine divinae cognitionis deviavit; unde dicitur Ioan. I. 10: *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Et ideo Deus per quaedam alia ad sui cognitionem salutiferam fideles adduxit, quae in ipsis rationibus creaturarum non inveniuntur... Et huiusmodi sunt fidei dogmata. Et est simile sicut si aliquis magister considerans sensum suum ab auditoribus non accipi per verba quae protulit, studeat aliis verbis uti, per quae possit manifestare, quae habet in corde » s. Thomas in 1. Cor. I. Lect. III.

proponitur praesuppositis multis aliis scientiis, et sic non nisi post multum tempus vitae suae homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundo ut cognitio Dei sit communior; multi enim in studio scientiae proficere non possunt.... Tertio propter certitudinem; ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens.... Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta qui mentiri non potest » S. Th. 2. 2. 1. c. Conferenda est th. VI. tract. de Deo, ubi n. III explicatum etiam reperies, quomodo s. Thomas aliquando « de facili, » aliquando non nisi « magno labore » Deum cognosci posse affirmet.

4. Omnia itaque quae de necessitate revelationis ac fidei supernaturalis pro praesenti ordine elevationis hac paragrapho dicta sunt, ad hanc summam rediguntur. Modus proprius supernaturalis cognitionis tendentium ad finem supernaturalem visionis Dei in praesenti ordine est fides. Veritates revelatae verbo Dei sunt in triplici differentia, veritates scilicet simpliciter *secundum existentiam et essentiam* superrationales, superrationales *secundum existentiam,* per se *rationales*. Unde *ad modum supernaturalem* cognitionis, h. e. ut fide divina apprehendantur veritates, earum omnium revelatio erat necessaria; ut exstet sufficiens earum manifestatio, ac proinde ut cognitio simpliciter *quoad substantiam* (abstractione facta a modo) locum habere possit, revelationis *necessitas absoluta* est in veritatibus primi et secundi ordinis, *necessitas moralis* pro humano genere in communi spectato quoad veritates tertii ordinis. Obiectorum primi ordinis etiam supposita revelatione nec *existentia* ex solis principiis rationalibus demonstrari, nec *essentia* (το τι ἡν ἐιναι seu *quidditas*) ideis propriis, sed analogicis tantummodo apprehendi potest; obiectorum alterius ordinis *existentia* quidem non nisi ex revelatione certo demonstratur, sed *essentia* (quid sint) notitiis propriis intelligi potest; obiectorum tertii ordinis *existentia* etiam ratione demonstrari potest, licet *essentia* aliquando ideis solum analogicis apprehendatur. Vide Concil. Vaticani Constit. de Fide cap. 2.

Corollarium 1. Pro omni intellectu finito qui non comprehendit omnem veritatem, absolute loquendo potest locum habere *fides* propter testimonium Dei, intellectus infiniti comprehendentis omnem veritatem. In praesenti ordine, ubi fides divina est praeparatio ad visionem beatam tamquam via ad terminum, fides evacuabitur in visione, sicut inchoatio quatenus est aliquid imperfectum et in potentia ad perfectionem, desinit succedente perfectione 1. Cor. XIII. 10. sqq. cf. S. Th. de Verit. q. 14. a. 10. ad 8.

Corollarium 2. Comparatione instituta inter scientiam et fidem, si sunt in eodem ordine, scientia magis perficit intellectum quam fides; si autem fides est superioris ordinis, ex ea maior oritur intellectui perfectio quam ex scientia inferioris ordinis. « De rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert; et ideo quamvis ea quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercumque teneat fide» S. Th. contr. Gent. l. I. c. 5. Id si verum est ratione nobilitatis obiectorum, multo magis fide quae tum habitu tum actu supernaturalis est, inhaerendo primae veritati anima perficitur supra scientiam naturalem.

IV. *De necessitate revelationis et fidei naturalis pro hypothesi purae naturae, utrum ea ex hactenus dictis consequatur.*

Ex antecedentibus videri posset consequi, revelationem etiam supposito fine solum naturali fore humano generi necessariam *necessitate morali.* Quod si concedatur, ulterius inferendum esse videbitur, revelationem immediatam Dei non esse supernaturalem, utpote debitam humanae naturae ex ipsa creatione et destinatione essentiali ad suum finem naturalem; vel si nihilominus revelatio dicitur supernaturalis, concedendum videbitur, statum purae naturae fore talem, ut in eo humano generi consecutio finis naturalis esset moraliter impossibilis. Hoc autem posito status huiusmodi spectatis perfectionibus divinis dicendus esset simpli-

citer impossibilis, cuius tamen possibilitas negari non potest sine perturbatione distinctionis inter ordinem naturalem et supernaturalem (1).

(1) Non desunt aliqui catholici, qui asserant Deum potuisse quidem hominem condere mortalitati ac concupiscentiae subiectum, si sola consideretur absoluta Dei potentia, sed non potuisse *ex decentia* (Noris Vindic. s. Augustini c. 3. §. 3. Op. T. I. p. 923.). Hanc vero *decentiam* explicant distinguendo potentiam Dei *absolutam* et *ordinatam*. Potentia *absoluta* Deus potest facere, quidquid in suo conceptu entis non involvit contradictionem, atque id solum non potest, quod non habet rationem *entis*; potentia vero *ordinata* Deus non potest facere, quod licet habeat rationem *entis*, repugnat tamen divinis perfectionibus, puta sanctitati vel iustitiae. Iuxta hanc distinctionem Bellellius ait: « nulla impossibilitas aut repugnantia relate ad potentiam emergit, quin ad tartara Beatum quemlibet detrudere possit Deus, aut damnatos quotquot inde libuerit, ad coelum trahere. Sed id iustitiae repugnat; nam repugnantia ex iustitiae legibus sobolescit » (Mens Augustini etc. T. II. ad Propos. LXX. §. 2.). Iam hoc modo dicunt repugnare non quidem potentiae sed sanctitati ac iustitiae divinae creationem hominis in statu purae naturae subiecto concupiscentiae. « Neque instent, ait Noris, damnatam esse hanc Baii propositionem (55^{am}.): *non potuisse Deum condere ab initio hominem, qualis modo nascitur.* Nam reponitur cum Gregorio Ariminensi (1. dist. 42. q. 1. a. 2. ad argum. cont. 2. conclus.): *Deus non potest de iustitia, quae potest de potentia.* Ita nulla est impossibilitas Iudam in coelum trahi; sed id contra Dei iustitiam est. Quare licet sit possibile potentiae, non est possibile iustitiae talem condi hominem, qualis modo nascitur; in priori vero tantum sensu qui negat, cum damnata Baii propositione sentit. Et certe, uti superius dicebamus, Deus ab initio non potuit condere hominem cum peccato originali, cum quo modo nascitur » Noris l. c. p. 931. At Baius l. de Peccato origin. c. 5, unde illa propositio desumpta est, *hominem qualis nunc nascitur,* intellexit obnoxium concupiscentiae, atque ita condi potuisse negat, quia concupiscentia est malum et vitium naturae corruptae, atque ideo sanctitati et iustitiae Dei repugnaret hominem condere obnoxium concupiscentiae. Non dicimus eandem ex integro esse sententiam Norisii ac Baii; hic enim ipsam concupiscentiam dixit esse peccatum damnabile, quod Norisius negat (l. c. p. 924.); verum si immunitas a necessitate moriendi et a concupiscentia ita pertinet ad bonum naturae humanae, ut (supposita creatione) Deus sine iniustitia homini innocenti illam negare non posset, profecto ea sunt bona omnino naturalia et debita secundum exigentiam naturae. Porro eodem sensu dicunt, potentia Dei ordinata (h. e. spectatis perfectionibus Dei sapientissimi provisoris) hominem rationalem factum ad imaginem Dei non potuisse non destinari ad visionem Dei intuitivam, qualis nobis in revelatione promittitur; ac proinde eadem ratione debitas fuisse

1. Ad hanc difficultatem solvendam remque totam declarandam oportet prae oculis habeatur notio, quid sit donum supernaturale. Supernaturale est, quidquid supposita creatione superat exigentiam ac vires naturae (sensu theologico acceptae, ut est complexus substantiarum creatarum et accidentium, quae eis ex sese conveniunt); naturae inquam totius exigentiam et vires superat vel in se ontologice spectatum (entitative et quoad substantiam dicunt), vel quoad modum quo efficitur et confertur. Potest itaque donum tripliciter se habere.

a) Potest esse donum huiusmodi, ut *ontologice in se superet exigentiam naturae,* adeoque *creaturam perficiat ultra totum ordinem naturae.* Quemadmodum enim sunt in natura ipsa gradus diversorum ordinum toto genere differentium a substantia materiali inorganica et eius accidentibus usque ad purum spiritum, ita est ordo aliquis communicationis divinae et consortii divinae naturae superior omnibus ordinibus naturalibus. Secundum haec intelliguntur illae definitiones theologorum, quorum alii supernaturale dicunt, quod est in *ordine divino* constitutum, alii quod *participat divinam naturam* ut est in se, alii quod pertinet ad *ordinem intuitivae visionis Dei* (vide Ripaldam de Ente supernat. disp. IV. sect. 3. n. 22.). Huc pertinent imprimis ipsa visio beatifica, et deinde dona omnia illi proportionata tamquam inchoatio et praeparatio ad consummationem. Haec est a ss. Patribus praedicata deificatio (θειωσις) per gratiam, et adoptio filiorum per intimam transformationem ac impressionem similitudinis cum Deo, et per inhabitantem Spi-

docent gratias, sine quibus homo ad illum finem pertingere non potuisset. Vide Laurentium Berti de theolog. disciplin. T. II. Append. ad l. XII. At quomodo cum hisce sententiis ratio ordinis vere supernaturalis, qui nempe est supra exigentiam totius naturae creatae, adhuc concipi ac defendi possit, ingenue fateor, me non intelligere. Iam vero tota ista doctrina non est aliud quam per partes distincta negatio possibilitatis *purae naturae,* et vicissim affirmatio huius possibilitatis non est aliud quam compendiosa negatio totius istius doctrinae. Quare patet, genuina notio et solida vindicatio *possibilis status naturae purae* quanti sit momenti ad declarandam ac defendendam veram rationem ordinis supernaturalis nostris temporibus multipliciter perturbatam ac impugnatam.

ritum Sanctum, qui datus est nobis. Vide tract. de Trin. th. XLIII. Cum hac gratia nectuntur vel ad eam referuntur alia dona et adiutoria et charismata et virtutes et actus sive ut dispositiones sive ut effectus et consectaria. Praeter haec ontologice supernaturalis in supremo, licet diverso, ordine est humanae naturae Christi unio hypostatica, et quidquid cum ea intrinsecus cohaeret.

b) Potest esse donum indebitum et ultra exigentiam naturae, quod ex nullis quidem principiis naturae aut consequitur aut exigitur, non tamen elevat naturam ad superiorem illum ac divinum ordinem. Haec dici possunt dona *praeternaturalia* vel *supernaturalia secundum quid,* vel ab aliis dicuntur *supernaturalia quoad modum,* quamvis haec appellatio aptius servabitur modo donorum, de quo statim dicemus. Ita *secundum quid supernaturalis* esset habitualis exemptio ab imperfectione consequente ex principiis naturae, quae exemptio fieret a Deo non per qualitatem infusam in se supernaturalem sed solum naturalium facultatum contemperatione et directione, idque in natura totius speciei. Quo modo supernaturalis erat status integritatis (1) (immunitas a concupiscentia et a necessitate moriendi) in natura humana.

c) *Supernaturale* solum *quoad modum* est, quod in se quidem naturale efficitur tamen modo, qui superet exigentiam et vires naturae, ut sunt plurimi effectus miraculosi proprie dicti.

Porro supernaturale distingui praeterea potest in id, quod *intrinsecus,* et quod solum *extrinsecus* supernaturale est. Illud prius est supernaturale in se aliquo ex tribus modis indicatis, hoc alterum erit, quatenus ex divina voluntate ad finem supernaturalem ordinatur. Quare in praesenti ordine etiam bona naturalia sunt extrinsecus supernaturalia; unde patet, id quod solum extrinsecus supernaturale est, simpliciter et proprio sensu non esse superna-

(1) Si nempe status integritatis et originalis iustitiae (rectitudinis) per se spectetur, praecisione facta ab eius fundamento congruentiae, quod in primis parentibus erat sanctitas simpliciter et ontologice supernaturalis.

turale. Contra vero in alio ordine etiam praeternaturalia et supernaturalia *quoad modum*, possent dirigi ad finem naturalem adeoque non esse etiam extrinsecus supernaturalia.

Insuper ex dictis colliges, non ideo iam aliquid esse supernaturale, quia est beneficium indebitum et gratuitum ei cui confertur, nisi simul sit supra exigentiam et supra vires totius naturae. Qui secus existimaret, is pleraque bona animi et corporis quin et bona externa supernaturalia dicere deberet, eo fere modo quo Pelagiani dona naturalia, imo naturam ipsam humanam nomine *gratiae* appellabant, quo nulla maior ordinis utriusque confusio excogitari posset (vide Ripaldam l. c. disp. I. sect. 4. n. 27.).

2. Cum statu et donis supernaturalibus hactenus declaratis comparandus est status purae naturae.

Pura natura dicitur in oppositione tum ad naturam integram per dona *supernaturalia secundum quid*, tum ad naturam elevatam per dona *supernaturalia simpliciter;* intelligitur ergo natura absque omnibus hisce donis, instructa solis donis cohaerentibus cum interna exigentia et cum internis principiis ac viribus ipsius naturae. Esset ergo imprimis natura destinata ad finem naturalem cognitionis et amoris Dei secundum naturae exigentiam. Esset sub providentia Dei creatoris et ultimi finis naturalis, qua ad hunc finem suum dirigeretur. Deus creans ad hunc finem, infinite sapiens et infinite bonus, qui nihil odit eorum quae fecit (Sap. XI. 25.), voluntate antecedente vellet omnes homines pervenire ad suum finem; eoque ipso praeparasset media sufficientia, quibus assecutio finis redderetur *moraliter possibilis.* Quia finis longe alius esset quam in praesenti ordine supernaturali, etiam media ad finem aliter se haberent, ac proinde alius esset ordo providentiae. Media responderent omnia indoli ipsius finis formalis (cognitionis et amoris naturalis), et insitae indoli naturae humanae compositae (animalis rationalis). Adiutoria externa multiplicia ad aptam obiectorum propositionem, ad insuperabilium difficultatum remotionem; adiutoria interna per honestas cogitationes et affectiones excitatas ab ipsis obiectis propo-

sitis sufficientem Dei ac legis naturalis cognitionem, et legis adimpletionem redderent moraliter possibilem, ut homines finem suum naturalem assequi possent. Neque esset supernaturale donum, si Deus in hominibus pro specialibus adiunctis operatione immediata excitaret bonas cogitationes affectionesque naturales et eiusdem rationis, cuius sunt affectiones excitatae per repraesentationem obiectorum; imo nec supernaturale donum esset, si Deus sub conditione contritionis naturalis in illo statu vellet remittere peccata commissa. Quamvis enim haec essent singulis personis beneficia gratuita, non tamen excederent pro tota natura naturalem providentiam Dei dirigentis homines ad suum naturalem finem. Unde in illo statu sine dubio locum haberet etiam impetratio beneficiorum a divina misericordi providentia tum per orationem tum per bona opera ordinis naturalis. Nec valet obiectio, quod beneficia haec sunt indebita et eo ipso supernaturalia. Nam quod naturalia dicuntur debita naturae, profecto non est ita intelligendum, ac si Deus obligaretur humanae naturae; sed nomine *debiti* intelligitur tum *exigentia connexionis* ex principiis insitis naturae, tum *exigentia necessitatis*. Unde si moralis necessitas horum subsidiorum ad finem naturalem obtinendum consideretur in relatione ad providentiam Dei infinite boni dirigentis ad hunc finem, huiusmodi adiutoria quae utique in se et ontologice non essent supernaturalia, essent in illo statu secundum exigentiam naturae et simpliciter naturalia; atque adeo neque *quoad modum supernaturalia* censeri possent ita, ut per illa status desineret esse *purae naturae*. Quamvis enim *singulis* concederentur gratuito, esset tamen in natura humana pro sua ad finem naturalem destinatione moralis quaedam eorum exigentia, quod satis est iuxta superius dicta, ut quae sunt (ex hypothesi) ontologice naturalia, neque *quoad modum* stricto sensu supernaturalia censeri possent. Vide Suarez de Gratia Prolegom. IV. c. 2. n. 15. et in 1. 2. disp. XV. sect. 2. n. 11; Ripaldam de Ente supernat. disp. I. n. 27; disp. V. n. 17. 31; disp. CXIV. n. 26–29; disp. CXVI.

3. Nunc tandem ex praestitutis notionibus ad ipsam quaestionem initio propositam de revelatione veniendum est.

a) Intelligitur ex dictis, revelationem *veritatum superrationalium* esse in se et ontologice supernaturalem, quia non solum modus talis manifestationis, sed etiam manifestatio ipsa talium veritatum est supra exigentiam totius naturae. Id patet tum ex eo, quod principia naturae cognitionem veritatum simpliciter superrationalium non exigunt; tum eo magis constat, quod tali revelationi sin minus ex intestina necessitate saltem ex magna convenientia *fides supernaturalis* respondere debeat, ac proinde cum tali gratia externa connexa sit supernaturalis gratia interna, atque hinc porro etiam destinatio ad finem supernaturalem. Ubi ergo talis datur revelatio, ibi iam non est status *purae naturae,* sed status ordinis supernaturalis.

b) Revelatio *veritatum rationalium* per se spectata est saltem *quoad modum* supernaturalis; licet enim manifestatio et cognitio talium veritatum non sit supra exigentiam naturae, est tamen supra exigentiam *talis modus* manifestationis. Hoc ipso etiam acquisitio cognitionis, quae supponitur esse per externam revelationem et per actus internos naturales, deberet dici supernaturalis *quoad modum.* In praesenti autem ordine et ut re ipsa facta est, certe etiam haec revelatio est simpliciter et ontologice supernaturalis, quatenus intestinam habet relationem ad actum fidei supernaturalem, et tota directa ad finem hominis supernaturalem est unum ex elementis constituentibus hunc ordinem in se et ontologice supernaturalem. In alio providentiae ordine, ubi finis solum naturalis praestitutus esset homini, posset quidem huiusmodi revelatio veritatum rationalium locum habere tantummodo ut adiutorium ad assecutionem finis naturalis; ipsa tamen in se, utpote supra exigentiam naturae, esset supernaturalis saltem *quoad modum,* atque ideo talis status non esset simpliciter *purae naturae,* sed *secundum quid* supernaturalis (1).

(1) Non possumus consentire iis, qui docent hanc revelationem per se et pro natura immuni a peccato pertinere tamquam elementum necessarium ad providentiam naturalem, et « solum supposita turbatione ordinis per peccatum, et quatenus est extraordinarius modus collationis bonorum naturalium, posse dici supernaturalem quoad modum. » Hac in

c) Iam ex his omnibus colligitur, cur in praesenti ordine revelatio veritatum etiam per se rationalium sit necessaria et tamen supernaturalis, in statu autem purae naturae necessaria non esset; et si necessaria affirmaretur, eo ipso negaretur esse supernaturalis. In ordine scilicet praesenti necessaria est imprimis, quia cognitio debet esse supernaturalis, ut superius declaravimus (p. 615. 616.). Deinde est pro humano genere necessaria *necessitate morali* etiam ad cognitionem sufficientem harum veritatum simpliciter et in se spectatam, abstrahendo a modo cognoscendi supernaturali, quia in ordine praesenti Deus humano generi in communi *sufficientem* cognitionem harum veritatum non aliis adiutoriis naturalibus citra revelationem, sed per ipsam revelationem reddere voluit *moraliter possibilem;* adiutoria autem remota alia quae singulis impertit, eo diriguntur, ut homines ad cognitionem revelationis et in hac ad proportionatam huic supernaturali statui *cognitionem fidei* perducantur. Contra vero in statu *purae naturae* licet insitae vires naturales essent eaedem, quae nunc sunt, providentia tamen Dei in directione huius naturae esset alia, respondens scilicet praestituto fini naturali, ut adeo adiutoriis naturalibus finis assecutio redderetur moraliter possibilis. In his adiutoriis naturalibus proinde continerentur maxime illa, quae ad sufficientem religionis naturalis cognitionem praepararent ac perducerent, ut haec *humano generi* redderetur moraliter possibilis. Sine dubio igitur falluntur, qui praesentem ordinem providentiae cum statu *purae naturae* ita comparant, ut statum praesentem considerent detractis omnibus auxiliis supernaturalibus et nullis substitutis aliis, quam quae nunc sunt, adiutoriis naturalibus; tum vero talem fore statum *purae naturae* sibi persuadent. Hoc posito sane consequens est, ut revelatio veritatum rationalium, sicut nunc est *moraliter necessaria* humano generi ad solam substantiam sufficientis cognitionis, ita etiam moraliter necessaria existimetur pro statu *purae*

sententia talis revelatio omnino et simpliciter ingrederetur etiam constitutionem *status purae naturae,* quod nos non concedimus. Cf. cl. Denzinger de Cognit. relig. T. I. p. 117.

naturae; unde sequitur, vel talem revelationem esse naturalem et secundum exigentiam naturae, vel, quod fere eodem recidit, statum *simpliciter purae naturae* impossibilem esse secundum sapientem et benignam Dei creatoris providentiam. At si prae oculis habeatur diversa in utroque statu providentia modo declarata, tota haec difficultas desinit. Vide Ripaldam l. c. disp. CXIV.

CAPUT IV.

DE ACTU FIDEI DIVINAE.

I. *Notio rei, quid sit analysis actus fidei.*

1. Omnis assensus nostri intellectus est vel *immediatus,* ubi veritas obiectiva ex se ipsa non autem per aliam veritatem praecognitam intellectui manifestatur, vel est assensus *mediatus,* ubi veritas manifestatur non per se ipsam, sed per aliam veritatem praecognitam. Cognitio igitur veritatis *mediata* eatenus solum locum habere potest, quatenus nititur veritate alia praecognita tamquam principio; adeoque nisi aliqua sit veritas *immediate cognita,* cui ut principio innitantur cognitiones sequentes *mediatae,* nulla omnino cognitio (per iudicium) locum habere potest (vide supra cap. II.). Declaratio, quaenam sit in singulis cognitionibus *mediatis* veritas illa *immediate cognita,* est et dicitur *resolutio cognitionis in sua principia.*

Omnis fidei proprie dictae assensus est necessario *mediatus,* adeoque nixus altero assensu *immediato* in veritatem aliquam, quae est principium seu *obiectum formale,* propter quod assensus fidei praestatur (supra cap. II. §. III.). Inquisitio igitur et determinatio veritatis *immediate cognitae,* cui non amplius propter aliud distinctum motivum formale praestatur assensus, et quae est *motivum formale* assensus fidei divinae, dicitur *analysis actus fidei* seu *resolutio assensus fidei in sua principia (intestina).*

2. Veritas revelata quam credimus, e. g. tres esse personas divinas, est *obiectum materiale fidei.* Assensus in veritatem revelatam innititur veritati alteri praecognitae. Haec autem est duplex: *a*) quod Deus est infallibilis in cogno-

scendo et in revelando (infinita scientia et veracitas, quae ut infinita maiestas et dignitas cui debeatur assensus, appellatur uno verbo *auctoritas Dei*); et *b*) quod Deus hanc veritatem credendam e. g. Trinitatem personarum revelavit. Utrumque complexum dicitur et est *auctoritas Dei revelantis*. Haec igitur *auctoritas Dei revelantis* est ratio, propter quam creditur, seu est *obiectum formale* fidei divinae.

Omnis ergo actus fidei divinae necessario includit assensum in tres veritates inter se distinctas; in veritatem ipsam revelatam (in obiectum materiale), qui est formalis actus fidei; in auctoritatem Dei, et in existentiam talis revelationis divinae, qui posterior assensus in hanc utramque veritatem potest dici assensus in *principia fidei*. Sive iam hic actus sit duplex distinctus sive unicus complexus habens pro obiecto auctoritatem Dei hoc illudve revelantis; semper requiritur saltem *ratione prior* cognitio duplicis huius veritatis. Neque enim auctoritas Dei per se spectata nisi consideretur in revelatione huius determinatae veritatis, neque existentia revelationis nisi cognoscatur ut Dei infallibilis in sciendo et in revelando, potest esse ratio fide divina credendi hanc talem veritatem revelatam. Unde in omni actu fidei est *virtualis discursus,* ut aiunt, seu assensus in unam veritatem *propter* duplicem veritatem aliam praecognitam, in quam assensus vel explicitus praecedit, vel implicite includitur in ipso actu fidei.

3. De hac re numquam multoque minus post definitiones s. Concilii Vaticani debuisset esse inter viros catholicos disceptatio. Quid enim? nonne evidens est, fidem Deo revelanti hanc illamve veritatem e. g. SS. Trinitatem aut Verbi incarnationem praestari nullo modo posse, nisi *in hunc articulum revelatum* assensus mentis praestetur *propter auctoritatem h. e. propter infinitam veritatem (in cognoscendo et in loquendo) Dei revelantis hunc ipsum articulum credendum?* Nonne omnes catechismi docent, et omnes fideles semper et ubique elicuerunt et eliciunt actum fidei hoc uno modo: *credo hanc rem propositam,* hunc articulum e. g. tres esse divinas personas, Verbum esse incarna-

tum, *quia Deus infinita veritas, qui nec falli nec fallere potest, hanc ipsam rem revelavit?* Definitio s. Concilii tam lucida est, ut nullus ambiguitati locus relinquatur. « Fidem quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, *ab eo revelata vera esse credimus,* non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, *sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* » « Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, *ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur;* anathema sit » Conc. Vatic. sess. III. cap. 3. et de Fide can. 2.

Iam vero evidens est, haec tria ad quae actus fidei referri dicitur, rem revelatam e. g. incarnationem Verbi, auctoritatem Dei qui nec falli nec fallere potest, factum Dei actu revelantis seu factum revelationis, esse tres veritates inter se omnino distinctas. Porro declaratur: *rem revelatam veram esse credimus,* mentis ergo assensum praestamus in unam ex tribus illis veritatibus distinctis, *propter duas alias veritates,* nempe *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest;* non propter auctoritatem Dei infallibilis tantummodo in se spectatam, nec propter factum revelationis spectatae seorsum ab auctoritate Dei infallibilis, sed *propter auctoritatem Dei revelantis,* qui nimirum non solum *possit revelare* veritates, sed qui *actu revelet* hanc veritatem credendam, adeo ut auctoritas Dei infinitae et substantialis veritatis veluti informet factum revelationis seu verbum Dei.

Nam *a*) veritati infinitae tantummodo in se spectatae nec debet nec potest in ordine ad revelationem alius mentis assensus praestari nisi hic universalis: quidquid Deus veritas revelaverit, necessario verum est et credendum a ratione creata increatae veritati penitus subiecta. Hic autem, facto revelationis nondum supposito, tandem est assensus conditionatus: si Deus veritas aliquid revelet, id necessario verum est ac credendum; nullatenus autem est aut

esse potest assensus absolutus in hanc illamve veritatem e. g. in Trinitatem personarum aut Verbi incarnationem. Hinc s. Thomas concedit, etiam infideles tenere, « quod Deus (si loquitur) non loquitur nisi verum; » sed discrimen inter fidelem et infidelem in eo ponit, quod infidelis « non credit Deo in homine (actu) loquenti » 3. dist. 23. q. 2. sol. 2. ad 3. Pariter Angelicus velut unum inclusum in altero coniungit haec duo, « adhaerere *Dei loquentis testimonio*, in quo infallibiliter veritas invenitur; » et « adhaerere veritati, quae in divina cognitione consistit » S. Th. de Veritat. q. 14. a. 8. O. Ex altera igitur parte *b*) ratio credendi fide divina (ut per se patet) non est nec concipi potest testimonium, nisi formaliter spectatum *ut revelatio seu verbum ipsius Dei*. « *Ego dedi eis sermonem tuum*... sanctifica eos *in veritate, sermo tuus veritas est*....... non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui *credituri sunt per verbum eorum* in me » (1) (per verbum quod eis a Christo, et Christo licet aliter a Patre datum est) Io. XVII. 14. sqq. « Cum accepissetis *a nobis verbum auditus Dei* (2), accepistis illud *non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei* »

(1) Ἁγιασον ἀυτους ἐν τη ἀληθειᾳ. Nunc in editione recepta legitur ἐν τη ἀληθειᾳ σου, sed hoc pronomen omittunt codices antiquissimi; versiones Vulgata, Itala, Gothica, Sahidica; Patres plures graeci et latini. Ait ergo: sanctifica eos *in ipsa veritate* (ἐν τη ἀληθειᾳ); Filius autem cum Patre est *ipsa* veritas: « ego sum veritas » ἡ ἀληθεια Io. XIV. 6. Unde subdit (XVII. 21. 23.): « sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi *in nobis* unum sint... ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. » Pater ergo et Filius est *ipsa veritas* ἡ ἀληθεια, atque hinc « sermo tuus (quem dedisti mihi) veritas est » ἀληθεια ἐστι, quia nimirum est sermo ipsius veritatis της ἀληθειας. Hic sermo a Patre principio datur Filio in aeternitate generando (veritas a veritate), in temporis plenitudine (secundum humanitatem) mittendo, a Filio misso datur Apostolis, et fit verbum ipsorum ut legatorum Dei, manens tamen verbum Dei veritatis; et per hoc ipsum verbum a Patre, a Christo, ab Apostolis communicatum credituri sunt, quotquot sunt fideles sanctificandi in veritate. « Ego dedi eis sermonem tuum (τον λογον σου)... sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum... pro eis (rogo), qui credituri sunt per verbum eorum (δια του λογου ἀυτων) in me. »

(2) Παραλαβοντες λογον ἀκοης παρ' ἡμων του θεου. Credidistis accipientes verbum auditus a nobis quidem, at non auditus nostri sed Dei, adeoque *obedientes per nos ministros audivistis Deum*.

1. Thess. II. 13. Porro c) cum actus fidei a nobis ipsis eliciatur (interne aspirante et adiuvante gratia Dei), sane non possumus *propter auctoritatem Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest,* credere vera esse ab eo revelata, e. g. mysteria Trinitatis aut incarnationis Verbi, nisi quatenus *nobis cognita est auctoritas Dei (actu) revelantis,* propter quam credimus. « Obiectum formale munus obiecti exercere non potest.... nisi ab intellectu cognoscatur sub illa ratione, sub qua potest illum movere, quia ab obiecto incognito non movetur intellectus » Suarez disp. 3. sect. 6. n. 1. Adeoque Deus veritas infallibilis, et Deus credendas veritates actu per verbum suum revelans est ratio obiectiva, eademque *nobis per cognitionem (supernaturalem) applicata* est ratio formalis in nobis (subiectiva), propter quam credimus vera esse ab eo revelata (1).

Haec non video, quomodo a quopiam theologo in dubium vocari queant, cum sint quoad rem ipsam doctrina catholica a s. Concilio Vaticano iterum declarata ac definita. Quare indubitatum est, quod diximus, assensum fidei proprie dictae necessario ex ipsa sua essentia esse assensum *mediatum,* h. e. assensum in unam veritatem propter veritatem aliam, eamque non modo obiective existentem, sed etiam subiective cognitam, cui ipse formalis actus fidei innititur: « revelata vera esse credimus *propter auctoritatem Dei revelantis.* » Quod idem ita exprimit s. Thomas. « Fides de qua loquimur, non assentit alicui, nisi *quia est a Deo revelatum;* unde *ipsi veritati divinae* (nimirum *revelanti,* ut habet membrum antecedens) *fides innititur tamquam medio* » S. Th. 2. 2. q. 1. a. 1.

4. Nomine *discursus* in actu fidei, de quo nunc iterum quidam theologi multa minus recte disserunt, non intelligitur aliud quam assensus in unam veritatem propter cognitam veritatem aliam, quoniam nimirum una nobis non patefit nisi per alteram.

(1) Conferri potest quod docere solent theologi, Deum summum bonum in se esse nostram beatitudinem *obiectivam,* idem summum bonum *possessum* seu possessionem (visione et fruitione) summi boni esse nostram beatitudinem *formalem.* Vide tract. de Deo th. XXIX.

Si uno actu mentis praestatur assensus uni veritati propter alteram, quoniam una e. g. incarnatio Filii Dei patefit ac velut nobis illuminatur per cognitam alteram, videlicet per infallibilem veritatem hoc mysterium revelantem, hunc dicimus *discursum virtualem;* si actibus distinctis assensus praestatur in infallibilem auctoritatem Dei, in existentiam verbi Dei revelantis hoc mysterium, ac denique propter auctoritatem Dei revelantis in ipsum hoc mysterium, appellatur *discursus formalis* (vide Card. de Lugo disput. 7. sect. 1.). Igitur in omni actu fidei proprie dictae saltem *virtualis discursus* continetur eo ipso, quod a Deo revelata vera esse credimus *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.* « Quid enim est discursus virtualis circa incarnationem, nisi moveri ab auctoritate divina ad illam credendam; aut quomodo potest divina auctoritas movere ad credendam incarnationem, nisi quatenus apparet talis connexio inter unam et alteram, ut non possit esse Deus summe verax revelans incarnationem, quin incarnatio vera sit? » Card. de Lugo disput. 7. sect. 1. n. 7. « Actus fidei licet videatur simplex, in illo includitur virtualis discursus » Suarez disput. 3. sect. 12. n. 10.

Huiusmodi discursus virtualis, videlicet ab una veritate cognita et propter eam veritatem quam praecognoscimus (saltem ratione prius), assensus ad aliam veritatem, quae unice per illam nobis patefit, hic inquam *discursus virtualis* profecto declaratur in doctrina Concilii, qua dicitur « ad fidem divinam requiri, *ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur.* » Nam « illud *propter* significat connexionem, alioquin non crederetur unum propter aliud, » ut recte monet de Lugo disp. 1. sect. 13. n. 293.

5. Recentiores quidam theologi plus minusve pervertendo aliorum sententias magna contentione demonstrandum sibi esse putant, actum fidei non esse « logicam conclusionem. » Non est otium novas horum theologorum sententias examinandi (1); sed ne quos supponunt et impugnant

(1) Id accurate et plene praestitum est a viro de theologia et philosophia optime merito P. Iosepho Kleutgen in Appendice (fasciculo III.) ad sua Opera insignia « de Theologia et Philosophia antiquitatis. »

errores « conclusionis logicae, » nobis aut veteribus theologis tribuant; tria adhuc licet per se clara animadvertam.

a) In analysi actus fidei non agitur de « iudicio practico, » quod fidem antecedit, dum ex motivis credibilitatis homo iudicat, has veritates esse credibiles et credendas tamquam a Deo infallibili veritate revelatas. Videtur recens theologus impugnando « conclusionem logicam, » statum quaestionis ita exhibere, ac si Card. de Lugo aut quispiam alius umquam dixisset, infidelem ex motivis credibilitatis efformare iudicium practicum, rem propositam esse credibilem et credendam, atque inde per « conclusionem logicam » consequi actum fidei. At profecto id nemo veterum theologorum umquam dixit, nec quispiam mente sana dicere potest. Ex eo enim iudicio practico non sequitur « conclusio logica »: est officium credendi, ergo Deus est trinus personis, quia ipse Deus veritas hoc revelavit; sed « conclusio logica » foret tantummodo haec: ergo nisi libera voluntate inclinem intellectum ad fidem propter auctoritatem Dei revelantis, quae mihi satis proposita est, violo meum gravissimum officium erga Deum, meque expono aeternae damnationi. Quaestio itaque non est de actibus, qui antecedunt, nequaquam vero ingrediuntur ipsum actum fidei; sed in ipsa fide, dum iam credimus veritatem revelatam non sane propter motiva credibilitatis, sed propter auctoritatem Dei revelantis, quaeritur, utrum et quis sit ordo obiectorum fidei, in quae assentimur sive uno actu complexo sive pluribus actibus distinctis. Hic igitur dicimus, assensum fidei in rem revelatam inniti veritati alteri, quae in ipso actu fidei praecognoscitur, quod Deus infallibilis hanc rem credendam revelavit; atque ideo formalem fidei assensum non esse nec posse esse immediatum, sed necessario esse mediatum utpote praestitum propter veritatem aliam (prioritate rationis) praecognitam (1).

(1) Theologus qui nuper multis disputavit contra « conclusionem logicam, » considerat assensum fidei in relatione ad antecedens iudicium practicum de credibilitate et officio credendi, ac per illud iudicium ait praesentari rem credendam ad eum modum, quo in iudicio immediate evidenti (e. g. idem non potest simul esse et non esse) sese habet ap-

b) Videntur adversarii quandoque ita disputare, ac si quaestio esset, an actus fidei sit logicus in veritatem consequentem assensus propter naturaliter perspectam legitimam consequentiam. Huius enim haereseos suspicionem videtur obtrudere illa saepe repetita monitio: actum fidei

prehensio terminorum. Unde concludit: « assensus fidei secundum suum characterem logicum *non est assensus mediatus*, sed considerandus est et habendus ut *assensus immediatus.* » At profecto haec totum statum quaestionis pervertunt, et in se vera non sunt, nec video quo sensu intelligi queant. Iudicium illud practicum praesupponitur quidem ante actum fidei, sed ipsum formalem assensum fidei, de cuius elementis quaeritur, non ingreditur; et si ingrederetur, profecto non se haberet per modum apprehensionis terminorum in iudicio evidenti, sed ut iudicium de una re ad iudicium connexum de alia re. Verum ut diximus, quaestio est de elementis ipsius actus fidei, dum revelatam veritatem credimus (atque adeo ei assensum praestamus) « non propter intrinsecam rei veritatem perspectam, sed *propter auctoritatem Dei revelantis.* » Ubi sane auctoritas Dei revelantis non solum obiective ut existens, sed etiam subiective a nobis per assensum apprehensa enuntiatur ab ipso Concilio Vaticano ut causa h. e. ut ratio, *propter quam* assensum praestamus veritati revelatae. Atque adeo veritas una (seu potius duplex, Deus infallibilis actu revelans) assensu (supernaturali) apprehensa nobis est ratio, propter quam assentimur (formali actu fidei) veritati alteri (e. g. Verbum esse incarnatum); qui proinde assensus fidei essentialiter est *mediatus.*

Unde etiam nec sequi possumus, nec (ingenue fateor) intelligere valeo doctrinam aliquot theologorum, qui « discursum virtualem » in actu fidei excludi putant hac ratione. « Cum divina revelatio non sit causa rei revelatae, sed pura attestatio, neque fidelis credens prospiciat ullam colligationem inter revelationem et rem revelatam; sed revelatio sit quasi lux sub qua rem revelatam cognoscit, et fidelis immediate credat ratione divini testimonii: ideo sicut oculus videndo colores media luce, non discurrit virtualiter etiam ex parte obiecti; ita neque fides credendo ratione divini testimonii » Card. Gotti de Fide q. I. dub. IV. §. 2. n. 12. Profecto divina revelatio non est quidem causa efficiens rei revelatae, sed est tamen credentibus causa obiectiva seu ratio et quidem unica, per quam eis manifestatur veritas rei revelatae, et propter quam cognitam assentiuntur credendo rei revelatae ut verae. Unde fidelis non quidem perspicit colligationem ut inter causam et effectum, sed profecto perspicit in omni actu fidei saltem virtualiter mente sua credente colligationem absolute necessariam inter attestationem Dei qui nec falli nec fallere potest, et inter veritatem rei quam attestatur. « Non potest credi fide certa, nisi credatur certo propter

non esse « conclusionem logicam. » At illi ipsi theologi, qui docent in actu fidei esse aut esse posse *discursum formalem* (ut Card. de Lugo, Vasquez et alii), huiusmodi absurditatem « conclusionis logicae » numquam somniarunt. Nimirum mens elevata per lumen fidei tenet firmitate super omnia tum veritatem Dei essentialiter infallibilem tum existentiam divini testimonii (obiectum formale fidei) de re credenda (obiecto materiali fidei), seu in complexu au-

auctoritatem Dei; nec potest credi certo propter auctoritatem Dei, nisi credatur certo (id est teneatur firmissime) connexio auctoritatis divinae cum veritate mysterii revelati » Card. de Lugo disp. 7. sect. 3. n. 40. Porro similitudines a nobis excogitatae non sunt probationes, sed possunt adhiberi ad veritatem aliunde demonstratam illustrandam, si rite usurpentur; si vero applicentur praepostere, nec probant nec illustrant, sed obscurant et pervertunt. Oculus sane non visa luce procedit ad visionem corporis, sed corpus reflectendo lucem in oculum imaginem sui efformat; unde haec similitudo potest adhiberi ad illustrandum modum, quo verum ex intrinseca sua ratione menti nostrae sese manifestat. Quoad fidem vero valet, quatenus nihil potest esse obiectum fidei, nisi quod nobis manifestatur ac velut illuminatur testimonio divino (S. Th. Verit. q. 14. a. 8. ad 4.). At testimonium Dei non illuminat rem revelatam ita, ut haec ex intrinseca sua ratione nobis illucescat (quod fiet in lumine gloriae); in actu enim fidei mens non assentitur rei propositae propter perspectam eius rationem intrinsecam (qui non esset actus fidei), sed unice propter auctoritatem Dei revelantis, quae est ratio rei illi e. g. facto incarnationis extrinseca, et veritas distincta; adeoque « fides credendo ratione divini testimonii, » assentitur uni veritati ita, ut hic assensus totus innitatur alteri veritati tamquam rationi, propter quam assentitur. Hic autem est assensus mediatus, huncque nos appellamus *discursum virtualem*. Fidelis « *immediate credere ratione divini testimonii* » dici utique potest, quatenus non aliud est medium *(sub quo)*, non alia obiectiva formalis ratio credendi praeter testimonium Dei revelantis; at per hoc ipsum assensus non est *immediatus*, quia non est ex ipsa rei veritate intrinsecus perspecta, sed *mediatus* quia est ex infallibili testimonio extrinseco. Hoc modo etiam s. Thomas indicat in fide esse *discursum*. Primam enim ex rationibus cur Apostolus (Heb. XI. 1.) fidem dicat *argumentum*, Angelicus hanc assignat. « Argumentum quandoque significat ipsum actum rationis *discurrentis* de principiis in conclusiones..... Fides potest dici *argumentum* primo (hoc) modo (nempe ut *actus discurrens*), *in quantum ratio assentit alicui ex hoc, quod est a Deo dictum*, et sic *ex auctoritate dicentis efficitur assensus in credente;* quia etiam in dialecticis aliquod argumentum ex auctoritate sumitur » S. Th. de Verit. q. 14. a. 2. ad 9.

ctoritatem Dei actu hanc veritatem credendam revelantis. Hoc est quod s. Thomas dicit « intellectu adhaerere veritati, quae in divina cognitione consistit, » et « adhaerere alicui testimonio, in quo infallibiliter veritas invenitur » S. Th. Verit. q. 14. a. 8. O. In qua quidem adhaesione iam implicite continetur adhaesio ad ipsam rem revelatam testimonio, sicut assensus in *praemissas* continet implicitum assensum in *consequens*. At non ideo fidelis assentitur rei divino testimonio propositae, quia naturali ratione regulas logices earumque firmitatem perspicit; sed intellectus ex imperio voluntatis sub lumine gratiae supernaturaliter et firmitate super omnia adhaerens testimonio Dei revelantis qui nec falli nec fallere potest, propter auctoritatem Dei attestantis in particulari hanc illamve veritatem, ut propter rationem formalem assentiendi, sub eodem lumine gratiae assentitur etiam veritati a Deo revelatae. Eodem igitur actu supernaturali quo tenet infallibilem revelationem Dei ut motivum formale credendi veritatem revelatam, etiam tenet connexionem infallibilis revelationis cum veritate rei revelatae; nam esse motivum formale credendi veritatem, et habere hanc connexionem necessariam cum veritate credenda unum idemque est. Esse autem necessarium ad divinam fidem, ut revelata veritas *propter auctoritatem Dei revelantis credatur,* constat apud omnes catholicos et a s. Concilio iterum declaratum est. (Vide de Lugo disput. 7. sect. 3.).

c) Postremo disceptatio ista ac cautio contra « conclusionem logicam » ita doctrinam theologorum quos impugnat, exhibere videtur, ac si illi actum fidei reducerent ad conceptus quosdam abstractos veritatum, atque ita tandem non Deus vivus veritas revelans, sed conceptus abstractus in mente nostra tamquam logicum *antecedens* intelligeretur motivum formale assentiendi logico *consequenti*. Unde doctrinam Cardinalis de Lugo et aliorum redigi dicunt ad « conceptionem logicam et mechanicam, » qua corrumpatur « indoles transcendentalis propria ac necessaria fidei, ut sit elevatio ad intimam unionem cum Deo. » Verba haec ne significationem urgendo graviores errores eis adscribere

cogamur, ad hunc sensum reducenda videntur. Fides transcendit modum naturalem cognoscendi; neque enim innititur propriis viribus rationis in cognoscenda veritate, sed supernaturali firmitate innititur atque ita unitur veritati ipsius Dei revelantis (1). Quoniam hanc « indolem transcendentalem » divinae fidei Card. de Lugo et alii viri [docti a recenti de quo agimus, theologo impugnati corrumpere dicuntur, videtur consequi contra eos accusatio nimis gravis, ac si illi tum generatim supernaturalem indolem fidei in discrimen vocarent, de quo paulo ante diximus, tum speciatim reducentes fidem « ad logicum et mechanicum modum concipiendi per conclusiones logicas » in credendo non inniterentur substantiali increatae veritati revelanti; sed conceptu in mente efformato tamquam motivo formali « per logicam conclusionem » inducerentur ad tenendam veritatem aliam ex illo conceptu consequentem.

At profecto haec posterior obiectio, quam iam olim factam Card. de Lugo commemorat (disp. 7. sect. 2. n. 23. cf. sect. 3. n. 38.), totum modum humanum cogitandi et cognoscendi susque deque vertit. Nimirum infallibilem veritatem et revelationem Dei ut certam et realiter existentem non possumus concipere nisi mentis iudicio (quod in actu fidei elicitur sub lumine gratiae et viribus supernaturalibus), sicut eam enuntiare non possumus nisi aliqua propositione et affirmatione; illud autem cui adhaeremus et cui innitimur in credendo, non est conceptus noster ac nostrum iudicium, sed ipsa substantialis veritas actu revelans, quam iudicio nostro supernaturali apprehendimus ut realiter existentem. Haec ergo infallibilis veritas revelans est motivum formale, sub quo rem ab illa revelatam veram esse credimus. Et eodem modo id quod credimus, est res ipsa revelata e. g. SS. Trinitas, quam tamen credere

(1) « Neque hominis neque angeli testimonio assentire infallibiliter in veritatem duceret, nisi quantum in eis loquentis Dei testimonium consideratur; unde oportet quod fides quae virtus ponitur, faciat intellectum hominis adhaerere veritati, quae in divina cognitione consistit, *transcendendo* proprii intellectus veritatem » S. Th. de Verit. l. c.

seu (ut loquitur Augustinus) cum assensu cogitare non possumus nisi aliquo (supernaturali) mentis nostrae iudicio. « Actus credentis non terminatur ad enuntiabile, sed ad rem; non enim formamus enuntiabilia, nisi ut per ea de rebus cognitionem habeamus, sicut in scientia ita et in fide » S. Th. 2. 2. q. 1. a. 2.

6. Supposita iam doctrina catholica a s. Concilio iterum definita, « revelatam veritatem *propter auctoritatem Dei revelantis* credendam esse, » magna oritur quaestio, quae non quidem apud veteres, sed inter paulo recentiores theologos inde a saeculo XVI. magnis contentionibus habita est et nunc iterum a nonnullis excitata, quomodo haec ipsa veritas auctoritatis et locutionis Dei cognoscenda sit. Si utraque cognoscitur per se ipsam, atque adeo assensus in illam est *immediatus,* in ea sistit *analysis fidei* tamquam in ultimo principio. Si autem etiam illa utraque veritas vel alterutra cognoscitur per aliam veritatem tamquam per *principium formale, propter quod assensus praestatur,* atque ita assensus est *mediatus,* ulterius quaeratur oportet, quaenam sit illa altera veritas praecognita, donec perveniatur ad assensum aliquem *immediatum,* non amplius praestitum propter aliam distinctam veritatem, *cui tamquam principio ac motivo innitatur* (cf. supra cap. III. §. I. n. 1.).

Si assensus praecedens in *obiectum formale* fidei dicitur esse *mediatus* et praestitus propter veritatem aliam praecognitam, difficillimum erit illam definire, quaenam sit, et quomodo tum non admittatur progressus in infinitum, quin umquam perveniatur ad ultimum assensum *immediatum.* Si vero dicitur uterque ille assensus esse immediatus, duplex oritur difficultas; nam primum videbitur esse assensus ex solis viribus rationis et ideo naturalis, quod nullo modo potest admitti; tum vix concipi posse videtur, quomodo iste assensus praesertim quoad existentiam revelationis seu locutionis Dei sit *immediatus.* De hoc ergo utroque in primis dicendum est.

II. *De cognoscenda auctoritate Dei.*

1. Assensus fidei divinae est ontologice supernaturalis, utpote proportione respondens visioni beatificae in patria velut inchoatio suae perfectioni (cap. III. §. II.). Unde fides dicitur *divina* ad distinctionem fidei humanae non solum *obiective* ratione *obiecti formalis* et ratione *obiecti principis materialis,* quod Deus est; sed etiam *subiective* ob rationem intimam supernaturalem actus ipsius. Porro ex ipsa hac supernaturali ratione assensus eliciti viribus supernaturalibus est etiam *supernaturalis firmitas* adhaesionis; pia enim voluntas elevata per gratiam imperat adhaesionem in veritatem revelatam *aestimative super omnia,* et formalis adhaesio ipsius intellectus supernaturalem firmitatem habet ex elevatione intellectus per superadditas vires gratiae; quae quidem duplex ratio elevationis est tum per supernaturalem infusum ac permanentem habitum fidei tum per gratiam actualem (auxilium transiens) illuminationis in intellectu et inspirationis in voluntate (cf. Conc. Arausic. II. can. 7; Concil. Vatican. cap. 3.). Quoniam vero formalis assensus fidei includit, et tamquam principium cui innititur, supponit assensum in *obiectum formale* (in auctoritatem Dei revelantis); etiam hic assensus, quatenus ingreditur actum fidei, supernaturalis sit oportet et per vires gratiae firmissimus *aestimative super omnia.* Neque enim formalis assensus fidei supernaturalis posset velut principio inniti assensui naturali inferioris ordinis et minoris firmitatis.

Haec fuit ratio Suarezio, ut ipsemet fatetur (disp. 3. sect. 6. n. 6.), cur putaverit ipsum assensum in auctoritatem Dei loquentis necessario debere esse *per formalem actum fidei propter auctoritatem Dei loquentis.* Ex una scilicet parte statuit principium, ante formalem actum fidei non dari cognitionem supernaturalem; ex parte altera certum est, illum assensum in auctoritatem Dei loquentis debere esse supernaturalem; unde consequens erat, hunc assensum esse formalem actum fidei. Hoc vero si ita intelli-

gatur, ut auctoritatem Dei revelantis necesse sit in omni actu fidei iterum *credere* ob formale motivum locutionis Dei revelantis suam auctoritatem et suam locutionem; sane manifestissime inducitur progressus in infinitum, quin umquam ad aliquem assensum immediatum perveniatur. Cf. supra cap. III. §. I. Unde ita intellectam doctrinam Suarezii (l. c. n. 8.), ubi ostendere conatur assensum in auctoritatem Dei esse *actum fidei* et nihilominus esse *assensum immediatum*, Cardinalis de Lugo paulo acrius refellit. « Quantumcumque hoc explicetur, inquit, totum est ludere verbis, cum numquam assensus reducatur ad aliquem assensum immediatum alicuius obiecti, cui non propter aliud sed propter se ipsum assentiamur, quod tamen in omni assensu intellectuali necessarium est » Lugo de Fide disp. I. sect. 6. n. 82.

Sane si verba Suarezii urgeantur in sua propria significatione, qua fateor ea intelligi a theologis tum approbatoribus tum impugnatoribus mirae istius opinionis, nimis manifesto aut processum in infinitum inducunt, aut involvunt contradictionem; nec etiam a recentissimis defensoribus opinionis Suarezianae quidquam prolatum reperio validum ad elucidationem, nisi quod tandem coincidat cum nostra sententia, intellectum nempe per habitum et lumen fidei supernaturali assensu adhaerere primae veritati non ut obiecto materiali propter testimonium ut obiectum formale, sed propter se ipsam quatenus se sistit et manifestat in ipso actu supernaturalis revelationis, adeo ut haud secus ac in veritatibus per se cognitis, obiectum materiale assensus identificetur cum obiecto formali (cap. II. §. I.). Non assero, hanc esse ipsam doctrinam Suarezii; sed aio eius doctrinam recisis contradictionibus ad hanc sententiam reducendam esse, quod si fiat, duumviri Suarezius et Card. de Lugo, explicationibus utriusque coniunctis, splendidam exhibent veritatis illustrationem.

2. Doctrina Suarezii, quae nisi temperetur, ut dixi, processum in infinitum aut contradictionem continet, ad haec capita revocatur. Concedit, obiectum formale fidei propter quod creditur, et obiectum materiale quod propter

illud creditur, saltem ratione inter se distingui. Obiectum formale in omni actu fidei divinae est testimonium primae veritatis (Dei) cognitum, obiectum materiale est omne et solum illud, de quo testatur. Ergo essentiale est in omni actu fidei, ut cognitione utique supernaturali praecognoscatur (saltem ratione prius), tum *Deum esse veritatem infallibilem* in cognoscendo et in loquendo (nec falli nec fallere posse), tum *Deum hanc veritatem e. g. incarnationem Verbi revelasse,* quia hoc utrumque praecognitum est unicum et necessarium *obiectum formale,* propter quod creditur *obiectum materiale* e. g. incarnatio (1).

(1) « Deus sub ratione primae veritatis non potest exercere, ut sic dicam, munus obiecti formalis fidei, *nisi a credente cognoscatur ut testis infallibilis in loquendo;* nam illud est obiectum formale assentiendi, in quod ultimo resolvitur assensus tamquam in primum motivum assentiendi; unde huiusmodi obiectum tunc censetur actu exercere munus obiecti, quando movet et de se sufficientér inclinat intellectum ad assentiendum. Hoc autem praestare non potest, *nisi ab intellectu cognoscatur sub illa ratione, sub qua potest illum movere,* quia ab obiecto incognito non movetur intellectus. Ad credendum ergo necessarium est, ut qui credit Deo, *etiam cognoscat Deum esse omnino testem veracem,* qui nec falli nec fallere potest...... Certitudo fidei tota nititur in suo obiecto formali, *atque adeo in cognitione eius; nam ut cognitum movet ad credendum.* » Haec Suarez docet de ea quae in omni actu fidei necessaria est, cognitione obiecti formalis, quatenus hoc obiectum constituitur infallibili veritate Dei (disp. 3. sect. 6. n. 1. 6. 7.). Nec minus clare asserit in omni actu fidei necessariam supernaturalem praecognitionem (prioritate rationis) obiecti formalis, quatenus hoc obiectum est ipsa actualis revelatio. « Dependentia fidei et certitudo eius ab hoc principio, *Deus dicit hoc,* non est minor quam sit dependentia eiusdem fidei ab alio principio, *Deus est verax;* ergo si evidentia (naturalis) illius principii non sufficit ad obiectum formale fidei, nec potest sufficere humana credulitas divinae revelationis (sed requiritur supernaturalis cognitio existentiae revelationis)... Revelatio divina non quomodocumque est ratio obiectiva, sed tamquam medium et motivum credendi. Credimus enim mysteria fidei, quia Deus nobis illa revelavit; *impossibile autem est aliquid esse motivum assentiendi, nisi sit cognitum;* ergo qui credit aliquid, quia dictum a Deo, *necesse est ut cognoscat et iudicet Deum id revelasse seu dixisse....* Supra ostensum est, *cognitionem primae veritatis et quod non possit fallere, necessariam esse ad credendum aliquid tamquam certum propter testimonium eiusdem veritatis, ergo non minus necessarium est praecognoscere, ipsam primam veritatem hoc vel illud credendum asseruisse.*

Iam vero post declaratam et demonstratam hanc lucidissimam doctrinam, idem Suarezius contendit, illam praecognitionem tum veritatis Dei tum existentis revelationis, quae ut fundamentum et motivum formale supponitur in omni actu fidei, esse et ipsam per actum fidei. Proinde in hoc actu fidei, quem possumus dicere fundamentalem, dum credo Deum esse veritatem, unice propter testimonium, quo dicit se esse veritatem, necessario iterum distinguitur saltem ratione obiectum formale, propter quod credo, nempe testimonium infallibilis veritatis revelantis, se esse veritatem, et obiectum materiale, nempe Deum esse veritatem, quod credo propter testimonium. Sine hac enim distinctione nullus concipi aut esse potest actus fidei, qui fatente Suarezio essentialiter est assensus in rem revelatam propter infinitam veritatem revelantem. Primus ergo actus fundamentalis est: credo Deum esse infallibilem veritatem (obiectum materiale), quia Deus infallibilis veritas hoc revelavit (obiectum formale). Hoc obiectum formale quod enuntiatur in propositione causali, ex ipsius Suarezii diserta doctrina praecognoscitur prioritate rationis ante assensum formalem fidei, qui huic ipsi veritati praecognitae innititur tamquam suo medio (ut ipse loquitur). Porro haec praecognitio debet iterum esse actus fidei, quoniam est praecognitio obiecti formalis fidei, quod ex sententia Suareziana praecognoscendum est per actum fidei. Proinde secundus hic fundamentalis actus fidei denuo resolvitur in obiectum formale praecognoscendum alio actu fidei, atque ita in infinitum. *a*) Credo ss. Trinitatem, quia Deus infinita veritas eam revelavit; *b*) credo Deum esse infinitam veritatem, et credo Deum revelasse Trinitatem, quia Deus dicit se esse infinitam veritatem, et se revelasse Trinitatem; *c*) credo Deum hoc utrumque dixisse iterum propter testimonium, quo dicit se dixisse; et hoc testimonium ite-

Probatur consequentia, *quia non minus pendet assensus fidei ab hoc principio quam ab illo,* et quia parum nobis confert ad credendam hanc vel illam propositionem, quod Deus in se verax sit, nisi cognoscatur ipsam primam veritatem suo testimonio talem propositionem confirmasse et quasi informasse » ibid. sect. 12. n. 4. 6.

rum credo propter testimonium ratione distinctum; necessario enim (ut diximus et Suarez fatetur) *omnis actus fidei* habet obiectum formale propter quod creditur, saltem ratione distinctum ab obiecto materiali, quod creditur. Atque ita numquam ad terminum pervenitur, nisi sistatur tandem in amplectenda veracitate et locutione Dei non propter testimonium ratione distinctum, quod sit motivum assensus, ac proinde non per formalem actum fidei, sed per assensum immediatum in veracitatem Dei et existentiam locutionis Dei sese *per se ipsam* sistentem cognoscibilem intellectui (elevato lumine gratiae).

3. Perspexit sane doctor eximius absurditatem huiusmodi processus in infinitum, quae suae doctrinae subesse videbatur. In explicatione autem qua illam amoliri conatur, ita loquitur, ut vel suis ipsis principiis de analysi actus fidei contradicat, vel tandem quoad rei summam licet verbis obscurioribus illud ipsum sibi velit, quod postea Card. de Lugo luculentissime declaravit. Explicatio Suarezii ita habet. « Si comparetur obiectum formale ad materiale, sic ordine naturae (si utrumque cognoscitur diversis actibus) vel rationis (si utrumque cognoscitur uno actu complexo) *supponitur obiectum formale cognitum ad materiale*... Si vero obiectum formale et materiale cognitum sit idem (scilicet eadem res sub diversa tamen ratione), ut quando directe credo Deum esse primam veritatem, propter se ipsum et quia ipsemet hoc dixit, *tunc multo minor est prioritas naturae, sed rationis sufficit* per quandam reflexionem, quae virtualiter in ipsomet actu includitur, atque etiam in obiecto, quia (Deus) dicendo verum, consequenter dicit se esse veracem in eo, quod dicit, ut explicavi.... Neque repugnat huic fidei ille modus resolutionis, qui obiicitur (1), sive

(1) Obiectio haec erat. Si in omni actu fidei ipsum fidei formale obiectum et motivum fide credendum esset, resolutio foret huiusmodi: « credo Deum esse trinum quia ipse dicit; credo autem illi dicenti, quia est verax; credo autem illum esse veracem, quia ipse etiam dicit. Hic autem modus resolutionis videtur incredibilis, tum quia in eo committitur vitiosus circulus.... tum quia *fides cognosceret, Deum esse veracem, per se et sine alio medio*, quod videtur excedere virtutem cognitionis obscurae et abstractivae » ibid. n. 2.

illa resolutio fiat mediante discursu sive absque illo; semper enim fatendum est, *resolutionem fieri ex obiecto materiali ad formale; ipsum autem formale obiectum non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur,* quia potest de se ipso testificari, et ita in se ipso reflectitur, et tali modo de se testificatur, ut faciat evidenter credibilia non solum alia quae dicit, sed etiam quae de se ipso testificatur, quod pertinet, ut dixi, ad infinitam excellentiam divinae veritatis » disp. 3. sect. 6. n. 8.

Imprimis non est quaestio, utrum Deus sive explicite sive implicite (in omni actu revelationis) etiam revelaverit se esse veracem (de quo Suarez hic agit), et se revelasse mysteria (de quo alio loco inferius disputat). Concedimus sane haec esse revelata, et proinde posse et debere credi formali actu fidei propter auctoritatem Dei revelantis, sicut dicimus, ipsam existentiam Dei fide credendam esse etiam ab illis, qui eam naturali evidentia cognoscunt (tract. de Deo th. IX). Quaestio itaque haec una est, an in omni actu fidei ipsum obiectum formale (Dei veracitas et existentia revelationis) *ultimatim* iterum actu fidei sive virtualiter sive realiter distincto credendum sit. Suarez id affirmans verbis citatis haec statuit. *a*) In omni actu fidei obiectum formale propter quod credo, ordine saltem rationis praecognitum supponitur obiecto materiali, quod creditur; idque utpote actui fidei essentiale sane non minus verum est, etiamsi quoad rem idem sit obiectum formale et materiale; e. g. sub una ratione praecognosco (prioritate rationis) ut obiectum formale Deum veracem revelantem, sub alia ratione unice propter veracitatem Dei ita praecognitam qui dicit se esse veracem, credo Deum esse veracem. Ergo in omni actu fidei virtualiter distinctus est duplex assensus, unus in obiectum formale ut in fundamentum et motivum credendi, alter in obiectum materiale propter illud motivum: « semper fatendum est resolutionem fieri ex obiecto materiali ad formale. » *b*) Ipsum obiectum formale in omni actu fidei iterum per actum fidei credendum est; et tamen quamvis ex paulo ante assertis in omni actu fidei « semper fiat resolutio ex obiecto materiali ad formale, »

nunc repente nobis dicitur, in hoc actu fidei quo credendum est obiectum formale actus prioris, nullam fieri resolutionem: « sed per se ipsum creditur. » Atqui haec est contradictio manifesta: omni actui fidei essentiale est, ut credatur obiectum materiale propter obiectum formale praecognitum (prioritate rationis), atque ita fiat resolutio ex obiecto materiali ad formale; nihilominus datur actus fidei, in quo nulla huiusmodi resolutio locum habet, ac proinde non creditur obiectum materiale propter obiectum formale. Si haec ita sunt, iste assensus in quo talis resolutio negatur, non est assensus fidei proprie dictus, quia id quod credi dicitur, non creditur propter aliam veritatem praecognitam; sed est veritas, quae per se ipsam cognoscibilem menti se sistit et per se ipsam cognoscitur.

Si itaque illud, quod dicitur: « obiectum formale non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur, » habet hunc sensum: veracitas Dei revelantis quae est obiectum formale pro aliis mysteriis revelandis, credenda est actu fidei proprie dictae, ita ut propter praecognitam (prioritate rationis) veracitatem Dei dicentis, se esse veracem, credenda sit veracitas Dei, et nihilominus asseratur, non fieri resolutionem ab obiecto materiali ad formale, h. e. non credi veracitatem sub una ratione propter veracitatem testimonii praecognitam sub alia ratione; tum manet evidens contradictio, quam modo demonstravi. Si conceditur fieri hanc resolutionem, et nihilominus asseritur *in omni actu fidei* obiectum formale esse iterum credendum fide proprie dicta, evidens est processus in infinitum ex superius demonstratis.

4. Quia haec res mihi tam manifesta videtur, propterea non quidem alios quosdam theologos, qui doctrinam Suarezii contra Card. de Lugo se tueri profitentur; sed eximium doctorem ipsum alio sensu forte intelligi posse putavi, quem initio huius disquisitionis (p. 641.) indicavi, vel certe eius doctrina non nisi hac temperatione adhibita admitti potest. Quando nimirum dicitur, « obiectum formale (praecognita veracitas et locutio Dei) non in aliud resolvitur, *sed per se ipsum creditur;* » hoc verbum *credere* sensu paulo latiori accipiendum est, quo etiam a Cardinali de

Lugo in hac disputatione et ab aliis theologis saepe adhibetur de supernaturali assensu per habitum fidei et per gratiam elicito in veritatem, quae in ipsa revelatione mysterii ut formale obiectum menti se sistit *per se ipsam* et non per aliam veritatem praecognitam, cui tamquam motivo assensus innitatur. Ita non modo absurdus ille processus in infinitum et omnis contradictio excluditur, sed veritas habetur lucidissima in eo, quod dicitur: « *formale obiectum non in aliud resolvitur, sed per se ipsum creditur,* » nimirum *per se ipsum et non per aliud* cognitione apprehenditur ut obiectum formale in actu fidei, atque adeo propter illud (prioritate rationis) praecognitum creditur obiectum materiale revelatum.

Sane quod Suarez potissimum, imo unice spectat in tota ista disputatione (disp. 3. sect. 6.) illud est, ut conficiat ac obtineat, cognitionem obiecti formalis in fide divina non posse esse naturalem, sed necessario esse supernaturalem; quem suum scopum proponit in ipsa istius sectionis inscriptione: « utrum prima veritas sit obiectum formale fidei, ut cognoscitur lumine naturae, *vel ut supernaturaliter cognita?* » In hac autem assertione supernaturalis cognitionis profecto ab omnibus est ei plenissime assentiendum.

Hoc etiam solo sensu potuit appellare ad doctrinam s. Thomae; profecto enim absurdum est Angelico tribuere sententiam, formale obiectum fidei, quatenus est veritas Dei, quae nec falli nec fallere potest (de quo solo ibi disputat Suarez), necessario esse actu fidei proprie dictae credendum (1). Nam ex una parte haec infallibilis veritas Dei non

(1) Citationes Suarezii ex s. Thoma sunt omnino mirae. « Sola evidens cognitio, inquit, quod Deus sit prima veritas, non sufficit pro fundamento et obiecto formali fidei, sed necessaria est fides infusa eiusdem veritatis. Hanc assertionem sumo ex D. Thoma 2. 2. q. 1. a. 5. ad 1. et 3, quatenus dicit, principia quae naturaliter cognosci possunt, et ad alia credibilia supponuntur, etiam per fidem posse cognosci; et q. 2. a. 4. quatenus absolute dicit, ad certitudinem fidei necessarium fuisse nobis revelari de Deo, etiam quae naturaliter cognosci possunt » Suarez disput. 3. sect. 6. n. 5.

Animadvertimus sequentia. Verissimum est et in doctrina Cardinalis de Lugo clarissimum, non sufficere in actu fidei naturalem cogni-

minus « demonstrative probari » potest quam existentia Dei, et ex parte altera Angelicus 2. 2. q. 1. a. 5. atque alibi saepe disertissime docet, « impossibile esse, quod ab eodem idem sit scitum et creditum », et tantummodo « ab his qui demonstrationem non habent, per fidem praesupponi oportere ea, quae demonstrative probari possunt » (vide tract. de Deo

tionem veracitatis Dei, sed oportere esse hanc cognitionem supernaturalem ex fidei habitu infuso; sed inde non sequitur, eam esse per actum fidei proprie dictae, quia infusus habitus fidei seu lumen tum habituale tum actuale fidei valet non modo ad materiale obiectum credendum propter auctoritatem Dei revelantis, sed etiam ad principia fidei supernaturaliter cognoscenda actu cognitionis immediatae, sicut intellectus naturalis valet non modo ad intelligendas conclusiones, sed a fortiori etiam ad intelligenda principia, sine quorum intellectu repugnaret scientia conclusionum. Quod s. Thomam attinet, ipse numquam dixit nec ex suis principiis dicere potuit, in omni actu fidei veritatem primam ut obiectum formale fide credi, et non cognitione immediata cognosci oportere; sed (ut paulo post videbimus) clarissime docuit contrarium. Imo in ipsis articulis a Suarezio citatis doctrina contraria continetur, ut demonstrant, quae indicamus in textu ex 2. 2. q. 1. a. 5, ad quem articulum ille provocat. In locis a Suarezio citatis sensus est longe alius, quam ipse refert. In q. 1. a. 5. ad 1. doctor Angelicus loquitur de obiectis fidei materialibus, quae « non possunt esse scita; » fideles vero « eorum notitiam habent non quasi demonstrative, sed in quantum per lumen fidei vident esse credenda » (e. g. mysteria Trinitatis aut Incarnationis). Ibidem ad 3. etiam agit de obiectis materialibus, et minime dicit, quod Suarez refert, naturaliter cognita posse etiam fide credi; sed imo docet, non posse fide credi ab omnibus, sed ab iis solis, « qui eorum demonstrationem non habent. » In q. 2. a. 4. nequaquam docet, quod Suarez indicat, naturaliter cognoscibilia nobis revelari necessarium fuisse, ut de iis certitudinem fidei per actum fidei haberent illi, qui ea per demonstrationem sciunt. Hac enim doctrina s. Thomas evidenter sibi ipsi contradiceret; sed semper sibi constans etiam hic ad 2. repetit: « de eodem non potest esse scientia et fides apud eundem, sed id quod est ab uno scitum, potest esse ab alio creditum. » Necessitatem vero revelationis eorum quae absolute et per se loquendo ratione cognosci possunt, repetit s. doctor « pro humano genere » (ibi ad 1.) ex causis, quas indicavimus superius p. 618. Haec igitur loca s. Thomae a Suarezio citata si quid ad rem praesentem pertinent, potius demonstrant, ex doctrina Angelici minime necessarium esse imo nec fieri posse, ut in omni actu fidei ipsa etiam cognitio obiecti formalis, quatenus veracitate Dei seu « veritate prima » constituitur, sit per actum fidei proprie dictae.

th. IX.). Quam quidem s. Thomae sententiam esse, Suarez ipse (ibi sect. 9. n. 1.) fateri cogitur. Unde qui adscriberet s. Thomae opinionem, in omni actu fidei ipsum obiectum formale, quatenus continetur infallibili veracitate Dei, necessario fide proprie dicta credendum esse, is profecto assereret ex doctrina s. Thomae consequi, neminem qui « demonstrative sciat » infallibilem Dei veracitatem, posse quidquam credere fide divina, quoniam ipsum motivum formale fidei nempe Dei veracitatem, « cuius demonstrationem habet, » credere non potest. Haec autem non solum falsa sed risu digna esse, nemo non videt. Vel igitur Suarez omnino praepostere ad s. Thomae doctrinam appellavit, vel haec ipsa appellatio suadet, Suarezium non esse intelligendum de actu fidei proprie dictae, qua motivum formale veracitatis Dei « non per aliud sed per se ipsum » credere oporteat.

Mihi itaque doctrina Cardinalis de Lugo (de Fide disp. I. sect. 6.) omnino vera videtur, quam argumentis sive vetustiorum sive recentiorum theologorum qui eam omni molimine expugnandam susceperunt, non solum non labefactatam, sed potius magis confirmatam esse existimo, cum nihil hactenus ab eis actum esse videam, nisi ut vel manifesto falsa aut nihil ad rem pertinentia dicant, vel sententiam Cardinalis in alienum sensum deflectant, ac tandem ipsimet in explicationibus consistere cogantur, quae cum vero sensu huius principis inter theologos coincidant. In hoc itaque capite sicut in pluribus aliis verum puto, quod ait Doctor Ecclesiae s. Alphonsus: « doctissimus Lugo qui post D. Thomam non temere inter alios theologos facile princeps dici potest,.... *saepe nullo praeeunte falcem ita ad radicem ponit, ut rationes quas ipse in medium adducit, difficulter solvi queant* » (s. Alphons. l. III. n. 552.). Si aliorum theologorum requiras auctoritatem, in eandem sententiam concessere post Card. de Lugo doctores gravissimi, Petrus Hurtado disp. VII. sect. 6. (diversus a Gaspare Hurtado, cui cum Card. de Lugo nonnulla lis erat); Ripalda de Fide disp. III; Card. Pallavicinus in Cursu theol. de Fide n. 56-58; Haunoldus de Fide cap. I. controv. V. §. 5; Amicus disp. II. sect. 1. n. 27;

Mastrius in l. III. sent. disp. VI. q. 7. a. 4. n. 39. et alii. Totius porro propositae quaestionis explicatio quam adoptamus, ad hanc summam revocatur.

5. Auctoritas seu veritas Dei tam in cognoscendo quam in loquendo, *quatenus est formale obiectum fidei,* non potest *ultimatim* esse credita propter auctoritatem Dei revelantis hanc suam veritatem in cognoscendo et loquendo. Quamvis enim dicas cum Suarezio, Deum ipso actu revelationis, quo dicit e. g. tres esse personas divinas, revelare etiam suam veracitatem, semper quaerendum manet: si creditur veracitas Dei propter formale motivum et unice, quia Deus eam revelat, quomodo cognoscis veracitatem Dei in hac ipsa revelatione, qua explicite vel implicite dicit se esse infinite veracem? Si hanc veracitatem credis iterum, quia Deus eam revelat, redibit eadem quaestio; sicque in infinitum progrediendum erit, quin umquam perveniatur ad fundamentum, cui omnes subsequentes assensus in Dei veracitatem et in mysterium revelatum innitantur. Si autem dicitur: Deus revelans e. g. SS. Trinitatem, hac eadem locutione revelat exercite suam veracitatem, quam assentiendo teneo non ex alio motivo distincto (puta, quia Deus verax est in revelando suam veracitatem) sed immediate propter se ipsam; hoc tandem nihil est aliud, quam quod tali assensu veracitatem Dei teneo non assentiendo propter testimonium ut motivum formale sive re sive ratione distinctum, quia Deus dixit se esse veracem, sed quia veracitas Dei in actu revelationis mihi se sistit *per se ipsam immediate* ut certissimam. Atque ita video officium pro debita submissione latriae erga Deum, firmissime et super omnia tenendi infinitam Dei veracitatem; et inde simul video officium eadem firmitate assentiendi veritati propositae (puta SS. Trinitatis), non quod haec veritas immediate per se ipsam mihi sistatur ut obiectum adhaesionis, sed *propter formale motivum infinitae veracitatis Dei eam revelantis.* Ideo hic secundus est certe formalis actus fidei; utrum vero prior illa assensio in veracitatem Dei *immediate per se ipsam* mihi se sistentem ut obiectum adhaesionis dicenda sit *fides,* quaestio erit potius de nomine, de quo postea aliquid dicam.

Videlicet assensus in auctoritatem Dei est immediatus, ubi idem est obiectum formale et obiectum materiale (cf. supra cap. II. §. I.); quare veracitas Dei in cognoscendo et in loquendo nobis primitus certa sit oportet non ex testimonio tamquam ratione externa assensus, sed ex sua intestina ratione. Attamen hic assensus licet sit ex perspecta intima ratione, non est naturalis; sed quatenus ingreditur actum fidei, elicitur viribus supernaturalibus, dum voluntas per gratiam elevata imperat assensum super omnia (1), et intellectus adhaeret veritati non iam naturalibus sed supernaturalibus viribus.

Haec supernaturalitas assensus in veracitatem Dei, quatenus est principium fidei, necessario admitti debet, tum *a*) quia (ut diximus) formalis assensus fidei supernaturalis ac super omnia elicitus propter testimonium Dei, innititur illi priori assensui; assensus autem supernaturalis ac super omnia non potest pro fundamento habere assensum naturalem ac proinde ordinis inferioris et minus firmum; tum *b*) adhuc evidentius, quia assensus fidei ex integro debet esse supernaturalis, non esset autem ita supernaturalis, si in suo fundamento quod est cognitio veracitatis Dei, esset naturalis; tum *c*) quia intellectus supernaturaliter elevatus non potest versari circa *obiectum materiale* e. g. mysterium Trinitatis credendum, quin simul versetur circa *obiectum formale* (h. e. circa veracitatem Dei in testando), propter quod creditur; sicut voluntas non potest amare proximum charitate supernaturali propter Deum, et in Deum non charitate supernaturali sed amore solum ferri naturali. Quamvis igitur auctoritas Dei non ex testimonio sed ex intestina ratione cognoscenda sit, refertur tamen ad intellectum elevatum supernaturali lumine fidei. Sicut enim lumen seu vis intellectus naturalis, quod iam superius animadvertimus, non modo valet ad scientiam con-

(1) Infallibilis auctoritas Dei vel menti solum obscure proposita est, vel evidenter illucescit; in priori hypothesi voluntatis imperium necessarium est non solum ad firmitatem sed ad ipsam determinationem assensus; in hypothesi altera locum habet liberum voluntatis imperium ad assensus firmitatem super omnia.

lusionum ex principiis et propter principia, sed hoc ipso et a fortiori etiam ad principiorum quibus conclusionum veritas innititur, intelligentiam ex se ipsis; ita habitus et lumen fidei supernaturale non solum valet ad credendas veritates revelatas propter auctoritatem Dei revelantis, sed etiam velut a fortiori ad supernaturalem assensum in auctoritatem Dei revelantis, propter se ipsam ac proinde in se ipsa et non per aliud apprehensam. « Ipsum testimonium veritatis primae se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis » S. Th. Verit. q. 14. a. 8. ad 16. Probe autem advertendum ac tenendum est, in praesenti ordine dari actus supernaturales ante fidem formalem et velut completam, qua fideles nominamur et sumus; constat enim praecedere pias supernaturales cognitiones et volitiones tendentes ad fidem, supernaturalia fidei desideria, orationes, credulitatis affectum, voluntatem credendi. Qui has primas velut conceptiones fidei negaret oportere esse ex gratia supernaturali, cum Semipelagianis saperet, et incideret in propositiones 26. 27. 29. damnatas in Bulla « Unigenitus; » 5. damnatam ab Alexandro VIII.; 22. Pistoriensium. A fortiori admitti debet supernaturalis cognitio auctoritatis Dei et locutionis Dei, quae ingreditur ipsum actum fidei (1).

6. Si iam conceditur, auctoritatem divinam, quatenus est *obiectum formale* fidei, non ex motivo formali testimonii divini sed ex se ipsa apprehendi cognitione supernaturali; ulterius quaeritur, quomodo haec auctoritatis cognitio sit *immediata*, et non potius deducta ex alia veritate praecognita. Difficultas in eo est, quod auctoritas Dei non videtur cognosci posse nisi ex praecognita divina natura eaque existente, existentia autem Dei (ante fidem divinam) videtur solum cognosci lumine naturali ex creaturis vel ex fide humana; unde ultima resolutio fidei divi-

(1) Quando theologi multi, de quibus supra dixi (p. 615. in nota), negant cognitionem et actus supernaturales ante fidem, hoc intelligi debet de actibus non per se ordinatis ad concipiendam fidem. Doctrinam luculentissime declaratam et probatam lege apud Card. de Lugo disp. XII.

nae fieret in naturalem cognitionem, quod plane falsum esse constat.

Theologi fortasse subtilius quam opus esset, de hac re disputant; responsio vero eorum fere ad duplicem formam revocatur. Primum sufficit cognitio veritatis conditionatae: Deus si loquitur, est infallibilis. Haec cognitio non includit iam affirmationem Dei existentis, sed solum hypothetice affirmat: si Deus infinite perfectus existit et aliquid revelat, est infallibilis. Hoc modo veritas est sine dubio ex ipsa (licet acquisita) idea Dei immediate evidens, vel saltem ab omnibus immediate cognita cognitione obscura et confusa. Hoc autem sufficit, ut sub lumine supernaturali possit esse assensus immediatus supernaturalis et firmissimus. Unde non est quaerenda alia veritas praecognita. Ipsa actualis existentia Dei et auctoritatis divinae deinde affirmatur in altero principio fidei, in propositione scilicet: « Deus hoc revelavit. » Quae revelationis existentia quomodo cognoscenda sit, paulo post dicemus. Essent igitur tres veritates cognitae: si Deus loquitur, est infallibilis (cognitio immediata); Deus revelavit e. g. SS. Trinitatem (de qua propositione infra); propter Dei infallibilem auctoritatem credo tres esse divinas personas (formalis assensus fidei). Ita de Lugo (disp. I. sect. 6. n. 100.); Ripalda (de Fide disp. III. sect. 1.) et alii.

Altera responsio est Petri Hurtado, quae huc redit. Potest admitti, auctoritatem Dei realiter existentem primum cognosci *mediate* ex praecognita natura divina; nec minus prima cognitio existentis naturae divinae seu Dei entis perfectissimi est *mediata* ex praecognitis creaturis vel ex fide humana. Tum vero postquam cognitio iam acquisita est, homo nihil cogitans de medio demonstrationis potest *immediate* ex ipsis terminis iudicare: Deus existit; Deus existens est infinite verax. Haec cognitio immediata per se posset esse naturalis; sed ad constituendum fundamentum actus fidei supernaturalis, Deus lumine infuso elevans intellectum efficit, ut actus cognitionis sit supernaturalis. Ita Hurtadus disp. VI. sect. 4. n. 41.

Posterior haec Hurtadi explicatio ut admitti queat, in

hunc sensum intelligenda est. Naturalis aliqua notitia Dei ordinarie praerequiritur non utique velut fundamentum, sed velut conditio, ut supernaturalis actus assensionis in auctoritatem Dei elici possit, eo fere modo quo aliqui dicunt (Suarez disp. III. sect. 12. n. 13), ordinarie praerequiri notitiam acquisitam ac naturalem de existentia revelationis, velut conditionem, ut elici possit assensus supernaturalis in eandem revelationis existentiam. Hoc modo etiam s. Thomas loquitur de « praeambulis fidei, » cuiusmodi sunt naturalis cognitio existentiae Dei, et aliorum quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo. « Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile » S. Th. 1. q. 2. a. 2. ad 1. Actus vero cognitionis et assensionis qui ut fundamentum continetur in ipso actu fidei, cum sit ex lumine superaddito supernaturali, ipsemet ontologice seu secundum substantiam (ut loqui solent) supernaturalis est, adeoque essentialiter seu secundum suum *esse* omnino differt a cognitione naturali auctoritatis Dei. Hoc ergo sensu spectatis viribus quibus elicitur, spectata origine, et secundum suum *esse* potest ac debet dici *nova cognitio*, non vero secundum obiectivum modum cognoscendi, quod theologus recentior contendit, ita ut auctoritas Dei quatenus per se ipsam ex intestina ratione et non per testimonium ultimatim se manifestat, nihilominus ultimatim fide credatur propter testimonium. Hoc enim primo quidem in se repugnat, tum vero de lumine supernaturali quod nobis in via donatur, ubi etiam supernaturalis cognitio est adhuc per speculum et in aenigmate, omnino certum manet, quod s. Thomas de nostra cognitione « per radium revelationis » dixit, per illum non fieri, ut aliter quam « secundum modum nostrum » cognoscamus, secundum quem « divinus radius nobis superlucet » (1).

(1) « Divinae revelationis radius ad nos pervenit secundum modum nostrum, ut Dionysius dicit; quamvis enim per revelationem elevemur ad aliquid cognoscendum, quod alias nobis esset ignotum, non tamen ad hoc, quod alio modo cognoscamus nisi per sensibilia; unde Dionysius dicit (cap. 1. caelest. Hierarch.), quod impossibile est nobis aliter

Haec quamvis ita sint, non puto tamen in sola explicatione Hurtadi etiam hoc sensu intellecta consistendum, sed ei superaddendam esse declarationem Cardinalis de Lugo, in quam incidit etiam illa Suarezii, si eo modo quo superius dixi, intelligatur vel temperetur. Nimirum non solum subiectiva illuminatio, sed ipsa etiam obiectiva manifestatio auctoritatis Dei quatenus *obiectum formale fidei* constituit, supernaturalis est. Nam auctoritas Dei cognoscitur per se ipsam et ut obiectum immediatum adhaesionis *in ipsa locutione divina supernaturali,* quae nobis sese sistit ut locutio divina. Hac ratione Card. de Lugo dixit, auctoritatem Dei immediate cognoscibilem esse in ipso facto revelationis, quod enuntiatur propositione: « Deus hoc revelavit. » At de modo, quo factum revelationis ex se ipso immediate ac supernaturaliter cognoscatur, potissima oritur difficultas diligenter explicanda.

III. *De cognoscenda existentia divinae revelationis.*

1. Non sufficit ad formalem actum fidei cognovisse infinitam Dei veracitatem tamquam obiectum formale propter quod assensus fidei praestatur, nisi cognoscatur veracitas Dei *ut revelans* aliquam veritatem, h. e. nisi simul cognoscatur existentia revelationis. Neque enim quia Deus verax est, possum credere e. g. SS. Trinitatem, nisi cognoscam Deum veracem revelasse hoc mysterium. Credimus ergo determinatam veritatem propter auctoritatem Dei *revelantis hanc veritatem* (vide supra p. 630. sq.). Unde remanet quaerendum, quomodo cognoscatur existentia revelationis, quatenus ingreditur ipsum actum fidei. Non posse ipsam existentiam revelationis ultimatim (1) credi propter testimonium divinum sive re sive ratione distinctum, quia

superlucere divinum radium, nisi circumvelatum varietate sacrorum velaminum » S. Th. in Boëth. de Trin. lect. II. q. 2. a. 3.

(1) Dico *ultimatim* et regrediendo ad primum actum, in quem fides resolvenda est; ceterum posse et debere credi etiam actibus fidei formalis existentiam revelationis ipsamque auctoritatem Dei, quia utraque veritas est etiam revelata, iterum dicemus inferius.

Deus dixit se hanc illamve veritatem revelasse, sed esse cognoscendam ex se ipsa et ex sua ratione intestina, pariterque hanc cognitionem debere esse supernaturalem, eo modo probatur, quo id de auctoritate divina demonstravimus.

Dum Deus hominibus loquitur, sive immediate ut prophetis et primis suis legatis sive per legatos suos, debet utique sibi, ut verbum suum quibusdam characteribus et velut sigillis reddat hominibus quibus destinatur, cognoscibile tamquam divinum; seu quod perinde est, ut reddat hominibus cognoscibile, Deum ipsum esse, qui vel immediate vel per suos legatos loquitur. « Posuit in nobis verbum reconciliationis; pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos » 2. Cor. V. 20. « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis » 1. Thess. II. 13. Signa autem et characteres, quibus verbum velut insignitum ut verbum Dei revelantis cognoscibile sistitur, sunt multiplicia facta et charismata supernaturalia, quae intelliguntur non posse esse nisi a Deo testante per illa pro verbo suo. « Fiducialiter agentes in Domino *testimonium perhibente verbo gratiae suae* (ἐπι τῳ κυριῳ, τῳ μαρτυρουντι τῳ λογῳ της χαριτος ἀυτου), dante signa et prodigia fieri per manus eorum » Act. XIV. 3. « Si tantam neglexerimus salutem, quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est *contestante Deo* (συνεπιμαρτυρουντος του θεου) signis et portentis et variis virtutibus (δυναμεσι) et Spiritus Sancti distributionibus » Heb. II. 3. 4.

2. Ut paulo distinctius concipiatur, quod dicimus de characteribus conspicuis locutionis divinae, et quomodo divina revelatio existens manifestetur ex se ipsa, animadvertendum est, locutionem divinam esse complexam ex verbis enuntiantibus veritatem et ex factis, quibus verba exhibentur ut locutio divina. « Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur, et sicut humano sermoni verba nova vel minus usitata moderate et decenter aspersa splendorem addunt, ita in factis mirabili-

bus aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia » Aug. ad Deogratias ep. 102. q. 6. n. 33. Unde etiam sensu eodem dictum est: « fides nostra nisi *auditu* non constat *et visu* » (s. Maximus vel alius serm. in Epiphaniam n. 3. Opp. s. Ambrosii Append. serm. 10.).

Si consideretur fastigium divinae revelationis in Christo; imprimis tota vita Iesu Christi, miracula, mors, et prae ceteris resurrectio, electio paucorum rudium hominum ad conversionem generis humani, missio Spiritus Sancti spectata in evidentibus effectibus; tum tota historia humani generis et maxime historia populi Israel cum omnibus suis manifestationibus supernaturalibus ut praeparatio et paedagogia ad Christum, atque tota historia christiana subsequens ut effectus promanans ab ipso Christo; apostolica praedicatio, mirabilis religionis propagatio, media ad finem propositum omnia contraria iis, quibus homines utuntur, et quae humanitus spectata non tam ad obtinendum quam ad impediendum effectum viderentur idonea; effectus autem ex nulla humana causa ingens et universalis in humano genere, inter ferrum et ignem inter tormentorum omnia genera, quibus per tria saecula et amplius saevitum est, conversio omnium idearum ordinis theologici et moralis, commutatio totius vitae publicae et privatae; non minus mirabilis totius institutionis conservatio per saeculorum decursum, omnibus aetatibus moraliter perpetua sanctitas et virtutum nuspiam extra hanc religionem cognitarum constans exercitium heroicum in multis, aestimatio in omnibus, charismata supernaturalia effectibus externis etiam sese manifestantia; postremo totus hic rerum divinarum complexus tum universim tum in factis singulis diu antea promissus et praenuntiatus; haec inquam omnia simul spectata sunt totidem radii, quibus verbum propositum ut divinum resplendet et suam originem divinam manifestat (1)

(1) Locutio cum omnibus his factis divinis composita sese sistit ut *subiectum*, utique non sine consideratione elementorum quibus constat; ei autem convenire *praedicatum* locutionis divinae intelligitur ex ipsa natura *subiecti* ita considerati et ex notione *praedicati* (vide Card. de Lugo disp. I. sect. 7. n. 124.) Non mihi videtur haerendum in vepri-

(cf. tract. de Deo th. VIII.). Vide Concil. Vatican. Const. de Fide cap. 3. can. 3; Encycl. litt. S. P. Pii IX. 9. Nov. 1846.

3. Secundum haec declarat s. Thomas actum fidei, quod fidelis Deum loquentem cognoscit « certis experimentis, » atque ita suscipiens verbum ut verbum Dei, credit ipsi Deo (hoc nempe est obiectum formale et motivum fidei) ea, quae hoc verbo dicuntur (obiectum materiale fidei). Difficultas proposita haec erat: « Nullus est ita infidelis, quin

bus difficultatum, quae nuper promotae sunt contra doctrinam Card. de Lugo, quasi in ea non satis sibi constaret resolutio fidei in solam auctoritatem Dei revelantis, eo quod ad intelligendum locutionem propositam esse locutionem Dei, opus sit consideratione multorum factorum, quae sunt aliquid creatum, et licet a Deo supernaturaliter operante profectum, tamen non in se ipso divinum. Sed profecto Deus in hac vita nec naturaliter nec supernaturaliter sese nobis manifestat sine factis creatis, ex quibus est cognoscendus, atque ita etiam per huiusmodi facta sese nobis exhibet cognoscendum ut loquentem seu revelantem; neque ideo minus est cognitio ipsius Dei revelantis. Unde etiam motivum seu obiectum formale *solum* ac proinde primum et ultimum, proximum et supremum, propter quod credimus rem dictam a Deo, est auctoritas ipsius Dei revelantis, non autem illa facta quatenus sunt aliquid creatum, per quae Deus ut revelantem se nobis manifestat. In theophaniis veteris Testamenti Deus Moysi ac prophetis sese loquentem manifestavit per signa et ostenta sensibilia (e. g. in rubo ardente); cui autem credebant, erat Deus ipse revelans et per ea signa se revelantem manifestans. In fastigio revelationis Dei, Deus in carne se ut Deum revelantem et revelatum exhibuit suis factis divinis. « Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. » « Pater in me manens ipse facit opera. » « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre. » « Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne (ός = Θεος ἐφανερώθη ἐν σαρκί), iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria » (Io. I. 14; V. 36; XIV. 10; 1. Tim. III. 16.). Quod illis qui ab initio ipsi viderunt, erant facta divina per physicam praesentiam, idem nobis sunt toto suo valore permanentia in Ecclesia; atque sicut illi in factis cognoverunt Deum revelantem, et non alteri quam ipsi Deo crediderunt revelata, ita et nos cognoscimus et credimus. In modo perveniendi ad cognitionem factorum diversitas accidentalis est, sed Dei revelantis cognitio in factis, et fides qua propter auctoritatem Dei revelantis credimus revelata, utrobique eiusdem est rationis: « quia *vidisti* me Thoma, *credidisti;* beati qui *non viderunt*, et *crediderunt* » Io. XX. 29.

credat, quod Deus non loquitur nisi verum; ergo credere vera esse quae Deus loquitur, non est actus fidei; sed magis credere vera esse, quae nuntius Dei loquitur; et sic credere homini magis est actus fidei quam credere Deo. » Respondet Angelicus: « Dicendum, quod fidelis credit homini non in quantum homo, sed *in quantum Deus in eo loquitur, quod ex certis experimentis colligere potest; infidelis autem non credit Deo in homine loquenti* » S. Th. 3. dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 2. ad 3. Insuper ex doctrina Angelici fides quoad obiectum materiale non habet inquisitionem rationis, quia nimirum ei assentimur unice propter veritatis primae testimonium; sed quoad locutionem Dei quae est obiectum formale propter quod creditur, eatenus inquisitionem habet, quatenus locutio divina non propter testimonium credenda sed ex factis divinis cognoscenda est. « Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur; habet tamen inquisitionem quandam eorum, per quae inducitur homo ad credendum, *puta quia sunt a Deo dicta et miraculis confirmata* » 2. 2. q. 2. a. 1. ad 1. Dixerat autem paulo ante, hoc ipsum *quod sunt a Deo dicta,* esse formale obiectum fidei in omnibus quae creduntur: « in fide si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud quam veritas prima; *non enim fides assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum* » ibi q. 1. a. 1. Θ.

4. Quando igitur verbum characteribus divinae locutionis insignitum sistitur homini, illud ex sese non quidem *evidenter* sed *certo* (ut mox explicabimus) cognoscibile est tamquam verbum non hominum; sed, sicut est vere, verbum Dei. Est igitur obiectum sufficienter propositum, non ut necessario determinet assensum intellectus, sed ut voluntas mota et confortata per gratiam, pio credulitatis affectu et ex debito infinitae veritati obsequio imperet assensum firmissimum; atque ita intellectus itidem illuminatus et confortatus gratia firmissime assentiatur veritati, Deum esse, qui hoc (e. g. dogma SS. Trinitatis) revelavit. Unde apparet et bene notandum est, non esse hunc assensum mere philosophicum (ut Hermesiani rationabili obsequio fidei

substituerunt fidem rationis naturalis ex argumentis evidentibus necessariam), nec minus quoad hunc assensum, quam quoad actum fidei formalis, damnabilem esse propositionem: « voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium » Prop. XIX. inter damnatas 2. Martii 1679.

Si quaeritur de nomine, utrum talis assensus supernaturalis, de quo loquimur, appellandus sit actus fidei; dicimus, non esse fidem formaliter, quia non est ex motivo formali testantis; neque enim hic ideo creditur, Deum revelasse Trinitatem, quia Deus dicit, se eam revelasse. Potest quidem sine dubio etiam talis actus fidei elici, de quo postea dicemus; sed tum pro illo obiecto materiali fidei: « Deus dicit, se Trinitatem revelasse, » iterum motivum formale assentiendi debet esse locutio Dei ex sese cognoscibilis, vel saltem debet sisti ultimatim in locutione Dei ex sese cognoscibili, ne progressus sit in infinitum, ut superius de cognitione auctoritatis Dei declaratum est. Quod vero spectat illum immediatum assensum, de quo agitur; si nomine *fidei* intelligitur assensus supernaturalis ex habitu ac lumine fidei, imperatus a libera voluntate ex debito obsequio erga supremam maiestatem, atque assensus in divinitatem locutionis quae ut divina cognoscibilis sistitur, imo assensus ingrediens ipsum actum fidei formalis velut principium ac fundamentum; istae omnes proprietates tali immediato assensui conveniunt. Ex his rationibus etiam Card. de Lugo ait, melius istum assensum designari per verbum *credere* quam per verbum *scire* (disput. I. sect. 7. n. 129.), quemadmodum et s. Thomas et alii theologi verbum *credere* saepissime latiori sensu accipiunt. Verum quia ille assensus est immediatus, non est proprie et formaliter actus fidei, qui deberet esse elicitus ex motivo formali, quia Deus dicit hanc locutionem esse suam, non autem quatenus locutio ut divina ex se ipsa cognoscitur. Testimonium itaque divinum ex se ipso apprehensum per assensum supernaturalem se habet ut principium, per quod et propter quod veritates testimonio enuntiatae creduntur formali actu fidei.

5. S. Thomas certissime numquam docuit, ipsam testificationem divinam ut formale obiectum in omni actu fidei esse credendam, fide proprie dicta. Solvendam sibi opposuit hanc difficultatem. « Veritas prima (Deus) comparatur ad fidem dupliciter, scilicet ut testificans, et ut id de quo est fides (ut obiectum formale testificando, et ut obiectum materiale testimonio revelatum e. g. Deum esse trinum personis). Sed non potest poni ut obiectum fidei, ut est testificans; sic enim est extra fidei essentiam (1); nec iterum ut id de quo est fides, quia sic de quocumque enuntiabilia formentur de veritate prima, essent credibilia, quod patet esse falsum. Ergo veritas prima non est proprium fidei obiectum. » In hac obiectione dicuntur duo, unum supponitur per se clarum, Deum videlicet formaliter *ut testificantem,* seu existentiam testimonii divini non esse id, *de quo est fides;* alterum intenditur probari, Deum veritatem primam neque esse obiectum fidei ut obiectum materiale, de quo est fides, quia sic omnis propositio enuntiabilis de Deo esset fide credenda. Iam in responsione, quicumque sequeretur sententiam a nobis impugnatam, necessario simpliciter negaret suppositum, relate ad fidem distingui posse Deum ut testificantem de quo non sit fides, et eundem ut id de quo est fides; nam in hac sententia Deus ut testificans imprimis et maxime est id, de quo est fides. In nostra vero sententia haec distinctio debet admitti, scilicet Deum quatenus est testificans, ultimatim non esse id, de quo est fides formaliter et proprie dicta. Additum vero in obiectione, « ut testificans est extra essentiam fidei, » distinguitur: est extra essentiam fidei ut obiectum materiale fidei, *concedo;* ut principium et obiectum formale, *nego.* Propterea solutio tota vel saltem praecipue referenda est ad id, quod dicitur de obiecto materiali, scilicet Deum non esse id, de quo est fides. Atqui haec ipsa est responsio s. Thomae. « Dicendum, quod *pro tanto* veritas

(1) Videlicet non assentimur in existentiam testimonii propterea, quod Deus dicit, hoc testimonium esse suum; sed id ex certis experimentis colligere possumus, ut paulo ante audivimus ex Angelico.

prima dicitur esse fidei obiectum, *quia de ea est fides* (1); nec tamen oportet, quod quodlibet enuntiabile de Deo formatum sit credibile, *sed illud solum de quo veritas divina testificatur* (haec est solutio rationis allatae in obiectione)... *Ipsum autem testimonium veritatis primae se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis* » S. Th. de Verit. q. 14. a. 8. ad 16. Ait nempe: sicut in scientiis demonstrativis principium est obiectum intellectus immediate cognitum, consequens est obiectum scientiae cognitum ex principio (vide supra p. 582.); ita in fide testimonium veritatis primae est obiectum per se cognitum ab intellectu supernaturaliter elevato per gratiam; illud de quo veritas divina testificatur, est obiectum fidei formaliter dictae (2).

(1) Ad obiectionem ergo, qua dicebatur: non potest Deus poni ut obiectum fidei (materiale), ut est testificans, quia sic est extra fidei essentiam (spectando obiectum, quod creditur), nec iterum ut id, de quo est fides; hic respondet Angelicus: *concedo* primam partem; *nego* secundam partem.

(2) Vix oculis creditur, quando apud quosdam theologos etiam hac nostra aetate leguntur citationes ex hac ipsa quaestione 14. art. 8. de Verit., ex quibus serio affirmant demonstrari s. Thomam diserte docuisse, primam veritatem in quavis revelatione principaliter testari de se ipsa et de facto revelationis seu de existentia divini testimonii, ita ut secundum doctrinam s. Thomae in omni actu fidei non solum obiectum materiale, sed etiam obiectum formale (nempe Dei veracitas in cognoscendo et loquendo atque existentia divini testimonii) fide proprie dicta credatur, quia Deus dicit se esse veracem et se revelasse e. g. mysterium incarnationis. Si haec diserte docet s. Thomas, mirum profecto Suarezium qui, ut vidimus, tam infeliciter praesidium quaesivit a doctore Angelico, ad haec loca diserta quaestionis 14. numquam appellasse; multo magis mirum, quomodo isti theologi s. doctorem nobis exhibeant tam aperte sibi ipsi contrarium suaeque doctrinae, quam in hoc ipso articulo et aliis locis citatis defendit, atque verba ex textu et contextu avulsa proferant velut diserta testimonia pro opinione, cuius nec in illo nec in alio loco s. Thomae ullum est vestigium. Quae tam confidenter producunt, verba haec sunt: « divinum testimonium primo et principaliter est de se ipso » ibi q. 14. a. 8. ad 2; tum haec altera: « veritas prima principaliter de se testificatur; unde se habet in fide et ut medium et ut obiectum » ibidem ad 9.

Iam quaeso legatur textus et contextus. Toto illo articulo Angelicus declarat quaestionem, utrum Deus ipse sit obiectum fidei principale seu subiectum attributionis, ita ut principaliter revelata ac credenda sint

Forte quoad rem ipsam etiam Suarez, ut superius de assensu in veracitatem Dei diximus, non multum distat ab hac explicatione; licet obscure loquatur propter illud

divina, alia autem quae creaturas spectant, revelata et credenda sint in ordine ad Deum, quod s. Thomas etiam alibi saepius tractat (vide 1. q. 1. a. 7. cf. tract. nostrum de Deo Proleg. §. I.). Fides, inquit, est quaedam participatio scientiae divinae; unde sicut « veritas divinae cognitionis primo et principaliter est ipsius rei increatae, creaturarum vero quodammodo consequenter, in quantum quidem cognoscendo se ipsum omnia alia cognoscit; ita fides quae hominem divinae cognitioni coniungit per assensum, ipsum Deum habet sicut principale obiectum, alia vero quaecumque sicut consequenter adiuncta » (de Verit. q. 14. a. 8. Θ. cf. 1. q. 1. a. 3; prolegom. in 1. sentent. q. 2; in Boëth. de Trin. prooem. q. 2. a. 2.). Ad ulteriorem huius doctrinae illustrationem Angelicus (ut solet) sibi opponit difficultatem, qua contenditur, aequo modo pertinere ad obiectum fidei creata sicut divina: « medium fidei est hoc, quod credit Deo aliquid dicenti (obiectum formale fidei); Deo autem credendum est non tantum de veritate prima, sed de qualibet alia veritate; ergo quaelibet veritas est per se materia et obiectum fidei. » Huic obiectioni s. doctor iuxta sensum expositum in corpore articuli et paulo ante a nobis descriptum respondet: « dicendum quod quamvis divino testimonio sit de omnibus credendum; tamen *divinum testimonium sicut cognitio primo et principaliter est de se ipso, et consequenter de aliis, Ioan. XIV. 8: ego testimonium perhibeo de me ipso; unde fides est principaliter de Deo, consequenter de aliis* » ibi ad 2. Evidenter in his verbis, quorum nonnullis particulis ex contextu abruptis adversarii abutuntur, sermo non est de modo, quo ipsum testimonium divinum ut medium fidei cognoscendum sit, ut illi fingunt; sed agitur unice de ordine inter obiecta materialia fidei: sicut cognitio Dei ad intra, ita etiam eius testimonium ad extra est principaliter de Deo ipso, quemadmodum in corpore articuli non solum eodem sensu sed etiam simillima constructione grammatica dixerat: « veritas divinae cognitionis cognoscendo se ipsum omnia alia cognoscit. »

Eadem fallacia in citatione altera adversariorum recurrit non minus patens, dummodo contextus s. Thomae ob oculos habeatur. Nempe in obiectione 9ª quam sibi opponit, iterum asseritur, veritatem primam esse quidem medium cognitionis fidei, non tamen veritates de Deo esse obiectum fidei principalius quam veritates de creaturis: « in qualibet cognitione illud in quod deducimur, obiectum est; illud autem per quod in illud deducimur, medium est. Sed in fide deducimur ad assentiendum aliquibus veritatibus de Deo et creaturis per veritatem primam, in quantum credimus (assensu tenemus) Deum esse veracem. Ergo veritas prima non se habet ut cognitionis (fidei) obiectum » (principale, de quo tota ista Thomae disputatio est). In respon-

suum principium, assensum qui sit supernaturalis et ex gratia fidei, debere esse assensum fidei. Accipimus sane, quod dicit in sua explicatione principali. « Inter homines etiam, quamvis qui loquitur, per expressum actum reflexum non dicat se loqui, loquendo id satis dicit actu exercito; et hac ratione, quando aliquid sufficienter proponitur ut dictum a Deo, *eo ipso locutio illa sufficienter proponitur ut verbum Dei;* et ideo non tantum res dicta, sed etiam locutio ipsa accipienda est et credenda (res dicta formaliter credenda, locutio ut divina accipienda per gratiam fidei et ex libero mentis obsequio erga Deum, non tamen *ultimatim* credenda ex motivo formali, quia Deus dicit, se loqui) iuxta illud Pauli 1. Thess. II. 13: cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei. Hoc ergo modo divinum verbum et rem dictam et se ipsum

sione concedit Angelicus, veritatem primam esse medium seu obiectum formale fidei, *quatenus attestans est,* quae attestatio quomodo cognoscenda sit, hoc loco non dicit; sed simul ait, veritatem primam (Deum) esse princeps obiectum materiale fidei, quia veritates credendas principaliter de se ipsa et consequenter de creaturis revelat. « Dicendum, quod quamvis per veritatem primam deducamur in creaturas, *principaliter tamen per eam deducimur in se ipsam, quia ipsa principaliter de se testificatur;* unde veritas prima se habet in fide et ut medium (quatenus testatur) et ut obiectum » (quatenus de ea principaliter est testificatio seu revelatio) ibi ad 9. Quaenam vero sint illa, quae veritas prima de se ipsa testetur, et in quae per ipsam veritatem primam attestantem deducamur, s. doctor declarat articulo 9. sequenti, sicut et alibi saepissime. Sunt nimirum pro omnibus fidelibus illa omnia et sola, quae a Deo revelata simpliciter humanam rationem superant, et pro aliquibus sunt etiam illa, quae licet per se rationis vim non excedant, excedunt tamen eorum actualem cognitionem; constanter enim tenet Angelicus opinionem, non posse simul consistere scientiam et fidem de eodem obiecto. Unde iam superius diximus, quam falso ei tribuatur ista recentiorum inde a saeculo XVII. sententia, qua in omni actu fidei etiam infallibilitatem Dei fide proprie dicta credi oportere contendunt. Vide cl. P. Kleutgen in Appendicibus ad « Theologiam antiquitatis » fascicul. III. §. XI. p. 197. sqq. (Beilagen zu den Werken über die Theologie und Philosophie der Vorzeit), in qua Appendice et multo amplius in ipso opere Theologiae T. IV. tract. III. reperies, quae ad doctrinam de Fide pertinent, egregie probata et declarata.

dicit, et hac ratione per fidem infusam creditur *non per resolutionem in aliud verbum sed per se ipsum* » disp. III. sect. 12. n. 12.

6. Postremo ne quae de locutione Dei composita ex verbis et factis diximus, praepostere intellecta occasionem praebeant confundendi motivum formale fidei cum motivis credibilitatis, plures rationes diversae factorum divinorum distinguendae sunt. Complexus ille factorum, de quibus diximus, quatenus referuntur ad hoc verbum, quo determinatae veritates credendae proponuntur, potest ac debet spectari tripliciter. *a*) Possunt considerari facta ut referuntur ad veritatem, quae proponitur tamquam revelata; ita exhibent intellectui veritatem illam *evidenter credibilem*, et consequenter intellectus exhibet voluntati evidens officium credendi. Hoc iudicium, veritatem esse credibilem et credendam, sub consideratione motivorum non est liberum immediate sed necessarium, quia est *evidens*. Hoc modo si spectantur illa facta, sunt et dicuntur proprie *motiva credibilitatis;* non autem sunt *formale motivum fidei,* quod est unice *prima veritas revelans*. Neque enim credimus fide divina e. g. Trinitatem ex motivo formali, quia patrata sunt miracula et signa cetera ad confirmandam veritatem; sed unice quia Deus hanc veritatem revelavit: miracula sic spectata solum reddunt evidentem credibilitatem huius veritatis. *b*) Possunt considerari facta per se, ut referuntur ad existentiam revelationis manifestandam. Ita sunt ratio, qua intellectui exhibetur ut certa non tamen ut evidens existentia revelationis, ac proinde sunt ratio, propter quam intellectus ex imperio voluntatis assentitur existentiae revelationis. Hoc etiam modo spectata solent dici motiva *credibilitatis,* quamvis ita existentiam revelationis seu divinitatem locutionis potius exhibeant certo intelligibilem, ut dictum est, quam fide credibilem et credendam. Denique *c*) potest spectari complexus factorum, formaliter ut in coniunctione cum verbo complet locutionem divinam. Ita ingrediuntur et componunt *locutionem Dei,* quae est *motivum formale* fidei; non enim solis verbis sed una cum verbis etiam factis illis omnibus loquitur ipse Deus. Cf. de Lugo disp. I. sect. 7. n. 130. 131; Ripalda de Fide disp. III. sect. 4.

7. Totam seriem actuum intellectus et voluntatis in ordine ad actum fidei quos distincte consideravimus, iam possumus connumerare.

a) Infallibilitas Dei in cognoscendo et loquendo ex intestina sua ratione menti affulget sive sub forma hypothetica: « si Deus loquitur, eius verbum est infallibile; » sive sub forma absoluta (praesupponendo acquisitam cognitionem Dei existentis velut conditionem): « Deus est infallibilis in loquendo. » Mens non naturalibus viribus sed lumine supernaturali fidei, quo credit ipsam veritatem revelatam, assentitur actu supernaturali; et per idem lumen fidei hic assensus ex submissione erga supremam maiestatem est *aestimative super omnia*. Haec auctoritas Dei per se est quidem evidens, per accidens pro aliquibus potest esse non evidens sed certa tantummodo. Imperium voluntatis supernaturaliter elevatae requiritur quoad ipsum assensum simpliciter, si manifestatio non est evidens; etiamsi vero haec sit evidens, locus tamen est imperio voluntatis elevatae quoad firmitatem assensus. Adeoque iam hic actus vel simpliciter vel secundum quid liber est atque adeo meritorius.

b) Locutio aliqua (e. g. tres esse divinas personas) complexa ex verbo formali et ex rebus ac factis divinis proponitur intellectui tamquam locutio divina. Res et facta referuntur tum ad manifestandam divinam originem locutionis, cuius in complexu spectatae sunt elementnm internum; tum ad manifestandam credibilitatem veritatis enuntiatae (e. g. Trinitatis personarum), et ad manifestandum officium credendi. Nam quoad primum illis rebus et factis tamquam rationibus internis evidenter excluditur formido prudens, ne forte talis locutio non sit divina, et postulatur firmus assensus in divinitatem locutionis. Quoad secundum per res illas et per illa facta, quatenus referuntur ad veritatem enuntiatam (Trinitatem personarum), intellectus tamquam per motiva credibilitatis evidenter cognoscit, hanc veritatem esse credibilem et esse credendam. Utrumque hoc iudicium, videlicet iudicium de dignitate rationum postulantium firmum assensum in divinitatem locu-

tionis includens alterum de credibilitate rei dictae et officio credendi, utrumque aio est ex evidentia; utrumque tamen supernaturale, quia intellectus non viribus naturalibus sed viribus gratiae confortatus elicit assensum (1). At licet evidenter cognoscatur utrumque obiectum quod diximus, dignitas nempe rationum pro divinitate locutionis et credibilitas rei dictae; non tamen nobis *evidens* sed solum *obiective certa* est ipsa divinitas locutionis, de quo mox dicemus.

c) Dum igitur intellectus sub supernaturali illustratione videt hanc dignitatem rationum pro divinitate locutionis et credibilitatem rei dictae atque officium credendi; voluntas per inspirationem gratiae libere concipit pium ac supernaturalem credulitatis affectum.

d) Voluntas supernaturaliter elevata ex submissione erga divinam maiestatem libere inclinat intellectum ad assensum firmissimum in divinitatem locutionis exclusa omni formidine de opposito; et intellectus ex imperio voluntatis per vires superadditas gratiae assentitur firmissime, aestimative super omnia, veritati: « haec talis locutio est locutio Dei. »

Gratia tum voluntatis tum intellectus ad actus antecedentes omnes datur in ordine ad ipsum formalem assensum fidei.

e) Denique supposito assensu supernaturali in obiectum formale: « Deus est infinite verax, et Deus revelavit hanc doctrinam e. g. tres esse personas divinas, » sequitur illustrante et inspirante divina gratia assensio supernaturalis aestimative super omnia in ipsam veritatem revelatam *ex motivo formali auctoritatis Dei loquentis,* atque adeo unice inhaerendo primae veritati. Hic iam est formalis actus fidei.

(1) Iudicium de credibilitate debere esse supernaturale, non est dubium, quatenus pertinet ad initium fidei, et requiritur ad concipiendam voluntatem credendi, quae sane iuxta Conciliorum et PP. doctrinam est ex gratia supernaturali. Neque Suarez solas apprehensiones dixit supernaturales, ipsum vero iudicium credibilitatis tantummodo naturale, ut alicui legenti relationem criticam Cardinalis de Lugo videri posset; docet enim Suarez loco citato a Cardinali disertissime, ipsum iudicium credibilitatis posse quidem elici viribus naturae, sed non posse esse sicut oportet, nisi elevetur per illuminationem gratiae. Suarez disput. VI. sect. 8. n. 14; Lugo disp. XI. sect. 1. n. 2.

IV. *De libertate actus fidei formalis.*

1. Ad libertatem assensus fidei formalis necessario praesupponitur et requiritur, ut liber sit assensus in obiectum formale saltem secundum eius partem alterutram divinae auctoritatis et revelationis. Nam sub evidentia non habet locum libertas assensus; atqui omnino evidens est, posita infallibilitate Dei et posita locutione Dei, id quod continetur in hac locutione, esse verum. Ergo quando necessarium est utrumque actuale hoc iudicium: « quidquid Deus dicit, non potest non esse verum; Deus dicit tres esse personas divinas; » profecto etiam necessarius est assensus in veritatem: tres esse personas divinas. Ut enim assensus liber sit libertate *specificationis,* de qua hic agitur, necesse est ut in potestate mentis sit etiam obiecti negatio vel de eodem dubitatio. At negatio vel dubitatio in conclusione (tres sunt divinae personae) iam continet negationem vel dubitationem de alterutra praemissarum; hoc scilicet ipso, quod quis dubitat vel negat tres esse divinas personas, iam etiam dubitat vel negat, quidquid Deus dicit, esse verum; aut Deum hoc dixisse; aut utrumque simul. Nemo enim potest dubitare de evidenti consequentia: si quidquid Deus dicit, est verum, et si Deus dicit tres esse divinas personas, evidenter consequi verum esse hoc a Deo dictum, tres esse personas divinas. Iam vero ex hypothesi iudicium illud utrumque in praemissis esset *evidens,* et proinde necessarium absque possibilitate dubitationis vel negationis; ergo etiam in consequenti dubitatio vel negatio esset impossibilis, et hoc ipso nulla libertas specificationis.

2. Posset forte aliquis concedendo totum quod diximus, ulterius contendere, cum actuali assensu in obiectum formale quantumvis necessario adhuc posse consistere non quidem libertatem *contrarietatis,* sed tamen libertatem *exercitii* in actu formali fidei, quia potest assensus in ipsam veritatem revelatam suspendi propter specialem difficultatem, quae in ea reperitur. At haec suspensio assensus estne solum mentis diversio ab obiecto, an est dubitatio de verita-

te? Ubi agitur de libertate assensus propter defectum evidentiae, numquam est quaestio de libertate avertendi cogitationem ab obiecto; tali enim modo sumus etiam liberi in iudicio $2+2=4$. Dubitatio autem de veritate propositionis singularis una cum iudicio actuali et firmissimo, eam contineri in propositione generali et propositionem generalem esse certissimam, puta dubitatio de veritate Trinitatis una cum iudicio actuali, Trinitatem esse revelatam a Deo, et quidquid est revelatum a Deo esse necessario verum, profecto consistere non potest. Nam dum assentiris obiecto utrique formali, iam virtualiter assentiris veritati ipsi revelatae; si ergo assensus ille prior esset necessarius, posterior non posset esse liber, nisi forte illa libertate divertendi cogitationem, de qua non agitur. Ceterum haec ipsa diversio cogitationis ab obiecto revelato est necessario simul diversio ab obiecto formali; ergo haec ipsa qualiscumque libertas *exercitii* componi non posset cum *actuali* consensu necessario in veritatem utriusque praemissae. Neque enim potest *actu* iudicari: Deus infinite verax dicit hoc verum, et simul diverti iudicium ab hoc vero. Ad summum posset esse iudicium non explicitum sed solum implicitum.

Quod dicitur de speciali difficultate, quae reperiri solet in obiecto materiali, ea certe efficere potest, ut negetur vel suspendatur assensus, si hic liber est; eo ipso autem iam etiam suspenditur vel negatur assensus in alterutram ex praemissis. Potest sane aliquis speciali difficultate induci ad dubitandum e. g. de unitate naturae in tribus personis, at hoc ipso iam dubitat, utrum haec doctrina sit a Deo revelata; nam de altero, utrum Deus sit verax in revelando, nemo nisi forte valde ignorans vel delirans dubitare potest (1).

(1) Disputationes theologorum etiam prolixae ad probandam absolutam veracitatem Dei, et ex altera parte sophisticae rationes contra eam inductae hoc unum ostendunt, veritates etiam evidentes (exceptis primis principiis) licet demonstratione non indigeant, tamen eam admittere. Quod autem dicuntur fuisse disputatores theologici, qui dubitari posse putaverint de absoluta repugnantia falsitatis in revelatione vere divina, probat sophisticam subtilitatem quandoque vicinam esse dilirio.

Dici solet, libertatem assensus fidei inde esse, quod obiectum materiale in se et intrinsecus non intelligimus. At hoc imprimis universim admittere nequeunt, qui nobiscum tenent posse etiam fide divina et libera credi, quae aliunde ex ratione intestina sunt evidentia (cf. tract. de Deo th. IX. n. II); tum etiam in veritatibus quas in se minime intelligimus, potest quidem ex hac ratione specialis difficultas in assentiendo ortum habere, sed non potest inde explicari libertas fidei, nisi quatenus simul supponitur inevidentia et libertas assentiendi in álterutro obiecto formali. Si enim obiectum formale in utraque sua parte esset evidens, etiam cum evidentia manifestaret existentiam, quamvis non declararet internam rationem obiecti, quod creditur; unde iam non esset libertas in credendo existentiam talis veritatis utpote *evidenter* manifestatam. Quando igitur s. Thomas vel alii theologi considerant libertatem fidei in relatione ad illam internam inevidentiam obiecti materialis, intelligendi sunt *supposita inevidentia obiecti formalis* loqui de illa speciali difficultate, quae oritur ex non perspecta ratione ipsius veritatis credendae. Ceterum ut iam dixi, interna inevidentia veritatis credendae seu *obiecti materialis* neque necessaria est, ut possit esse obiectum liberi actus fidei, dummodo sit non evidens *obiectum formale.* Licet enim aliquis evidenter cognoscat veritates rationales, potest tamen eas credere libero actu fidei, si simul sunt propositae revelatione, quam certo non tamen evidenter cognoscit ut divinam; tum vero non quidem ratione obiecti materialis sed tamen ratione obiecti formalis dicetur fides *« argumentum non apparentium »* Heb. XI. 1.

Itaque ipsa possibilitas dubiorum de veritate doctrinae revelatae, quae dubia oriantur ex insita doctrinae difficultate, supponit et ostendit libertatem assensus in alterutram ex duabus veritatibus constituentibus obiectum formale. Vide Suarez disp. III. sect. 8. n. 19-21; de Lugo disp. II. sect. 1. n. 9. sqq. Iam vero cum actus fidei sit ex sua natura actus liber, ut non solum experientia et factis heu nimis confirmatur, sed omnino constat ex Scriptura, ex doctrina PP. et consensu theologorum, et ex intima eius

ratione, quia est actus meritorius virtutis (vide Suarez disp. VI. sect. 6), ex diserta denique definitione Concili oecumenici Vaticani (Constit. de Fide cap. 3. can. 5.); cum deinde veracitas Dei forte omnibus sit vel saltem possit esse evidens, ac proinde assensus in eam, spectatus in se et non spectata eius supernaturali firmitate super omnia, necessarius sit vel saltem esse possit: consequitur divinitatem locutionis non esse, et quatenus pertinet ad obiectum formale liberi actus fidei, non posse esse evidentem, licet sit et cognoscatur certissima.

3. Quomodo vero divinitas locutionis certa sit, nec tamen evidens, ex superius declaratis facile explicatur. Si verbum seu doctrina consideretur illo sacro velut apparatu circumvestita, de quo diximus, evidenter dignitas rationum prae quovis intellectu postulat firmum assensum et excludit formidinem prudentem de opposito, est ergo *certitudo obiectiva* (supra cap. I. n. II. 2.) relucens intellectui ex ipsa intestina ratione revelationis spectatae in complexu, ut constat verbis et factis. Quamvis vero tot splendeant rationes manifestantes existentiam revelationis, ut sit *evidens* exclusio *prudentis* formidinis de opposito, adeoque dum perspiciuntur et saltem dum actu considerantur rationes, rapiatur assensus in hanc veritatem: „prudenter absque formidine erroris teneri posse ac *debere* existentiam revelationis;" et quamvis proinde in sensu composito cum actuali consideratione rationum non maneat libertas ad iudicium hoc alterum: „*prudenter* posse dubitari de existentia revelationis;" nihilo tamen minus existentia ipsa revelationis non est *evidens,* sed tantummodo *obiective certa,* h. e. manifestatio rationum non est clara eo gradu, ut excludat etiam possibilitatem formidinis imprudentis. Ideo assensus intellectus non rapitur sublata libertate in hoc iudicium: „existit revelatio;" non rapitur inquam necessario, saltem ubi non de revelatione generatim spectata sed de revelatione singularum veritatum agitur. Unde intellectus manens per se indeterminatus ad assensum praestandum vel negandum, per voluntatem inclinandus est ad alterutrum; si tamen perspectis rationibus negat assensum, ne-

cessario simul iudicat, imprudenter et contra certum officium se agere. Dum igitur locutio Dei complexa, h. e. locutio *formalis* per doctrinam et *realis* per facta menti exhibetur, illa ex se ipsa et ex sua insita ratione non autem per aliud motivum diversum, atque ideo *immediate* intelligitur *cum certitudine* non tamen *per evidentiam* ut verbum non hominum, sed sicut est vere, verbum Dei. Primum iudicium: « *debetur* assensus firmus, hanc locutionem esse divinam, » iudicium est ex *evidentia*; alterum iudicium: « haec locutio est divina, » debet esse iudicium *certum* exclusa formidine de opposito, non tamen est ex evidentia, et ideo ad firmum assensum requiritur imperium liberae voluntatis.

Si quis existimet, aliquando saltem primis fidei promulgatoribus, prophetis et Apostolis fuisse stricto sensu *evidentem* divinitatem revelationis; in hac hypothesi assensus in rem dictam posset quidem appellari actus fidei, quia fuisset assensus propter cognitam auctoritatem Dei revelantis; attamen assensus liber non fuisset, et ideo alterius rationis censeri deberet ac est virtus fidei nostrae; unde aliqui talem assensum malunt dicere *cognitionem propheticam* quam fidem. Ex hoc autem ipso apparet, etiam illos sanctos Dei homines saltem non in omnibus veritatibus revelatis habuisse talem stricte dictam evidentiam revelationis, quia sane virtutem fidei meritoriam et eiusdem rationis ac fidem nostram in eis nemo negare potest. Suarez disp. III. sect. 8. n. 5. sqq.; de Lugo disp. II. sect. 1.

Ex omnibus dictis constat, quomodo se habeat voluntatis imperium in formali actu fidei. Voluntas per gratiam confortata inclinet oportet intellectum ad firmissimum assensum in veritatem revelatam propter Dei loquentis auctoritatem praestandum; unde voluntatis imperium non potest inclinare intellectum ad assensum in veritatem revelatam, quin simul inclinet ad assensum in divinitatem locutionis; et ideo locum habet actus liber voluntatis quoad obiectum materiale fidei, quia intercedit eiusdem voluntatis actus liber quoad obiectum formale, h. e. quoad divinitatem revelationis propositae.

Corollarium 1. Peccatum internae negationis fidei non committunt homines ita, ut retento assensu in existentiam verbi revelati negent vera esse, quae illo verbo suo Deus dicit; neque enim id fieri potest. Unde vidimus s. Thomam concedere, « quod nullus est ita infidelis, quin credat, quod Deus non loquitur nisi verum. » Peccant vero infideles eo, quod revelatione sufficienter proposita ut evidenter credibili et credenda negant tamen assensum in existentiam talis revelationis, et consequenter negant assensum in veritatem revelatione propositam. Exigit enim suprema Dei maiestas atque auctoritas hoc absolutum obsequium creaturae rationalis, ut quando verbum Dei sufficienter est propositum, assensus praestetur firmissimus. « Fidelis credit homini, in quantum Deus in eo loquitur, quod ex certis experimentis colligere potest; infidelis autem non credit Deo in homine loquenti » S. Th. l. c. (supra p. 631.). Hinc etiam patet, auctoritatem Dei, ut obiectum formale fidei, relate ad intellectum credentis esse quidem (ut diximus) infinitam veritatem in cognoscendo et veracitatem in revelando; sed relate ad voluntatem, ut imperet assensum, motivum inclusum in auctoritate esse etiam supremam Dei maiestatem. Ita etiam a s. Thoma loco mox citando « ratio *inclinans voluntatem* » dicitur « ipsa veritas prima sive Deus » (1).

Ex his ulterius sequitur, fidem habitualem consistere in ea animi dispositione per supernaturale permanens donum effecta, secundum quam homini veluti connaturalis est voluntaria subiectio intellectus sub auctoritatem Dei, et promptitudo sub auxilio actualis gratiae credendi, quidquid ut divinitus revelatum sufficienter proponitur. Ex quo intelligitur, fidem habitualem manere eandem, sive amplior

(1) Relate ad voluntatem debent utique etiam spectari ut obiective moventia bona ipsi credenti promissa et mala non credenti intentata, quae saepe commemorat Angelicus. Quoniam vero fides formaliter est in intellectu, non sane haec quae movent voluntatem, sed sola veritas prima revelans, propter quam intellectus (imperante voluntate) praestat assensum, est *formale obiectum fidei,* ut saepe iam dictum est in superioribus.

sive minus ampla sit cognitio explicita obiectorum fidei materialium; et simul redditur intima ratio, cur habitus fidei penitus amittatur, quando deliberate negando assensum etiam in unicam veritatem sufficienter propositam peccatur contra fidem.

Corollarium 2. Firmitas assensus potest intelligi dupliciter, primo ita, ut ex ipso modo cognoscendi excludatur *physica possibilitas formidinis* de opposito; secundo quatenus assensus liber est, adeoque non ex sua natura excludit physicam possibilitatem formidinis, sed *ex imperio voluntatis* adhaeret suo obiecto *cum exclusione cuiusvis formidinis actualis*. Prior illa firmitas est propria evidentiae, adeoque de ea in actu fidei non est sermo. Altero modo spectata firmitas in assensu fidei divinae est *aestimative super omnia*, h. e. voluntas per gratiam confortata ita imperat assensum firmum intellectus supernaturaliter illustrati cum exclusione formidinis de opposito, ut quantum a libertate pendet (1), omnia quae cognoscuntur scientia naturali, vellet habere falsa, si opponerentur veritatibus fidei sufficienter propositis, quia infinita Dei auctoritas digna est hoc absoluto mentis obsequio. « Certitudo quae est in scientia et intellectu est ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur; certitudo autem fidei est ex firma adhaesione ad id, quod creditur. In his ergo quae per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans ut dictum est, est ipsa veritas prima sive Deus, cui creditur, quae habet maiorem firmitatem quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur: et ideo fides habet maiorem certitudinem quantum ad firmitatem adhaesionis,

(1) « Regula generalis haec esse potest, ait de Lugo, ut per fidem assentiatur intellectus firmissime, ea scilicet firmitate, ut promptus sit ad neganda potius omnia obiecta contraria, quae saltem ex imperio voluntatis negare potuerit; neque enim potest esse paratus negare, quae nullo modo negare potuerit... Chimaericum est proponi per fidem id, quod omnimoda claritate et undequaque constet esse falsum, et quod intellectus non posset credere esse verum, cum evidentia perfectissima cogat illum ad assentiendum eius contradictorio » de Lugo disp. VI. n. 51. 53.

quam sit certitudo scientiae vel intellectus; quamvis in scientia et intellectu sit maior evidentia eorum, quibus assentitur » S. Th. 3. dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 3. Cf. Ripalda de Fide disp. XI. sect. 3. n. 37. 43. 45. sq. Ex his intelliguntur duo.

a) Apparet ratio, cur haeretici formales qui recusant assensum alicui veritati fidei eis sufficienter propositae, neque circa alias fidei veritates quibus assentiuntur, eliciant actus fidei *super omnia,* quales actus supernaturales fidei divinae esse oportet. Sicut enim repugnat, ut Deus summum bonum ametur charitate super omnia in observatione ceterorum mandatorum, dum unum violatur, et eo ipso Deus *appretiative* alicui bono non praefertur; ita Deus prima veritas non potest coli mentis obsequio et subiectione *appretiative* super omnia in credendis ceteris veritatibus, dum hoc obsequium in una aliqua veritate satis proposita negatur. In hoc enim ipso consistit animi dispositio per fidem habitualem et *firmitas super omnia,* quae includitur in quovis actu fidei divinae, ut homo propter solam auctoritatem Dei promptus sit aequali modo sese subiicere cuivis veritati, quamprimum tamquam revelata sufficienter est proposita. Cf. de Lugo disp. XVII. sect. 6. n. 122. (1).

b) Pariter ex dictis constat, cur possibilitas dubii imo etiam actualis *indeliberata* dubitatio non obsit firmitati fidei. Exclusio enim formidinis de opposito, ut diximus, est ex imperio liberae voluntatis; quamdiu ergo perseverat *deliberata* voluntatis repugnantia adversus formidinem erroris, manet etiam firmitas fidei propria. Cf. S. Th. l. c. ad 2.; Ripalda disp. XI. sect. 2. n. 18. 19.

(1) Inter veteres scholae theologos solus Durandus censuit, haereticos errantes culpabiliter circa unum articulum adhuc elicere actus fidei theologicae circa articulos alios. Ripalda de Fide disp. IX. sect. 4; disp. VI. sect. 4. n. 34. 35. valde propendet in sententiam, elici ab illis haereticis actus fidei supernaturales licet imperfectos; concludit tamen n. 63: « equidem affirmarem, si praeter Durandum duces essent nostri secundi scriptores; sed cohibeo sententiam, donec alii praeluceant. » Sane consensus theologorum adeo constans satis est, ut illis quibuscumque actibus imperfectis propria ratio fidei divinae ac theologicae neganda sit, nec modus deest, quo haec res explicetur, ut apparet ex dictis in textu.

Corollarium 3. Quamvis auctoritas Dei et locutio divina sint motivum et obiectum formale fidei, atque sub ista ratione haec motiva saltem in primo actu fidei non per assensum fidei propter auctoritatem Dei revelantis, sed ex manifestatione intrinsecus cognoscibili intelligantur modo, quo declaravimus; nihilominus sub alia ratione tum auctoritas Dei tum existentia locutionis divinae sunt etiam obiectum materiale fidei, atque adeo veritas credenda propter auctoritatem Dei revelantis. Revelavit enim Deus sive explicite sive saltem actu exercito tum suam infinitam veracitatem tum suae revelationis existentiam. In hoc autem actu fidei auctoritas et locutio Dei ut obiectum formale propter quod creditur, cognoscitur modo supra explicato ex rationibus internis, et eadem auctoritas atque locutio creditur ut obiectum materiale. Est ergo in tali actu fidei duplex assensus supernaturalis in idem obiectum sub duplici diversa ratione spectatum. Praecognosco uno actu auctoritatem Dei revelantis ex rationibus internis; tum alio actu saltem virtualiter distincto (actu fidei), propter auctoritatem Dei revelantis assentior utrique huic veritati: « Deus est infinita veracitas, » « Deus se manifestavit supernaturali revelatione. » Vide tract. de Deo th. IX.

Corollarium 4. Quamvis ex dictis cognitio obiecti formalis ultimatim non sit mediata per actum fidei propter motivum auctoritatis Dei revelantis, sed immediata ex rationibus intestinis; potest tamen ille supernaturalis firmissimus assensus in auctoritatem Dei et adhuc magis assensus inevidens et liber in divinitatem locutionis propositae latiori nominis significatione appellari *assensus fidei*, tum quia veritas utraque est obiectum formale fidei et ingreditur ut motivum ipsum fidei actum, tum maxime quia assensus uterque elicitur ab intellectu sub lumine fidei supernaturali. Cf. de Lugo disp. I. sect. 7. n. 129.

CAPUT V.

DE NECESSITATE PROPOSITIONIS VERITATIS PER ECCLESIAM.

Declarandus primum est status praesentis quaestionis. Aliqui theologi docuerunt, ultimam fidei analysin fieri in auctoritatem infallibilem Ecclesiae. Quaerenti enim cur hanc illamve veritatem credamus, respondemus: quia Deus infinita veritas revelavit; porro interroganti quomodo constet, Deum revelasse, reddimus rationem fidei nostrae: quia Ecclesia infallibilis id docet. Referuntur in hac opinione fuisse Durandus, Gabriel Biel, Almainus in 3. dist. 23–25; Michael Medina l. V. de recta in Deum Fide aliique, quorum sensum non adeo extra controversiam certum explicat Petrus Hurtadus de Fide disp. VII. sect. 2. Communis theologorum consensus hanc doctrinam improbat. Si enim auctoritas Ecclesiae assumitur ut infallibilis sub assistentia Spiritus Sancti; ita ipsamet est obiectum materiale fidei *quod creditur,* nec ergo potest esse principium, in quod ultimo fides resolvitur. Quaerendum scilicet superest, cur credatur haec ipsa assistentia Spiritus Sancti ad constituendam infallibilem Ecclesiam; et sane respondendum, eam credi propter auctoritatem Dei revelantis. Si vero auctoritas Ecclesiae intelligitur humana tantummodo, quatenus constituitur sapientia, integritate vitae, constantia, consensu tantae multitudinis per omnes aetates; ita haec auctoritas constituit utique motivum credibilitatis, non tamen obiectum formale, propter quod fide divina credatur veritas proposita ab Ecclesia, et in quod proinde fiat resolutio fidei; cum assensus fidei divinae esse non possit nisi propter auctoritatem Dei revelantis. Quomodo de hac re sentiendum sit, et quid veri quid falsi subsit illi pauciorum theologorum doctrinae, prout referri solet, hic declarare conabimur iuxta principia paulo ante in analysi fidei et in tractatu de Traditione demonstrata.

Tria considerabimus, *a*) quomodo Ecclesia velut factum divinum pertineat ad ipsam locutionem divinam; *b*) quomodo propterea per Ecclesiam divinitas revelationis sit

omnibus cognoscibilis; denique *c*) quomodo ad fidem divinam ac catholicam se habeat ipsum formale testimonium Ecclesiae.

I. *Quomodo Deus per Ecclesiam tamquam per factum suum seu tamquam per verba realia coniuncta cum suis verbis formalibus loquatur omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

1. Locutio quae nunc proponitur ut divina, et cuius divinitas ex rationibus internis cognoscenda est modo, quo diximus toto antecedenti capite IV., haec inquam locutio nunc proposita, non nunc primum a Deo prodiit, sed ante multa saecula a Deo profecta ad nos usque conservata est. Unde cognoscere hoc verbum (e. g. « Deus est unus et trinus ») tamquam divinum, idem est ac cognoscere, hoc verbum quod nunc proponitur, pridem a Deo revelatum ad nos usque conservatum esse. Iam vero organon a Deo institutum ad promulgationem, propagationem et conservationem totius revelationis est docens Ecclesia, h. e. constituti a Christo Apostoli et eorum perennes successores. Hinc Deus *rebus et factis* cognoscibiles reddidit primum Apostolos tamquam suos legatos in promulganda revelatione. « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae... Illi autem profecti praedicaverunt ubique *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* » Marc. XVI. 20.; Heb. II. 4. etc. Successores serie perpetua immediate nectuntur cum ipsis Apostolis, et in mundo universo communione et doctrina inter se coniuncti velut unum corpus ad nos usque pertingunt. Ex connexione cum Apostolis et cum Christo ipso *res illae et facta* Christi et Apostolorum pertinent ad totam Ecclesiam subsequentem, quae et ipsa insuper novis *rebus et factis* quavis aetate insignitur tamquam sigillis demonstrantibus eius institutionem divinam et connexionem cum Christo et Apostolis. Res enim et facta indicata superius (p. 656. sq.) pertinent omnia ad Ecclesiam, et cum Ecclesia cohaerent vel tamquam eius principia efficientia et constituentia vel tamquam

effectus et, si ita loqui fas est, tamquam eius actus vitales, quibus Ecclesia ipsa ut societas divinitus instituta et supernaturalis manifestatur. Lege s. Augustini mirabilem epistolam 137. n. 15. seqq. ad Volusianum, et libellum de utilitate credendi n. 32. 35.

Ita ergo Ecclesia, corpus cum capite Christo, inde ab origine humani generis usque ad nos exhibetur tamquam moraliter unum grande quoddam factum divinum, in quo Christus historice cognoscibilis in sua vita, suis miraculis, impletis prophetiis, doctrinae sanctitate, sublimitate, modo docendi, sua morte et resurrectione et glorificatione est principium et finis, A et Ω; multiplices autem series factorum antecedentium et consequentium quae sunt ipsius Ecclesiae manifestationes, progrediuntur a Christo et ad Christum convergunt tamquam radii ad centrum sive ut praeparationes sive ut effectus, atque Christum ipsum partim ut supernaturalem suam causam demonstrant, partim ex Christo cognito in se perfectius intelliguntur, sicut generatim causa ex effectibus et vicissim effectus ex causa cognoscuntur. Sicut ergo Christus Dominus ipse, sicut deinde Apostoli *rebus et factis* sese exhibebant cognoscibiles ut legatos divinos, ita Ecclesia tum per ipsam connexionem cum Christo tamquam capite ac fundatore et cum Apostolis tamquam primis suis plantatoribus, rigatoribus ac membris, tum per novas et perpetuas series rerum et factorum sese exhibet velut continuationem legationis Christi et Apostolorum. Cf. tract. de Traditione th. IV. sqq.

2. Hinc iam apparet, quomodo Ecclesia spectata secundum *res et facta,* quibus divina eius institutio et missio cognoscibilis redditur, sit velut elementum componens locutionem divinam perpetuo permanentem et perpetuo cognoscibilem. Praedicatio et prima promulgatio revelationis, loquendo nunc de novo Testamento, peracta a Christo et ab Apostolis componebatur *verbis* et *rebus,* et per res locutio erat cognoscibilis ut divina, « *Domino testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa* » Act. XIV. 3.; hoc est, revelatio composita *verbis* et *rebus* ex sua insita ratione erat cognoscibilis ut divina postulans assensum in hanc

veritatem: talem locutionem (quae est *subiectum*) esse locutionem divinam (quod est *praedicatum*). Vide supra p. 657. in nota. Pari ergo modo revelatio, quae nunc ab Ecclesia proponitur tamquam revelatio derivata inde a Christo et ab Apostolis, non tantum verbis constat sed etiam tota serie *rerum et factorum,* quibus Ecclesia exhibetur ut divinitus instituta et pro Christo legatione fungens ad conservationem et praedicationem doctrinae. Ergo non solùm in personali praedicatione Christi et Apostolorum, sed etiam perpetuo in Ecclesia *res illae et facta,* connexio inquam Ecclesiae cum Christo et Apostolis, mirabilis propagatio et conservatio, consensio, supernaturalia charismata sese manifestantia, constantia in fide accepta, martyria, tota spiritualis vita Ecclesiae manifestata, omnia scilicet illa quae diximus *Ecclesiam spectatam secundum res et facta,* componunt ipsam divinam locutionem, quatenus constat duplici elemento verborum ac rerum.

3. Est autem hic sedulo adtendendum ad triplicem diversam considerationem rerum et factorum, quam supra p. 665. declaravimus, ne quis in re tam gravi fallatur, vel modo loquendi occasionem praebeat errandi. Ut saepe diximus, motivum formale fidei est unice *auctoritas Dei loquentis.* Unde si res et facta *per se et seorsum* spectentur, sunt in ordine ad locutionem divinam signa manifestantia intellectui eius divinitatem, in ordine ad rem credendam signa manifestantia eius credibilitatem, atque adeo modo utroque sunt *motiva credibilitatis.* Solum tertio modo considerata, ut Deus suam locutionem et divinam suam eloquentiam iuxta dictum Augustini componit verbis et factis, facta ingrediuntur ipsam locutionem divinam ex suis internis rationibus cognoscendam, hocque modo ingrediuntur ipsum motivum formale. Ita dum rex loquitur per suum legatum, motivum formale credendi fide debita verbo regio est auctoritas regis loquentis, non diploma et sigillum regium vel apparatus, quo legatus comparet. At si res illae considerantur ut elementum componens cum verbis unam locutionem regiam, quae ita in complexu spectata ex sese est cognoscibilis; hoc modo res illae ingrediuntur ipsum motivum formale.

II. *Quomodo divinitas revelationis per Ecclesiam tamquam per factum divinum omnibus facile sit cognoscibilis.*

1. Diligens consideratio doctrinae paulo ante expositae magni momenti est propter consectaria, quae ex ea consequuntur. Inde enim intelligitur, facile esse et etiam rudibus obvium in Ecclesia catholica cognoscere revelationis propositae divinitatem, sine cuius utpote obiecti formalis certa licet inevidenti cognitione fides locum habere non potest. Dico cognitionem hanc in Ecclesia catholica etiam rudibus esse obviam, quia Ecclesia ut complexus rerum et factorum (tamquam motivum credibilitatis) evidenter ostendens credibilitatem doctrinae et officium credendi, et quatenus componit ipsam locutionem divinam, reddens locutionis divinitatem certo cognoscibilem, etiam a rudibus facile cognoscitur modo forte confuso sed certe sufficienti, ut eis *evidens* sit officium assentiendi in existentiam locutionis divinae, et *evidens* credibilitas rei in tali locutione propositae. Facile enim omnes possunt cognoscere e. g. suos sacerdotes cohaerere in fide et doctrina cum Episcopis, a quibus missi sunt ad docendos et pascendos fideles, Episcopos esse unitos cum Pontifice Romano et cum Ecclesia in toto orbe terrarum. Unde facile eis innotescit, doctrinam propositam esse in fide totius Ecclesiae. Nec minus obvia eis est confusa saltem notitia aliquot proprietatum Ecclesiae et miraculorum, quibus revelatio confirmata est. Haec autem cognitio rerum et factorum per se sufficiens plane est, ut pariat evidentiam credibilitatis et officii ad firmissime credendum propter auctoritatem Dei revelantis; nec quoad rei summam cognitio alia est per scientiam philosophicam et theologicam. In doctoribus amplior et distinctior scientia motivorum credibilitatis potissimum requiritur ad defensionem fidei, et ad detegendas fallacias (1).

(1) Ex eadem ratione evidens est, quam gravis urgeat necessitas amplioris et distinctioris institutionis quoad simplices fideles quibusdam luctuosis temporibus, ubi acerbior imminet hostium fidei impugnatio et maius perversionis periculum.

2. Divina nempe bonitas et sapientia verbum suum ita reddidit cognoscibile, et veritates revelatas ita motivis credibilitatis exhibet credibiles in Ecclesia catholica, ut in hac et in hac sola Ecclesia omnes etiam rudes habeant modo sibi accommodato fundamenta certitudinis, qua omne prudens dubium excludatur non solum relative pro praesenti sua mentis cultura, sed absolute pro quovis stadio scientiae; ac proinde etiam pro ipsis ex motivis quae actu cognoscunt, incommutabiliter certum sit ac maneat, rationes oppositas, quaecumque illae sint, non posse esse nisi apparentes.

Sane quoniam Deus revelationem suam per Christum et per Spiritum Sanctum missum in Apostolos completam destinavit omnibus gentibus et omnibus temporibus; ideo pro omnibus gentibus usque ad ultimum terrae et pro omnibus temporibus usque ad consummationem saeculi (Matth. XXVIII. 19; Act. I. 18.) misit legatos suos in perpetua successione et mutua consensione insignitos characteribus divinae missionis et auctoritatis. Quae tandem est institutio Ecclesiae in sua apostolicitate, catholicitate, unitate et sanctitate facile cognoscibilis, ut per eam Christus caput perpetuo conservet, praedicet, et explicet totam doctrinam revelatam.

In hac igitur Ecclesia et per hanc solam voluit Deus propositionem totius revelatae doctrinae reddere accommodatam omnibus gentibus et omnibus temporibus. Est enim Ecclesia a Christo ita instituta iisque insignita characteribus, ut ipsamet verissime sit ac dici debeat magnum quoddam ac perpetuum motivum credibilitatis, seu potius compendium omnium motivorum, quibus divina revelatio cognoscibilis, et revelata doctrina credibilis ac credenda exhibetur. Motiva namque credibilitatis omnia quibus Christus ipse et quibus Apostoli in virtute Spiritus Sancti suam praedicationem collustrarunt, ad Ecclesiam catholicam in sua manifesta connexione cum Christo et Apostolis et ad nullam aliam communionem pertinent, sicut ad eam solam pertinet motivorum continuatio in mirabili propagatione et conservatione religionis christianae, in eiusdem effectibus omnes naturales causas excedentibus, in mar-

tyriorum modo ac multitudine, in multiplici charismatum manifestatione (cf. s. Augustin. de utilit. credendi c. 17.).

Quae omnia licet fideles catholici rudiores non noverint distincte nec ipsi explicare valeant, noverunt tamen modo ipsis accommodato unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, atque in hac semper eis ob oculos versatur incommutabile, plene sufficiens ac certum credibilitatis motivum motivorumque complexus ita, ut fundamentis innitantur firmissimis parati semper, quantum ad singulos pro eorum conditione spectat, per Ecclesiam ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in eis est spe.

3. Quoniam itaque modus locutionis divinae omnibus accommodatus et quoad omnes veritates revelatas secundum praesentem oeconomiam et institutionem Christi non reperitur nisi in sola Ecclesia catholica, et quoniam facta omnia divina quae tum motiva credibilitatis tum elementum componens ipsam divinam locutionem constituunt, intime pertinent ad Ecclesiam catholicam, per quam solam omnibus gentibus cognoscibilis et credibilis revelatio divina integra per omnes aetates conservata est et conservabitur; inde consequitur, etiam illos qui Ecclesiam catholicam ignorant, saltem indirecte huic ipsi Ecclesiae debere cognoscibilem et credibilem, si quae eis fit, revelationis propositionem et exhibitionem. Nominatim illis, qui in communione haeretica sunt extra Ecclesiam et hanc invincibiliter adeoque inculpabiliter ignorant, revelationis divinitas velut per radios ex Ecclesia catholica progredientibus illustratur et redditur cognoscibilis. Praesertim rudibus *ordinarie* praesens locutio ut divina non est alio modo cognoscibilis nisi per Ecclesiam, quatenus haec rebus et factis sese exhibet in connexione cum Christo et Apostolis custodem depositi; adeo ut etiam ad eos, qui inculpabiliter extra corpus Ecclesiae versantes fide divina credunt, verbum Dei per Ecclesiam catholicam pervenire dicendum sit. Quamvis enim huiusmodi *haeretici materiales* instituantur a ministris suae sectae, divinitatem tamen locutionis in dogmatibus vere revelatis quae eis proponuntur,

cognoscunt, quatenus componitur praesens locutio cum perpetua successione et cum serie factorum divinorum pertinentium ad Ecclesiam catholicam, quam Romanam esse ipsi ex hypothesi inculpabiliter ignorant.

4. Verum in tota hac causa propositionis fidei tum pro iis qui sunt in corpore Ecclesiae, tum pro aliis qui ad illud nondum pertinent, primum et praecipue spectari debet supernaturalis gratia interna, sive quatenus est infusio virtutis permanentis (Conc. Trid. sess. VI. cap. 7.), sive quatenus est adiutorium « illuminationis et inspirationis » ad actus fidei salutaris ipsumque eius initium. Fides itaque non est naturalis convictio, tantummodo « quantum mereatur pondus rationum ad assensum impellentium » (Propos. XIX. inter damnatas ab Innocent. XI. 2. Martii 1679.); sed fidei assensus eiusque firmitas est supernaturalis ex gratia elevante ac confortante tum voluntatem, ex cuius imperio seu inclinatione elicitur, tum intellectum qui propter veritatem primam revelantem adhaeret veritati revelatae assensu respondente dignitati auctoritatis divinae (supra cap. IV. §. IV. coroll. 2.).

a) Ex hac supernaturali gratia explicatur, quomodo fides divina firmissima locum habere possit, etiamsi propositio externa non sit huiusmodi, ut per se et *absolute* evidens reddatur credibilitas veritatis propositae. Si quando per accidens revelata veritas rudibus ita proponitur, ut non prae quovis intellectu parere posset evidentiam credibilitatis, necesse tamen est ut saltem pro ipsorum captu eis evidens fiat exclusio formidinis prudentis et officium credendi. Hoc autem posito voluntas adiuta per gratiam potest et tenetur inclinare intellectum ad assensum super omnia propter auctoritatem Dei loquentis, et assensus ipse intellectus per gratiam confortati erit supernaturalis. In hac itaque hypothesi Deus illustratione interna supplet, quod deest propositioni externae. Sicut enim generatim etiam ubi plenissima est propositio externa locutionis divinae, requiritur tamen illustratio supernaturalis interna; ita facile est Deo illustrare intellectum ad assequendam cum plena certitudine existentiam revelationis, etiam ubi per accidens modus exter-

nae propositionis veritatem non redderet prae quovis intellectu evidenter credibilem. Ita docent Suarez disp. IV. sect. 5. n. 9. et alii appellantes etiam ad doctrinam s. Thomae 2. 2. q. 2. a. 9. ad 3. Qui credit, inquit Angelicus, « inducitur auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae et, *quod plus est, interiori instinctu Dei moventis;* ideo non leviter credit. » Plura vide apud S. Th. Quodlibet 2. a. 6.

Quamvis igitur sub huiusmodi motivis externis, per se insufficientibus ad *absolutam* evidentiam credibilitatis, possit aliquando rudibus falsum proponi nomine revelationis; imo possit simul sub motivis iisdem proponi credendum unum obiectum verum et reipsa revelatum, alterum falsum et non revelatum (si e. g. eis proponeretur tamquam doctrina Ecclesiae tres esse personas divinas et omnes tres esse incarnatas); non tamen ad assensum utrumque motiva inducentia eodem modo se habent, quia supernaturalis suasio interna supplet defectum in externa propositione quoad revelationem veram, non autem potest referri ad revelationem falsam, ut per se constat. Assensus ipse in utramque propositionem non erit eiusdem firmitatis, in veritatem enim revelatam firmitas erit assensionis supernaturalis, in errorem vero mere naturalis (1). Tum igitur propositio externa in se est diversissima, una vera altera falsa, quae diversitas ex magisterio Ecclesiae ut regula proxima fidei etiam a rudibus inquisitione facta saltem ordinarie poterit facile cognosci; tum etiam ratione adiutorii gratiae in hominibus, qui simul credunt veritatem revelatam et propositionem falsam, quam errore invincibili putant revelatam, dispositio quoad utramque non censenda est aequalis. In supernaturali fidei adhaesione ad veritatem revelatam iuvantur a gratia, nec umquam iustam causam habere possunt eam in dubium vocandi (2); contra vero quoad adhae-

(1) Voluntas credendi poterit esse supernaturalis et meritoria, etiamsi per errorem invincibilem existimata solum et non vera sit revelatio obiecti; non tamen potest esse supernaturalis ipse assensus intellectus utpote erroneus. Cf. de Lugo disp. IX. n. 22.

(2) « Aliqui habentes gratiam gratum facientem possunt hebetudinem pati circa aliqua, quae sunt praeter necessitatem salutis, sed circa ea quae sunt de necessitate salutis, sufficienter instruuntur a Spiritu

sionem in propositionem falsam iuvantur a gratia ita, ut data opportunitate per doctrinam Ecclesiae externam et per adiutorium internum ab ea persuasione retrahantur, ipsique optime intelligant, in hac retractatione non contra sed iuxta suum officium se agere (1).

b) Ex eadem supernaturali gratia fidei eo clarius intelligitur, quomodo non sane par sed omnino opposita sit conditio credentium fide divina ac sectatorum religionis falsae. Hi enim per gratiam inducuntur ad examen apparentium rationum sui erroris et rationum veritatis, atque in hoc examine quo sincerius divina illustratione implorata coram Deo ex desiderio salutis consultaverint, eo magis Deus qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1. Tim. II. 4.), per suam gratiam eos deducet ab errore, et adducet ad agnitionem veritatis. Ex adverso quoniam « Deus non deserit, si non deseratur, ut pie semper iusteque vivatur » (s. Aug. de natur. et grat. contra Pelag. c. 26.; Concil. Trid. sess. VI. cap. 11. 13.; Conc. Vatican. de Fide cap. 3.), a vera fide sub lumine gratiae iam suscepta et credita ad deliberatam dubitationem vel omnino ad negationem homines infelices negligendo gratiam eique resistendo delabuntur. Naufragia circa fidem antecedit et semper comitatur repulsio bonae conscientiae. « Milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt » (1. Tim. I. 19. cf. Heb. VI. 4. sq.; 2. Pet. II. 21.).

c) Ex utroque capite, tum scilicet ex modo propositionis fidei in Ecclesia et per Ecclesiam catholicam propor-

Sancto secundum illud 1. Io. II. 27: unctio eius docet vos de omnibus... Etsi non omnes habentes fidem plene intelligant ea, quae proponuntur credenda, *intelligunt tamen ea esse credenda, et quod ab eis nullo modo est deviandum* » S. Th. 2. 2. q. 8. a. 4. ad 1. et 2.

(1) Non tamen defendimus, quod docuerunt Antonius Perez (disp. II. c. 3.) et alio modo Pallavicinus (Curs. theol. de Fide n. 66.), ordinarie posse ab homine credente discerni firmitatem assensus supernaturalis ab assensu naturali, et hoc ipso posse cognosci vocem Dei internam ita, ut ex modo illius suasionis internae tamquam ex motivo credibilitatis cognoscatur veritas obiectivae revelationis. Huius sententiae refutationem prolixam habes apud Haunoldum Controv. III. c. 2.

tionato omnibus etiam rudibus ad evidentiam credibilitatis gignendam, quae ulteriori examine et ampliori doctrina solum distinctius explicari et confirmari potest; tum maxime et proprie ex supernaturali lumine, quo Deus neminem deserit nisi deseratur, et ex supernaturali firmitate fidei intelligitur, quam falsa sit doctrina Hermesii, qui iubet catholicos saltem eruditos et theologos fidem a Matre Ecclesia susceptam et iam creditam ita examini subiicere, ut fidem hanc ipsam serio in dubium vocent atque incertam habeant, donec sollicita inquisitio eis persuaserit, quid sequendum, quae religio amplectenda sit. Ab hoc commento re ipsa ac principiis non multum differt aliorum quorundam doctrina. Quemadmodum, inquiunt, instituto examine potest homini illucescere officium transeundi a religione falsa in qua educatus erat, ad Ecclesiam catholicam; eodem modo et (ut aliqui loquuntur) iure suo posse hominem catholicum instituto examine per errorem invincibilem et absque culpa deficere a fide catholica hactenus credita. Quasi nempe veritas divina et error, supernaturalis fides in Ecclesia catholica et adhaesio in errorem paris aut similis esset conditionis!

Hic error explicite damnatus est ut haereticus a sacrosancto Concilio Vaticano l. c. c. 3. et can. 6. Praeterea ad confirmationem doctrinae hac paragrapho expositae perpendatur proscriptio propositionum 19^{ae}. 20^{ae}. 21^{ae}. inter damnatas ab Innocentio XI. « Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. » « Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. » « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. » Vide Dominicum Viva, « Theses damnatae » T. I. p. 203. sqq.

d) Postremo ex dictis consequitur, necessitatem gratiae internae in relatione ad externam propositionem fidei dupliciter spectandam esse. Locutio divina realis, sive ut componitur rebus et factis, obiective et in se ita habet, ut talis atque hoc modo facta locutio sit et cognosci possit

necessario divina. « Nonne cum omni confidentia, inquit Richardus a S. Victore de Trin. l. I. c. 2., Deo dicere poterimus : Domine si error est, a te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi a te fieri possunt? » Attamen ex una parte perspectis rationibus evidens est tantummodo officium tum divinitati locutionis tum veritati rei revelatae assentiendi, seu *evidens est credibilitas;* liber tamen manet assensus in existentiam divinae revelationis et in veritatem rei revelatae, atque adeo ad eum praestandum requiritur imperium piae voluntatis : ex altera autem parte supernaturalis ordo revelationis ipsaque indoles veritatum superrationalium rerumque supersensibilium, ac denique oppositio contra inclinationes sensualis naturae difficillimum et moraliter impossibilem reddunt viribus naturae firmum et immutabilem assensum in veritates omnes sufficienter propositas, etiamsi de assensu fidei solum naturali ageretur; assensum autem fidei sicut oportet, proportionatum scilicet revelationi divinae ac fini supernaturali, atque adeo supernaturalem constat naturalibus viribus esse absolute impossibilem. Quapropter spectatis etiam solummodo difficultatibus, praescindendo ab ordine fidei supernaturali, gratia externa revelationis et propositionis fidei cum omnibus quantumvis evidentibus motivis credibilitatis non sufficit ad subiectionem debitam intellectus et voluntatis sub auctoritatem Dei loquentis; sed requiritur speciale adiutorium Dei internum ad hanc animi dispositionem, ad promptitudinem scilicet amplectendi firmissime quasvis veritates sufficienter propositas. Habitus autem fidei proportionatus ad finem praesentis elevationis est ontologice supernaturalis et per se infusus, h. e. qui non actibus acquiri sed a solo Deo in anima effici possit operatione supernaturali. Praeterea ad actum fidei supernaturalem, ut credatur sicut oportet, absolute necessaria est gratia supernaturalis interna tum illustrationis pro intellectu tum excitationis et confortationis pro voluntate. Patet proinde, fidem quae est fundamentum et radix totius vitae spiritualis ac salutis aeternae, donum Dei esse speciale non solum ra-

tione vocationis externae sed maxime ratione vocationis et unctionis internae (1. Io. II. 20.).

Quatenus Deus in donis suis cum effectu conferendis postulat nostram quoque cooperationem, sine dubio requiritur etiam motivorum diligens consideratio sub lumine gratiae tum ad amplectendam tum ad conservandam fidem (cf. Conc. Vatican. l. c.; Encyclic. S. P. Pii IX. 9. Nov. 1846.); at falleretur perniciosissime, qui putaret, philosophica inquisitione vel sola vel potissimum se posse sibi aut aliis fidem divinam persuadere. Cooperatio nostra sub gratia et cum gratia in toto hoc negotio, ut perveniatur ad fidem et maneatur in fide, consistit maxime et ante omnia et post omnia in magna animi humilitate, in profundissima reverentia erga divinam maiestatem, in instanti et constanti oratione: « nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. »

III. *De necessitate testimonii Ecclesiae ad fidem divinam et ad fidem catholicam.*

1. In declarationibus praemissis iam etiam continetur, quomodo *testimonium Ecclesiae* in se ipso spectatum ad fidem divinam se habeat, quod erat tertium hoc capite propositum. In primis certum est, testimonium Ecclesiae formaliter, quatenus est Ecclesiae, sicut et testimonium Apostolorum et prophetarum quatenus est ab hominibus, non esse *obiectum formale* et motivum fidei divinae, cum huiusmodi motivum non possit esse nisi auctoritas Dei loquentis, adeoque verbum Dei formaliter ut Dei est: « cum accepissetis *a nobis* verbum auditus Dei, accepistis illud *non ut verbum hominum sed, sicut est vere, verbum Dei,* qui operatur in vobis qui credidistis » 1. Thess. II. 13. Quaeri igitur solum potest, quomodo propositio verbi Dei per Ecclesiam sit necessaria, ut revelatio seu verbi divinitas cognoscatur atque ita sit obligatio credendi. Haec propositio per Ecclesiam, ut initio diximus, potest spectari dupliciter, vel quatenus infallibilitate nondum supposita spectatur testimonium Ecclesiae formaliter, ut proficiscitur

ab Ecclesia instructa characteribus seu motivis credibilitatis; vel quatenus Ecclesia est et fide creditur infallibilis sub assistentia Spiritus Sancti.

a) Ex natura rei et absolute propositio Ecclesiae neutro modo spectata est necessaria, ut obligatio credendi et fides divina locum habere possit. Non enim aliud requiritur, quam ut locutio divina sufficienter cognoscibilis reddatur; id autem per se et absolute multis aliis modis fieri potest. Ita penes omnes illos, qui fidem susceperunt ex revelatione Dei immediata et constituti erant primi revelationis promulgatores, profecto nulla intercessit Ecclesiae propositio; ita etiam nunc absolute loquendo revelationis pridem factae divinitas miraculis vel aliis motivis credibilitatis potest reddi cognoscibilis.

b) Si testimonium Ecclesiae spectatur nondum supposita fide infallibilitatis, tantummodo ut est testimonium huius societatis instructae tot ac tantis motivis credibilitatis; ita illud proprie loquendo non est aliud quam *rerum et factorum,* quae saepe iam diximus, applicatio ad determinatas veritates et ad earundem revelationem. Sicut enim *res et facta* quae sunt aliquid ipsius Ecclesiae, per se spectata reddunt existentiam revelationis cognoscibilem et veritates in ea contentas credibiles; ita per testimonium Ecclesiae proponuntur ipsae determinatae veritates, ad quarum revelationem demonstrandam illa motiva credibilitatis pertinent. Haec igitur non tam est necessitas testimonii formaliter spectati seu testimonii verbalis, de quo nunc quaerimus, quam necessitas factorum divinorum in Ecclesia, de quibus dictum est in superioribus.

c) Si testimonium Ecclesiae intelligitur iam supposita infallibilitate sub assistentia Spiritus Sancti; certe talis Ecclesiae auctoritas non potest esse sive necessarium motivum sive necessaria conditio *ad omnem actum fidei.* Nam hic modus infallibilitatis et haec assistentia Spiritus Sancti non potest cognosci ex rationibus internis, sed tantum credi per actum fidei propter auctoritatem Dei eam revelantis. Unde si hic actus fidei in talem infallibilitatem Ecclesiae necessario supponeretur omnibus aliis actibus

fidei, saltem ipse ille primus actus non posset supponere iterum alium actum fidei in infallibilitatem Ecclesiae per assistentiam Spiritus Sancti. At neque ad alios omnes actus fidei cognitio infallibilitatis Ecclesiae quae pendet ab assistentia Spiritus Sancti, necessaria est. Possunt enim sine dubio hominibus nondum cognita hac Ecclesiae infallibilitate alii articuli fidei sufficienter proponi, ut possint et teneantur fide divina eos credere. Nec est ratio, cur negentur actus fidei divinae iis, qui absque sua culpa in aliqua secta nutriti infallibilitatem quidem hanc Ecclesiae invincibiliter ignorant, alias tamen veritates revelatas habent sufficienter propositas *per res et facta,* quae ab Ecclesia eis incognita et ipsis insciis ad eos derivantur. Huiusmodi enim homines quamdiu graviter contra fidem non peccant, et promptum gerunt animum revelationem quamvis ac proinde etiam Ecclesiam veram, ubi sufficienter erit proposita, credendi et practice sequendi, solum *materialiter haeretici,* dispositione autem ac habitu vere fideles sunt (1).

(1) Modum, quo homines invincibiliter adeoque inculpabiliter ignorantes veram Ecclesiam, possint Dei adspirante et adiuvante gratia elicere actus fidei supernaturales, et consequenter gratia auxiliante Deum amare super omnia et pervenire ad iustificationem ac salutem aeternam, explicat Card. de Lugo disp. XII. n. 50. 51; idque supposita communiori theologorum sententia, ante fidem non dari gratias supernaturales, nisi quae directe spectant ad fidem consequendam, et supposita veritate, fidem late dictam seu cognitionem Dei ex creaturis non sufficere ad iustificationem, cum radix iustificationis et salutis sit fides stricte dicta propter auctoritatem Dei loquentis. Verba doctissimi Cardinalis ita habent. « Qui cum catholica Ecclesia non credunt, dividi possunt in plures classes. Nam in iis aliqui sunt, qui licet non credant dogmata omnia catholicae religionis, agnoscunt tamen Deum unum et verum, quales sunt Turcae et omnes Muhammedani atque etiam Iudaei; alii agnoscunt etiam Deum trinum imo et Christum, ut plures haeretici; quibus omnibus non redditur facilior salus et iustificatio in illa sententia (omnia opera moraliter bona ab eis fieri praeveniente gratia supernaturali) quam in nostra (non admittente ante fidem gratiam supernaturalem nisi tendentem directe ad fidem). Nam vel excusantur a peccato infidelitatis et incredulitatis circa nostram fidem, vel non excusantur. Si non excusantur, in neutra sententia salvari possunt, quamdiu fidem catholicam non amplectuntur. Si vero excusantur propter ignorantiam invincibilem, in utraque sententia salvari pos-

2. Quae quamvis ita sint, nihilominus sub alia ratione secundum ordinariam Dei providentiam verissima est necessitas testimonii Ecclesiae per assistentiam Spiritus Sancti infallibilis. Est enim hic modus propositionis omnibus credentibus ad veritates fidei omnes in complexu sine admixtione erroris cognoscendas ex natura rei aptissimus, atque in praesenti oeconomia ad unitatem fidei in catholicitate conservandam necessarius et a Christo ipso institutus. (Vide de Tradit. th. VI.).

Quare revelatae veritatis propositio per Ecclesiam secundum providentiam Dei ordinariam et secundum oeconomiam a Christo institutam est necessaria, ut sufficienter innotescat, quaenam sint veritates revelatae. Quoniam communiter atque eo modo, ut omnes credere teneantur, veritas tamquam revelata sufficienter proponi non potest nisi per

sunt. Nam errantes invincibiliter circa aliquos articulos et credentes alios, non sunt formaliter haeretici; sed habent fidem supernaturalem, qua credunt veros articulos, atque adeo ex ea possunt procedere actus perfectae contritionis, quibus iustificentur et salventur. Quod idem dicendum est de Iudaeis, si qui sunt, qui invincibiliter errent circa christianam religionem; possunt enim adhuc habere veram fidem supernaturalem circa Deum et alios articulos fundatam in Scriptura sacra, quam recipiunt (ex traditione), atque ideo ex ea fide possunt habere contritionem, qua iustificarentur et salvarentur, si fides explicita Christi non sit necessaria necessitate medii... Denique Muhammedani si qui essent, qui etiam invincibiliter errarent circa Christum et eius divinitatem, non est cur non possent vera fide supernaturali credere unum Deum remuneratorem supernaturalem; hoc enim ipsi non credunt propter argumenta ex creaturis naturalibus desumpta, sed dogma hoc ex traditione habent, *quae traditio processit a vera Ecclesia fidelium* et ad ipsos usque pervenit. » Hoc modo etiam putat de Lugo traditionem sufficientem ad gentiles philosophos pervenisse. « Unde si aliqui eorum dolorem de peccatis super omnia et veram contritionem conceperunt, non fuit ex assensu per discursum philosophicum comparato, sed ex illo alio quem de Deo ex fide vera potuerunt habere. » Ita ille. At sane probabilius videtur, praesertim si agitur de infidelibus nutritis inter idololatras, qui de revelata religione nihil audierunt, Deum quando eorum misereatur, simpliciter supplere defectum externae propositionis per illustrationem internam, ut docent s. Thomas aliique veteres theologi (supra p. 609.), quam quod incerta illa traditio universalis tamquam sufficiens externa propositio in subsidium vocanda sit.

Ecclesiam sive solemni iudicio sive publica professione; inde est, quod propositio facta ab Ecclesia requiritur, ut veritas pertineat ad *fidem catholicam*. Quamvis ergo veritas nondum ab Ecclesia proposita ómnibus ad credendum, pro illis quibus sufficienter innotescat tamquam comprehensa in deposito revelationis, sit obiectum *fidei divinae;* imo quamvis etiam revelatio privata praesertim ab iis, quibus fit, possit credi *fide divina*, quando de divina locutione sufficienter eis constat (de Tradit. th. XXII. corollar.); nihilominus nec priori modo ante propositionem Ecclesiae, nec altero modo umquam constituitur obiectum *fidei catholicae* seu universalis.

3. Porro ubi Ecclesia iam cognoscitur ut organon infallibile Spiritus Sancti ad proponendam doctrinam revelatam; facile patet, talem testificationem non esse humanam tantummodo, sed esse locutionem Spiritus Sancti per Ecclesiam, dum locutio Spiritus Sancti olim facta per prophetas et Apostolos (cf. Heb. I. 1.) nunc eadem proponitur a Spiritu Sancto per Ecclesiam. Locutio autem divina est *motivum formale* fidei. Ergo hoc modo spectatum testimonium Ecclesiae non quatenus est hominum sed quatenus est Spiritus Sancti, pertinet ad formale motivum fidei. Hunc sensum exprimit s. Thomas in explicatione discriminis inter fidelem ac infidelem, quam superius ex Angelico descripsimus. « Fidelis credit homini non in quantum homo, sed *in quantum Deus in eo loquitur, quod ex certis experimentis colligere potest,* infidelis autem non credit *Deo in homine loquenti* » S. Th. in 3. dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 2. ad 3.

CAPUT VI.

DE HABITUDINE INTER FIDEM AC SCIENTIAM.

Generatim omnes haereses quae umquam adversus fidem catholicam excogitatae sunt, originem et incrementa sumpserunt ex perversione subordinationis et genuinae relationis, quam Deus auctor naturae ac gratiae esse voluit inter manifestationem naturalem et revelationem supernaturalem, inter rationem et auctoritatem, inter scientiam et fidem.

At nostris temporibus non modo haeretici sed quidam etiam eruditi inter catholicos statuere ac vindicare conati sunt falsum principium plenae libertatis in scientiis tractandis, a quo solo dependere ipsi aiebant tum validam fidei defensionem adversus incredulos, tum praesertim humanarum disciplinarum omnium ac nominatim philosophiae perfectionem (1). Postulabant nimirum, ut plena libertas et *autonomia* inquisitionis et sententiarum in scientiis independens a quavis auctoritate, nominatimque independens a doctrina fidei admitteretur, atque ab Ecclesia ipsa agnosceretur. Haec vero *autonomia* non solum in eo est, quod scientiae humanae suis propriis nitantur principiis rationalibus vel empiricis, diversis a principiis fidei; et quod philosophia non possit progredi nisi ex principiis ratione perspectis « nihilque in se admittere, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum, » quae sane esset « iusta philosophiae libertas » (2): sed id obtinere volebant, ut doctrina fidei neque instar normae haberetur, qua errores cavendi praemonstrarentur, quemadmodum summus Pontifex Pius IX. (litt. 21. Dec. 1863.) edixit, « catholicis naturalium disciplinarum cultoribus divinam revelationem velut rectricem stellam prae oculis habendam esse, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant. » Unde etiam negabant, in veritatibus quae tum fide constant tum ratione demonstrari possunt, revelationem respiciendam esse ita, ut in antecessum debeat esse ratum ac fixum, non posse in scientifica investigatione statui principia vel deduci ac teneri conclusiones, nisi quae cum fide praehabita ac praelucente consentiant, vel illi saltem non adversentur; hanc enim aiebant non seriam sed ludicram fore scientiae tractationem (3). Ex eorum quippe principiis *libertas* est scientiae ita essentialis, ut sine ea

(1) Günther Lydia 1849. p. 35. 38. 331. sq. 357; Lydia 1851. p. 310; Propaedeut. I. p. 122; Euryst. et Heracles p. 251. etc.

(2) Litter. Apostolic. Pii IX. ad Archiep. Monach. 11. Dec. 1862.

(3) Frohschammer Introduct. in philos. p. 307. 314; de Libertate scientiae p. 82. 111. Hic auctor infelix deinceps ad plenam fidei catholicae negationem delapsus est.

consistere non posset, et scientia esse desineret; libertas inquam essentialis est, quae constituitur « in iure sequendi sine ullo impedimento solummodo leges scientiae, ut non aliunde quovis modo limitetur vel circumscribatur » (1). Atque hinc propositio XIV. in Syllabo damnata consequitur: « Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione. » Porro facta distinctione inter *philosophum* et *philosophiam* concedebant, pro philosopho posse fortasse oriri ius et officium sese submittendi auctoritati, quam *veram ipse probaverit;* at scientiam nec debere nec posse subiici fidei et auctoritati, quoniam ita in ipsa sua essentia et ratione formali destrueretur. Non est auctoritatis scientiam etiam errantem corrigere; sed scientia ipsa ex propriis suis principiis errores optime emendare valet (2).

Cum vero iidem philosophi simul negarent, latius patere veritates revelatas quam vim luminis rationis ad veritatum intelligentiam ac demonstrationem, ex positis eorum principiis evidenter consequebatur, in tota amplitudine veritatum etiam revelatarum *inquisitionem philosophicam* eo modo, quo dictum est, debere esse autonomam et independentem a praelucente lumine revelationis ita, ut *per se et directe* non revelatio sed solae propriae leges rationis humanae constituant normam investigationis ac scientiae, quamvis revelatio *indirecte* vim suam exserat in ipsam scientiam, quatenus iuvat ac promovet *historicam culturam* generis humani (3). Hoc sensu Propositiones VIII. IX. damnatae sunt in Syllabo. « Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco *theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.* » « Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae

(1) Frohschammer de Libert. scient. p. 330.

(2) Cf. Litt. Apostol. 11. Dec. 1862; Syllab. Proposit. X. XI.

(3) Günther Iani Capita II. p. 272. sq. 412; Euryst. et Heracl. p. 527; Propaedeut. I. p. 122. 347. 393. sq.; Lydia 1849. p. 331. sq.; Lydia 1851. p. 310; Thomas a Scrupulis p. 196. 215; Aurorae austr. et boreal. p. 134; Pabst Iani Capita I. p. 6; Frohschammer Introduct. in Philosoph. p. 277. sqq.

seu philosophiae; et *humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire,* modo haec dogmata ipsi rationi proposita fuerint. »

In oppositione igitur ad hos errores dupliciter considerabimus rationis humanae ac scientiae subordinationem ad fidem et auctoritatem custodis fidei, ut ea se habet 1°. in scientiis mere naturalibus; 2°. in scientia veritatum fidei seu in sacra theologia.

I. *De modo quo fides, et auctoritas infallibiliter proponens doctrinam fidei sit, et quo non sit norma respicienda in rationalibus et naturalibus scientiis.*

1. Subordinatio intestina sicut in diversis scientiis inter se mutuo, ita inter scientias ac fidem intelligi nulla potest, nisi quatenus aliquo modo commune habent *obiectum formale* vel *obiectum materiale* (1). Quae enim cognitiones sive scientiae tum ratione formali, sub qua suum obiectum considerant, tum ipso obiecto cognoscendo nihil haberent commune, illae omnino disparatae essent et absque ulla connexione; neque ergo una alteri subordinata esse posset (2). In scientiis vero quae *obiectum formale* habent commune ita, ut quae in una intelliguntur aut demonstrantur, altera assumat tamquam principia, quibus innitatur, ea est subiectio, ut inferior non suis propriis sed superioris principiis regatur; unde huiusmodi scientiae *subalternae* a veteribus dicebantur (3).

(1) Loquimur de subordinatione *intestina*, quae sit in ratione cognitionis seu scientiae; nam respectu *finis* praesertim *finis ultimi* subordinatio potest aliunde derivari. De hac subordinatione inferius aliquid dicemus.

(2) Patet hoc modo disparatas esse non posse *scientias* proprie dictas, quae omnes habent communia saltem principia metaphysices, cui propterea merito nomen factum est *philosophiae primae.*

(3) Ita multi veteres theologiam seu scientiam fidei in viatoribus dixerunt *scientiam subalternam* ad scientiam Dei et beatorum in patria iuxta doctrinam s. Thomae. « Quaedam sunt scientiae quae procedunt

Hinc factum est, ut recentiores illi qui *obiectum formale* fidei ac scientiae non rite distinxerunt, alii totam cognitionem rationalem ac scientiam supersensibilium revocaverint ad fidem, de quibus diximus cap. III. §. I.; alii vero, contra quos hoc capite disputamus, fidem ipsam converterint in meram scientiam rationalem. Quoniam utrique unicam *rationem formalem* totius nostrae intellectualis cognitionis admittunt, priores illi auctoritatem ac traditionem, hi posteriores veritatem lumini rationis evidentem et intrinsecus perspectam; hinc prioribus omnis rationalis scientia est *subalterna* ad fidem, cui tota innititur; posterioribus fides religiosa, quam dicunt, est *subalterna* ad scientiam, seu potius est pars aliqua philosophiae.

Doctrina catholica nec *talem* subiectionem scientiae ad fidem, eoque minus subiectionem quam isti induxerunt, fidei sub scientiam admittit. Talis enim subordinatio solummodo locum habet, quatenus (ut diximus) utrimque idem est *obiectum formale.* At secundum doctrinam catholicam obiectum formale utrimque est diversum. Nec scientia potest esse rationalis aut naturalis philosophia sub ea formali ratione, qua veritas creditur propter auctoritatem Dei revelantis; nec fides proprie dicta multoque minus fides divina potest esse sub ea formali ratione, qua veritas intelligitur ex sua intrinsecus perspecta ratione (supra cap. II.). Nisi igitur in *obiecto materiali* sit nexus aliquis inter fidem ac scientiam, solo spectato *obiecto formali* scientia naturalis non potest dici intrinsecus subordinata fidei divinae.

Iam vero *materiale obiectum* non quidem adaequate in omnibus, attamen in multis commune habent fides et scientia. Veritates enim a Deo revelatae in triplici diversa habitudine ad humanam rationem referuntur: sunt revelata mysteria, quae nec quoad existentiam (an sint), nec quoad essentiam (quid sint) nisi analogice, etiam revelatione sup-

ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut prospectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum » S. Th. 1. q. 1. a. 2. cf. a. 6. ad 1.

posita, ex principiis rationis intelligi possunt; sunt revelata dogmata, quorum existentia quidem ex sola revelatione innotescit, essentia tamen (postquam revelata sunt) notionibus propriis intelligitur; sunt denique veritates, quae tum naturali lumine rationis intelligibiles tum supernaturali revelatione credendae proponuntur, atque ideo constituunt *obiectum materiale* commune rationis ac fidei, licet sub alia *formali ratione* quatenus intrinsecus intelligibiles ad lumen naturale mentis, et sub alia *formali ratione* quatenus revelatae ad lumen supernaturale fidei referantur. Sicut autem in mysteriis auctoritas Dei revelantis et ipsa natura fidei divinae exigit, ut veritates credantur certissimae, licet ratione non intelligantur, imo etiamsi rationi occurrant apparentes contradictiones; ita omnino idem valet etiam in veritatibus revelatis, quae per se sunt intelligibiles rationi, si per accidens non intelligantur vel occurrant contradictiones, quae non nisi apparentes esse possunt. Nempe quaecumque sit materia dogmatis, motivum formale fidei semper idem est, auctoritas Dei revelantis; quapropter qui fide divina credit, eo ipso omnia quae dogmati sufficienter proposito contradicere videntur, credit falsa esse vel simpliciter vel saltem sub ea ratione, qua dogmati opponuntur, de quocumque dogmate sive ad mysteria sive ad veritates per se rationi non impervias pertinente agatur. Discrimen solum est, quod in prioribus ignoratio est ex ipsa natura intellectus humani, atque ideo *negatio* quidem perfectionis superioris non autem *privatio* perfectionis naturalis; in posterioribus ignorantia est *privatio*, et est vincibilis sin minus *proxime*, potentia *morali* et pro *singulis hominibus*, saltem *remote*, potentia *physica*, pro *ratione humana* per se spectata (cf. cap. III. §. III. IV.).

Ex his iam deducitur, quomodo revelatio revelationemque in genuino sensu proponens ac declarans auctoritas Ecclesiae et fides divina non sit, et quo sensu sit norma ac « stella directrix » respicienda in scientiis mere naturalibus.

2. Ecclesia pro suo munere infallibiliter custodiendi integrum depositum fidei, de iis quae in scientiis humanis

traduntur, non iudicat nisi ex principiis revelatis, quatenus illa cum doctrina fidei ac christiana morum disciplina congruunt aut eidem adversantur. Vicissim scientia mere rationalis ac philosophica non potest progredi ex principiis, quatenus fide creduntur, sed unice ex principiis rationalibus, quatenus lumine rationis intelliguntur; nec potest quidquam admittere velut obiectum sibi proprium, « quod non fuerit ab ipsa suis rationibus acquisitum. » Adeoque revelatio et revelationem proponens Ecclesia theologiae quidem non autem philosophiae suppeditat principia, ut his *fide creditis* innitatur; hoc enim ipsum essentiale est discrimen inter philosophiam ac theologiam fidei. Cf. S. Th. 1. q. 1. a. 1. ad 2. Quoniam nempe *obiectum formale* fidei ac scientiae mere rationalis diversum est, illic revelatio supernaturalis per verbum Dei, hic manifestatio naturalis per veritatem intrinsecus perspectam; propterea sensu declarato revelatio et fides non potest esse principium ac *norma positiva* ad scientiam rationalem ac philosophicam. « Naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nituntur » S. P. Pius IX. (litt. 21. Dec. 1863.); « nec sane ipsa (Ecclesia) vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo » (Conc. Vatican. Const. de Fide cap. 4.).

3. At si spectentur veritates, quae revelatae sunt et constituunt *materiale obiectum* fidei, et cum his comparentur sententiae ac opiniones, quae in disciplinis humanis ex fontibus ac praesidiis naturalibus statuuntur; evidens est posse fieri, et luctuosa experientia ostendit saepe fieri, ut vel tamquam principia assumantur vel tamquam conclusiones deducantur, quae doctrinis fidei eo sensu, quo ab Ecclesia catholica intelliguntur ac proponuntur, directe vel indirecte repugnent. Ratio humana in iis quidem, in quibus veritatis *evidentia* vel *vera certitudo* ei illucescit, numquam fallitur nec in actu evidentiae et verae certitudinis potest falli (cap. I. §. II.), atque adeo in his numquam potest esse realis oppositio contra veritatem revelatam; Deus enim, auctor luminis rationis creati et ordinati ad verum cognoscendum et infinite verax revelator veritatum

per verbum suum, non potest sibi ipsi contradicere, nec verum vero potest repugnare (1). At plurima sunt cognoscibilia, quae pro lumine humanae rationis limitato ac infirmo evidentia et vere certa vel actu non sunt vel etiam fieri non possunt, et de quibus homo nihilominus saepe praesumit iudicare, ac si eorum manifestatio esset plena et adaequata. Saepe enim quod certo verum cognoscitur sub una ratione, iudicatur verum sub rationibus aliis, sub quibus nec certo cognoscitur nec verum est; vel quod est verum hypothetice, iudicatur verum absolute; vel ex rationibus apparentibus assumitur falsum pro vero, quia comparatio cum rationibus oppositis vel non instituitur vel aliquando etiam institui non potest. Hinc fit, ut in omnibus fere scientiis sicut generatim quandoque falsum pro vero assumi (2), ita etiam sententiae vero revelato oppositae statui possint.

Res est per se clara, si de scientiis contemplativis agitur, quae Deum et spiritum, operationes Dei creaturarumque relationes ad Deum ac inter se, doctrinam proinde religiosam et moralem pro obiecto habent; haec enim omnia, etiam quatenus lumine rationis investigari possunt, simul continentur in revelatione supernaturali (cap. III. §. III.). Verum cum facta plurima quae latiori nominis significatione possumus dicere *historica*, verbo Dei vel *per se* vel *per accidens* revelata contineantur (cf. tract. de Scriptura th. XIX.), imo cum revelatio ipsa tota factum sit historicum et magnam partem factis historicis componatur; inde scientiae etiam *historicae*, et quae his accenseri possunt (archaeologia, ethnographia, geologia) (3), non infrequen-

(1) « Ea quae naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est... impossibile est illis principiis quae ratio naturaliter cognoscit, praedictam veritatem fidei contrariam esse » S. Th. cont. gent. I. c. 7.

(2) Excipi solum possunt scientiae, quae totae ideis simplicissimis et propterea iudiciis evidentibus constant, ut est mathematice; quamdiu nempe illae intra suum proprium obiectum sese continent.

(3) Inter multa exempla quae adferri possent, memoro illud notis-

ter obiecto concurrunt cum doctrina revelata. Universim nemo negare potest, quod Güntherus fatetur (Symposion Peregrini p. 365.), « nullam scientiam esse absolute ab aliis omnibus separatam, et propter hunc nexum organicum in unaquaque disciplina posse occurrere oppositionem contra obiectum theologiae. »

Huiusmodi igitur sententiae non solum *philosophice* falsae, sed etiam errores sunt *theologici,* atque ex principiis revelatis quibus opponuntur, iudicari possunt, et vero a custodibus depositi pro suo munere divinitus iniuncto iudicari ac proscribi debent. Quo quidem in munere custodiae et in definitionibus ad illud pertinentibus magisterium Ecclesiae infallibile esse a nemine catholico negari potest, ut in toto tractatu de Traditione satis demonstratum est, sive magisterium illud spectetur in corpore docentis Ecclesiae sive in solo capite ac centro unitatis fidei, Pontifice Romano.

4. Scopus quidem altior praefixus est revelationi et Ecclesiae custodi atque interpreti revelationis, quam humanarum disciplinarum doctrina; verumtamen Apostoli eorumque in munere infallibiliter docendi successores usque ad consummationem saeculi sicut acceperunt « apostolatum ad obediendum fidei in cunctis gentibus » (Rom. I. 5.), ita in ipsa hac fidei praedicatione habent « arma militiae non carnalia.... consilia destruentes et omnem altitudinem extol-

simum. Homines eruditi sed increduli ad finem elapsi et initio huius saeculi gloriabantur, narrationem biblicam de diluvio se falsam demonstrasse ex zodiacis Aegyptiis (Tentyrensi et Latopolitano, Denderah et Esne). Ex positione enim signorum astronomicorum in illis monumentis constare aiebant, templa illa fuisse aedificata saltem ter mille annis ante Christum. At mox cum temerariis affirmationibus diligentius examen successisset, ex aedificiorum structura, ex sculpturis et picturis, ex inscriptionibus graecis et hieroglyphicis manifestum erat, templum Latopolitanum sub Antonino Pio saec. II. post Christum, zodiacum Tentyrensem pariter sub aliquo ex Imperatoribus Romanis (ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ) constructum fuisse. Vide Letronne Recherches pour servir à l'histoire de l'Egypte (p. XXVIII. 449); Champollion Système hiéroglyphique (p. 64). Sors simillima, ubi scientia ex statu infantiae paulum profecerit, sine dubio manet plurimas hypotheses « praehistoricas, » quas nonnulli ex levibus coniecturis iactant, doctiores autem et prudentiores iam nunc aut rident aut incertas esse fatentur.

lentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi » (1) 2. Cor. X. 4. 5. Eodem apostolatus munere confirmant fideles, ne « decipiantur in sublimitate sermonum, per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum » Col. II. 4. 8., et proscribunt « falsi nominis scientiam, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt » 1. Tim. VI. 20. 21.

Sane sententiae repugnantes veritatibus a Deo revelatis non ideo desinunt esse errores contra fidem, sed imo eo maius periculum creant, quod forma scientifica producuntur. Hinc principium ipsum iam a Concilio oecumenico Lateranensi V. damnatum est tamquam haereticum. Neoperipatetici saeculo XV. et XVI. philosophiam autonomam dividebant a theologia ita, ut leges secundum quas de vero iudicandum sit in philosophia, possint esse oppositae legibus, secundum quas verum credendum sit in theologia. Quae igitur secundum leges philosophicas deducuntur, ea dicebant habenda esse *philosophice vera,* licet secundum leges alterius plane ordinis, quibus theologia regatur, non vera sed *theologice falsa* sint habenda. Sic aiebant *secundum philosophiam* esse unam numero animam rationalem (intellectum agentem), animas vero humanas distinctas in singulis hominibus esse mortales; atque huiusmodi conclusiones postulabant, ut impune tradere liceret velut consequentes ex principiis philosophicis. Si demas absurdam compositionem veri et falsi, quae non nisi per simulationem umquam induci potuit, ut recentius a Petro Bayle (Dictionn. T. IV. Eclaircissement II. et III.) factum est, in ceteris omnino idem statuitur, cum nostris temporibus assertum est: « philosophiam tractandam esse nulla supernaturalis revelationis habita ratione. » Hoc itaque principium in Concilio Lateranensi (Constit. *Apostolici regiminis*) praedamnatum censeri debet. « Cum verum vero minime contradicat, omnem

(1) *Λογισμους καθαιρουντες και παν ὑψωμα ἐπαιρομενον κατα της γνωσεως του Θεου, και αἰχμαλωτιζοντες παν νοημα εἰς την ὑπακοην του Χριστου.* Singula verba *λογισμοι* (ratiocinia), *ὑψωμα κατα της γνωσεως του Θεου, νοημα* indicant falsi nominis scientiam; haec per doctrinam revelatam vincenda est, et intellectus subiiciendus fidei ab Apostolis annuntiatae.

assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus; et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus; omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhaerentes velut damnatissimas haereses seminantes... vitandos et puniendos fore decernimus» (Hard. IX. p. 1719.).

Distinctissime errores de relatione inter fidem ac rationem damnati sunt in *Syllabo* iussu summi Pontificis edito, ac demum ab oecumenico Concilio Vaticano (Constit. de Fide cap. 4.).

5. Iam etiam constat, quid de essentiali illa libertate sentiendum sit, sine qua scientiam consistere non posse dicunt. Ex dictis subordinatio rationis et scientiae ad auctoritatem et fidem non in eo est posita, ut philosophia ac scientia profana suas leges, sua principia, suas conclusiones suscipiat a fide et per fidem. Hoc qui generatim de cognitione humana affirmant, ii sane tum ipsius fidei fundamenta labefactant tum universim certitudine sublata in scepticismum deferuntur (cap. III. §. I.). Multo etiam minus subordinatio est huiusmodi, ut quod rationis lumine evidenter aut proprie dicta certitudine cognoscitur verum, haberi umquam debeat falsum, quia contrarium fides doceat. Qui ita loquuntur, statuunt seu potius simulate obtendunt hypothesin absurdam Neoperipateticorum in Concilio Lateranensi damnatam, qua dicitur verum in philosophia posse esse falsum in theologia. « Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri umquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur » (S. P. Pius IX. Encyclic. 9. Nov. 1846.). His itaque sepositis subiectio rationis ac scientiae tota revocatur ad illud, quod verbum a Deo revelatum et ab Ecclesia (sive ordinaria praedicatione sive formali definitione) propositum tum ratione Dei revelantis tum ratione Ecclesiae proponentis infallibiliter verum est, et incommutabili fide credendum *aestimative super omnia* (cap. IV. §. IV. coroll. 2.); hoc igitur ipso eâdem infallibilitate falsum est et eâdem certitudine habendum ut falsum, ac proinde non de-

monstratum secundum genuinas leges cuiusvis scientiae, nec demonstrabile nec probabile, quidquid veritati ita propositae et credendae re ipsa et non solum apparenter contradicat (1).

Antevertens haec certitudo fidei *scientiam veri,* quae utique sola nomen *scientiae* meretur, non tantum non destruit aut impedit, sed etiam magnopere iuvat ac promovet.

a) Quae in revelatione continentur per se quidem etiam lumine rationis cognoscibilia, attamen magnis quandoque impedita difficultatibus (cap. III. §.III.), ea per fidem praemonstrantur infallibiliter vera; unde fit, ut ratio ex suis principiis eadem facilius et securius intelligere ac demonstrare valeat. Quae autem revelatae veritati opponuntur, ea etiamsi quandoque magnam speciem veritatis praeseferre videantur, per fidem praecognoscuntur (ut revera sunt) falsa, hocque ipso ratio tum praemunitur ab errore, licet forte nondum intelligat, cur et quomodo sit error, tum iuvatur ut lumine proprio expeditius et profundius intelligat veritatem in directa oppositione contra errorem. « Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum » August. de Gen. ad litt. l. I. n. 41. Unde in Concilio Lateranensi Constit. cit. mandatur philosophiae magistris, « ut cum philosophorum principia aut conclusiones in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint aut explanaverint, teneantur... omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere. » Cf. S. Th. 1. q. 1. a. 8; in Boëth. Trin. prooem. q. 2. a. 3.

(1) « Aliarum scientiarum principia vel sunt per se nota et probari non possunt, vel per aliquam rationem naturalem probantur in aliqua alia scientia. Propria autem huius scientiae (sacrae doctrinae) cognitio est, quae est per revelationem, non autem, quae est per naturalem rationem. Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum (propter diversum *obiectum formale*), sed solum iudicare de eis (secundum commune *obiectum materiale*). Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati huius scientiae repugnans, totum condemnatur ut falsum » S. Th. 1. q. 1. a. 6. ad 2. (cf. tract. de Tradit. p. 125. sq.).

b) Per revelationem et fidem veritatum superrationalium non minus praemunitur ratio contra errores in scientiis etiam mere naturalibus et rationalibus; quae enim veritati licet superrationali repugnant, ea necessario simpliciter falsa sunt, neque profecto *philosophice verum* esse potest, quod *theologice falsum* est. Deinde etiam *positive* huiusmodi veritatum cognitio per fidem non solum mentem humanam altiori in ordine illustrat et perficit (cap. III. §. III. coroll. 2.), de qua theologica scientia nunc non loquimur; sed etiam plurimum iuvat ad ampliorem ac profundiorem scientiam veritatum rationalium. Sicut enim in ordine ontologico gratiae dona quae sunt supra naturam, hanc non destruunt sed evehunt et nobilitant; ita in ordine logico veritates superrationales non sunt omnino disparatae a rationalibus, sed cum his multiplici analogia cohaerent; atque ideo quod per fidem cognoscimus verum in superrationalibus, deducit nos ad profundiorem penetrationem veri in analogis rationalibus. Ita notiones per se rationales naturae et hypostaseos, generationis, sacrificii, extensionis corporum, sensibilium phaenomenorum ex revelatis veritatibus multipliciter expoliri posse ac debere, saepe vidimus in tractatibus de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia.

Hoc quo diximus sensu (praeter efficaciam in voluntates ac mores hominum), revelatio supernaturalis intellectualiter iuvat et promovet ipsas scientias naturales ac rationales; hocque sensu verum est, rationem humanam *historice excultam* per revelationem, proficere in scientiis etiam humanis, et omnino recte *philosophia christiana* comparatur ac multis modis praecellere ostenditur *philosophiae paganae*, nisi forte rectius haec comparatio institueretur inter *philosophiam christianorum* et *philosophiam paganorum* (1). Illud

(1) Valor huius comparationis etiam plenius percipitur, si respiciamus philosophiam neopaganorum (baptizatorum et non baptizatorum), qui abiectis et conculcatis omnibus principiis christianis, hoc ipso etiam conculcarunt principia rationis, ac suam philosophiam, quam dicunt, reddiderunt quanto strictius logice consequentem, tanto absurdius ex absurdis principiis metaphysice irrationalem, atque (ut ipsimet fa-

autem dictum, quo aliqui nimium delectantur, alii nimium offenduntur, *philosophiam nec christianam esse nec paganam sed tantum rationalem,* verum quidem est, si spectetur formale obiectum et principium philosophiae; sed quoad priorem sui partem verum non est, si spectentur omnia adiumenta quae tum materialiter ac remote per mentis culturam tum formaliter et proxime conferunt ad veram philosophiam. Sic enim omnino datur *philosophia christiana,* non in oppositione ad *philosophiam rationalem,* sed quae ipsamet perfectiori modo *rationalis* est.

6. Ex dictis omnibus aestimari potest, quid valeat illa a quibusdam recentioribus inducta distinctio inter philosophiam, quae numquam possit subiici fidei vel auctoritati Ecclesiae, et inter philosophum singularem, « qui fortasse possit etiam suae convictioni imperare eamque subdere externae auctoritati » (Frohschammer Introduct. in phil. p. 272.).

a) Si philosophia accipitur *obiective,* ut est (metaphysice) summa mutuusque nexus veritatum rationalium, et (dialectice) complexus legum quibus scientia regitur; hoc sensu in philosophia est *mera veritas* quamvis non *tota veritas,* atque ideo nulla ibi potest esse oppositio contra veritatem et auctoritatem fidei revelatae. « Sicut sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis. Unde impossibile est, quod ea quae sunt philosophiae, sint contraria iis, quae sunt fidei; sed deficiunt ab eis, continent tamen quasdam similitudines eorum (superrationalium) et quaedam ad ea praeambula, sicut natura praeambula est ad gratiam. Si quid autem in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis» S. Th. in Boëth. Trin. prooem. q. 2. a. 3. (cf. S. P. Pii IX. Encyclic. 9. Nov. 1846. Tract. de Tradit. p. 125. sqq.).

b) Si philosophia sumitur *subiective,* ut mente humana

tentur) contrarium intellectui et rationi communi (dem gemeinen Verstande widersprechend); quae utique (ut dixit s. Thomas) « non sunt philosophiae, sed philosophiae abusus. »

investigatur, acquiritur, tenetur; hoc sensu non solum omnes veritates superrationales ab ambitu philosophiae excluduntur, quod ad priorem iam significationem philosophiae *obiective* ac per se spectatae pertinet; sed in primis ad multas veritates per se rationales philosophia seu scientia philosophica vel omnino non pertinget, vel eas assequetur imperfecte, modo incerto et solum probabili ex imperfectione rationis humanae. Ex eadem deinde causa, ut superius (n. 3.) declaratum est, accidere potest et frequenter accidit, ut humana ratio sibi permissa errando suscipiat tamquam principia vel tamquam conclusiones scientiae, quae revera talia non sunt; sed sunt errores contrarii infallibili veritati revelatae, proindeque etiam contrarii veritati scientiae. Unde quum supposita fide secundum ipsam rationem et *obiectivam philosophiam* evidens sit officium gravissimum vitandi huiusmodi errores, hoc ipso iam fides et infallibilis auctoritas custodum depositi constituitur norma dirigens prae oculis habenda eo modo, quo dictum est. Non igitur solum singularis philosophus, quatenus Christianus est et manere velit, *potest fortasse* (ut aiunt) se subiicere auctoritati fidei; sed ex infallibilis fidei et auctoritatis atque ex fallibilis rationis et ingenii humani natura consequitur, atque adeo in ipsa *obiectiva philosophia* continetur lex et officium subordinationis pro rationali inquisitione veritatis et pro scientiis, ut excoluntur a fidelibus, qui verum revelatum tenent per fidem, et verum naturale quaerunt per rationem.

Hoc ipsum edicitur verbis summi Pontificis (litt. ad Archiepiscop. Monach. 11. Dec. 1862.). « Numquam non solum *philosopho,* verum etiam *philosophiae* licebit, aut aliquid contrarium dicere iis quae divina revelatio et Ecclesia docet, aut iudicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua *philosophiae conclusione*, quae hucusque libera erat, proferre constituit. Accedit etiam, ut idem auctor (Frohschammer) philosophiae libertatem seu potius effrenatam licentiam tam acriter, tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam umquam animadvertere, verum etiam debere ipsius *philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa*

se corrigat (1); ex quo venit, ut *philosophi hanc philosophiae libertatem necessario participent*, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur... Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum ius, sed officium praesertim habet non tolerandi sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et *omni philosopho* qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam *philosophiae* officium incumbit, nihil umquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem quae contrarium docet, omnino erroneam et ipsi fidei Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicimus et declaramus. »

Corollarium. Sicut dantur veritates revelatae tamquam principia, secundum quae doctrinae ac propositiones eis oppositae, quae in scientiis naturalibus statuantur vel deducantur, iudicari possunt et ab Ecclesia authentice ac infallibiliter iudicantur; ita nihil impedit, quominus fideles etiam privati qui a scientia satis parati sint, de huiusmodi propositionibus etiam ante formale iudicium Ecclesiae scientifice et theologice iudicent secundum principia fidei. Huiusmodi iudicia theologica vel certa sunt vel solum probabilia, prout certo vel solum probabili ratione cognoscuntur haec tria: verus sensus principii revelati secundum quod iudicatur; verus sensus doctrinae quae iudicatur; realis et non solum apparens oppositio inter haec duo. Quando haec tria, ut frequenter facillimum est, vera certitudine cognoscuntur, cui numquam potest subesse falsum (supra n. 3.), profecto etiam ante directum et formale iudicium Ecclesiae obligatio est doctrinas ita repugnantes veritati fidei iam sufficienter propositae habendi non ut legitimas deductiones scientiae sed omnino ut falsas, licet ex ipsis principiis scientiae forte nondum liqueat, ubi et quomodo sit

(1) Vides profecto, non de *philosophia obiective spectata*, in qua nulli sunt nec esse possunt errores, ut evidens est et paulo ante ex s. Thoma a nobis dictum, sed *de philosophia ut subiective excolitur et in mente philosophorum suscipitur*, apud istum auctorem ac proinde etiam in eiusdem doctrinae condemnatione sermonem esse.

erratum: « quidquid... his nostris litteris i. e. catholicae fidei contrarium protulerint, aut *aliqua etiam facultate ostendamus* (ex ipsa scientia) *aut nulla dubitatione credamus* (ex solis principiis fidei) esse falsissimum. » Quod itaque Güntherus suadet (Euryst. et Heracles p. 251.), ut in hypothesi huiusmodi oppositionis inter fidem et scientiam, quemadmodum loquuntur, h. e. inter veritatem fidei et errorem in systemate scientifico, *iudicium suspendatur* sperando profectum scientiae, idem est ac suadere dubium in fide ac proinde saltem virtualem defectionem a fide; quando nempe illa tria, de quibus diximus, certo cognoscuntur. Tum enim suspensio iudicii non potest sine crimine admitti quoad veritatem principii revelati et falsitatem doctrinae oppositae, sed solum quoad rationes cur et quomodo sit oppositio, quarum elucidatio ex profectu scientiae (ut historia scientiarum ostendit) merito speratur.

At vero quamdiu illa tria quae diximus, clara non sunt, caute omnino in rebus huiusmodi obscuris et difficilibus procedendum est, ne temere affirmando sensum aliquem in verbo Dei, qui forte nec sensus revelationis nec in se verus est, oppositiones confingamus velut inter fidem et errorem in scientia, ubi revera non inter fidem et doctrinam iudicandam est oppositio, sed fortasse inter nostram falsam opinionem et inter veritatem scientificam. De his sapientissime et gravissime monet s. Augustinus Gen. ad litt. l. I. n. 37. sqq. « In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint salva fide qua imbuimur (salva praedicatione ecclesiastica et intellectu catholico), alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus; non pro sententia divinarum Scripturarum sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse quae nostra est, cum potius eam quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus. » Ponit deinde exempla ex rebus physicis. Geneseos I. sermo est de creatione lucis, de die ac nocte ante creationem firmamenti et solis; quaeritur ergo, utrum lux corporalis creata dicatur

in Scripturis ita, ut antequam sol et firmamentum existeret, dies ac noctes sibi succederent, an potius ibi agatur de luce et creaturis spiritualibus? Audi responsiones cautissimas ad hanc et huic similes quaestiones. « Esse spiritalem lucem in creatura spiritali fides nostra non dubitat (hoc nempe ex fide certo constat); esse autem lucem corporalem coelestem, aut etiam supra coelum vel ante coelum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur (1). Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis sanctorum librorum scriptor sentire voluerit, an aliud aliquid non minus verum... Plerumque accidit, ut aliquid de terra, de coelo, de ceteris mundi huius elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunae, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium... atque huiusmodi ceteris etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum christianas litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur, toto coelo errare conspiciens risum tenere vix possit... Quid enim molestiae tristitiaeque ingerant prudentibus fratribus temerarii praesumptores, satis dici non potest, cum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci coeperint ab eis, qui nostrorum librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, eosdem libros sanctos, unde id probent, proferre conantur... non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant. » Haec certe monita prae oculis habuerunt prudentes illi theologi, de quibus diximus in tract. de Traditione (p. 155. 156. in nota); sed

(1) Nimirum si veritate certissima demonstretur esse falsum, contra fidem erit asserere id, quod falsum cognoscitur, dictum esse in divina Scriptura.

nescio, utrum ad ista satis adtenderint in eadem causa qualificatores, quorum censuram videre est apud Ricciolium (Almagest. P. II. p. 498.).

II. *De usu ac subordinatione scientiarum in ipsa explicatione doctrinae fidei.*

1. Aliud est loqui de relatione ac subordinatione *rationis ad fidem,* et aliud loqui de usu ac subordinatione *scientiarum in explicatione doctrinae fidei,* seu *in sacra theologia.* De priori in tota hac tractatione satis diximus. « Credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. » Ratio enim ipsa, seu anima quatenus rationalis est, elevata et confortata per gratiam credit veritates revelatas propter auctoritatem Dei revelantis. Unde fide explicita, quae sit virtus et fides divina, credere nemo potest, quin haec tria cognoscat: *a*) infallibilem veracitatem Dei; *b*) factum revelationis divinae; *c*) quae sint veritates revelatae, eoque ipso quis sit sensus veritatis credendae. Aliqua nempe analogica et saltem confusa notitia sensus verbi Dei necessario requiritur ad explicitam fidem; neque enim sonus verborum, sed sensus proponitur credendus (1). Verum ut fides eiusque firmitas sit, *sicut oportet,* supernaturalis nempe ac proportionata tum fini tum obiecto formali, necessaria est voluntatis et intellectus elevatio per gratiam. Rationis igitur usus fidem (actualem) praecedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit (Propos. 3. s. Congreg. Indic. 1855.).

Iam vero harum rerum cognitio quantum opus est ad simplicem fidem, qua fiunt Christiani, in oeconomia a Christo instituta per se non praesupponit nec postulat naturalem mentis culturam per scientias humanas. Sicut enim praedicatio apostolica non est « in persuasibilibus humanae sa-

(1) « Ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba quae propter illam sunt dicenda, commendet » s. Aug. de consens. evangel. l. II. c. 66; s. Hieron. in Gal. I. 11. 12. (T. VII. p. 386). Cf. August. in Ps. 118. serm. 18. n. 3.

pientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis » (δυναμεως); ita et « fides non est in sapientia hominum, sed in virtute Dei » 1. Cor. II. 4. 5. (Confer supra cap. V. §. II.).

Attamen triplex illa cognitio quae iam ipsam fidem comitatur et in fide explicita includitur, potest et ad explicationem ac defensionem ipsius revelationis debet in Ecclesia Dei excoli ad distinctiorem et ampliorem *scientiam fidei*, quae est *sacra theologia* (vide tract. de Deo Prolegomen. §§. II. III.). Haec scientia tum secundum *obiectum formale* tum secundum *obiectum materiale* fidem supponit eique tota innititur, quoniam omnes veritates considerat, quatenus a Deo nobis revelatae sunt aut cum revelatis connectuntur, nec nisi sub hac ratione est *scientia proprii nominis* et *theologia sacra* (tract. de Deo l. c. §. I.). Sicut vero fides ipsa (actualis) sine usu rationis et sine triplici illa, de qua diximus, partim praeambula partim fundamentali cognitione esse non potest; ita mens humana ad excolendam *scientiam sacram* indiget subsidio multiplicium scientiarum naturalium et rationalium (cf. de Tradit. th. XXV. n. II.). Potest igitur doctrina revelata seu, ut s. Thomas loqui solet, doctrina sacra spectari tripliciter: *obiective* et in ratione veri revelati; quatenus *fide creditur;* quatenus *fides quaerit intellectum.* Primo et secundo modo si spectetur, non requiritur, tertio modo requiritur subsidium scientiarum naturalium. Licet enim vera revelata in se ipsis sint maxime intelligibilia, nobis tamen intelligibilia non sunt nisi *secundum modum nostrum.* Hoc ipsum est, quod ait s. Thomas 1. q. 1. a. 5. ad 2. « Haec scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quae in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicae utuntur subministrantibus, et civilis militari. Et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam eius (obiective spectatae), sed propter defectum intellectus nostri, qui ex

his quae per naturalem rationem, ex qua procedunt aliae scientiae, cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra rationem, quae in hac scientia traduntur» (1). Verum haec ampliori aliqua indigent explicatione, ut quae sit habitudo ac subordinatio scientiarum naturalium ac rationalium ad theologiam, distinctius intelligatur.

2. Scopus ad quem aliae scientiae in sacra theologia in usum veniunt, non est ut veritates sub ea formali ratione, quatenus demonstrantur ratione et naturalibus praesidiis in aliis scientiis, assumantur et habeantur tamquam obiectum proprium theologiae. Hoc modo theologia subordinata esset aliis scientiis; seu potius haec ex ipso suo obiecto formali esset philosophia, non autem *theologia fidei.* Scopus ad quem per scientias alias tenditur in theologia, supposita fide est « amplior manifestatio eorum, quae in doctrina sacra traduntur; » adeoque *non intellectus quaerit fidem,* quae praesupponitur in sua supernaturali certitudine ac firmitate; *sed fides quaerit intellectum.*

a) Illa « amplior manifestatio » considerari potest in cognitione facti revelationis, ac proinde motivorum credibilitatis in tota historia supernaturalis providentiae ac revelationum Dei; pariterque in cognitione modi, quo revelatum Dei verbum ad nos pervenit ac perpetuo intemeratum conservatur (in Scriptura ac Traditione per ministerium Ecclesiae divinitus institutae); ac proinde in cognitione fundamentorum, fontium, et regularum fidei, ex quorum omnium scientifica demonstratione constituitur *theologia apologetica.*

b) Spectanda est « amplior manifestatio » per intellectionem et demonstrationem, *quae veritates* sive theoreticae sive practicae et *quomodo* contineantur in verbo Dei, prout in Scriptura ac Traditione conservatur et ab Ecclesia proponitur. Scientia haec, *quid* et *quomodo* in verbo Dei contineatur, est *theologia dogmatica (et moralis),* quae dici solet *positiva.*

(1) Non dicit Angelicus, quod Dr. Kuhn (Introduct. in Dogmatic. p. 268–282.) ei adtribuit, ipsam scientiam speculativam theologiae esse immediate a Deo infusam, et ideo non egere subsidio philosophiae; sed potius dicit contrarium.

c) Porro « amplior manifestatio » dogmatum secundum intimam eorum rationem (quantum intellectus fide illustratus per speculum et in aenigmate cognoscere potest), perficitur per *theologiam speculativam.* Potest enim intellectus fide illustratus etiam superrationalia per notiones rationales analogice, seu (ut s. Thomas loquitur) secundum similitudinem cognoscere, *quid sint;* eorum mutuum nexum, unius veritatis ab altera consecutionem, unius cum altera convenientiam, atque aliquam cum ipsis veritatibus rationalibus congruentiam perspicere. « Ratio manuducta per fidem crescit in hoc, ut ipsa credibilia plenius comprehendat; et tunc ipsa quodammodo intelligit, unde dicitur Is. VII. 9. secundum aliam litteram (LXX): nisi credideritis, non intelligetis » S. Th. prolog. ad ll. sentent. q. 1. a. 3. sol. 3.

d) Cum his omnibus denique cohaeret, et in eis includitur *theologia polemica* ad defensionem doctrinae revelatae adversus errores contrarios, sive ii versentur circa ipsos fontes doctrinae ex perversione fundamentorum fidei, sive circa singula dogmata ex falsa interpretatione verbi Dei, sive circa verum intellectum eorundem ex abusu philosophiae.

Iam ad haec omnia rite praestanda non modo opportunum sed intra certos limites omnino necessarium subsidium repeti ex omnibus fere scientiis naturalibus et rationalibus, per se evidens est. Critica, philologia, hermeneutica, scientiae historicae, maxime vero sana philosophia ubique fere in usum veniunt (1); quodsi in prioribus illis defectus pro-

(1) « Etiam philosophia e longiquo (πόῤῥωθεν) opem fert assecutioni veritatis variis notionibus tendens ad nostram scientiam (christianam), quae proxime (προσεχως) apprehendit veritatem; sed opem fert ei, qui studet ratione apprehendere sapientiam (λογικως ἀνθαπτεσθαι γνωσεως)... A Deo enim docti sumus, qui litteras vere sacras a Filio Dei didicimus... Si propter litigiosos distinctius loquendum est, dicemus philosophiam, ut quae in indaganda veritate versatur, esse concausam et adiutricem comprehendendae veritatis, ac fatebimur eam esse disciplinam praeviam hominis gnostici (theologi) προπαιδειαν του γνωστικου.... non ita tamen, ac si sine philosophia esse non posset nostra veritatis apprehensio (per fidem), cum vix non omnes sine cyclo disciplinarum et sine philosophia graeca, aliqui etiam sine litteris omnino.... susceperi-

priae scientiae a theologo aliquatenus mentalibus oculis aliorum eruditorum potest suppleri, in philosophia non potest.

3. Quoniam veritates credendae non ab his rationalibus scientiis desumuntur, sed immediate a Deo manifestantur; scientiae autem se habent velut subsidia ac instrumenta ad distinctiorem aliquam intelligentiam earundem veritatum, ideo theologia « non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis » (1). Scientiarum subordinatio sub fidem in earum applicatione ad theologiam dupliciter spectari debet, *finaliter* tamquam mediorum ad finem superiorem, et *formaliter* in ratione scientiae dirigendae a fide tamquam norma.

a) Sicut inter omnia entia subordinatio est pro fine inferiore vel superiore, ad quem singula ex sua natura diriguntur; ita et in ordine cognitionis inter scientias, quae obiectum aliquo modo commune habent, hierarchia quaedam est et subiectio unius ad alteram, prout finem immediatum habent inferiorem vel superiorem. Ex hoc principio s. Thomas id, quod dicimus de subordinatione scientiarum ad *theologiam fidei*, ita declarat. « Omnes qui recte senserunt, posuerunt finem humanae vitae Dei contemplationem. Contemplatio autem Dei est dupliciter, una per creaturas quae imperfecta est (quia procedit ex effectibus non proportionatis ad cognitionem causae, ut in se est), in qua contemplatione philosophus (Ethic. X. 9.) felicitatem contemplativam po-

mus fidei doctrinam de Deo, eruditi sapientia per se efficaci (αὐτουργῳ σοφιᾳ πεπαιδευμενοι)... Est quidem per se perfecta et nullius indiga Salvatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam facit sophisticam argumentationem, et propulsans dolosas adversus veritatem insidias dicta est vineae apta sepes ac vallum » (φραγμος οἰκειος και θριγκος του ἀμπελωνος) Clem. Alex. Strom. I. p. 318. 319.

(1) De re ipsa, quomodo naturales scientiae sint ancillae theologiae, agimus toto hoc capite; nomen vero ac modum loquendi scholastici mutuati sunt ex Patribus, qui Saram dominam et Agar ancillam dicunt allegoriam esse relationis inter theologiam et philosophiam. Clem. Alex. Strom. I. p. 2. 84; Gregor. Naz. (vel Amphilochius) carm. 8. ad Seleuc. al. carm. 125. v. 240. sqq.; Hieronym. ep. 70. al. 84. n. 2. ad Magnum; Damascen. dialectic. c. 1. T. I. p. 8. cf. Philo de congressu eruditionis quaerendae causa p. 340. ed. 1613.

suit, quae tamen est felicitas viae; et ad hanc ordinatur tota cognitio philosophica, quae ex rationibus creaturarum procedit. Est alia Dei contemplatio, qua videtur immediate per suam essentiam; et haec perfecta est, quae erit in patria, et est homini possibilis secundum fidei suppositionem. Unde oportet, ut ea quae sunt ad finem, proportionentur fini, quatenus homo manuducatur ad illam contemplationem (in patria) in statu viae per cognitionem non a creaturis sumptam, sed immediate ex divino lumine inspiratam (obiective per revelationem, subiective per fidem supernaturalem), et haec est doctrina theologiae. Ex hoc possumus habere duas conclusiones: una est, quod ista scientia (fidei) imperat omnibus aliis scientiis tamquam principalis; alia est, quod ipsa utitur in obsequium sui omnibus aliis scientiis quasi vassallis (1); sicut patet in omnibus artibus ordinatis, quarum finis unius est sub fine alterius, sicut finis pigmentariae artis, qui est confectio medicinarum, ordinatae ad finem medicae, qui est sanitas; unde medicus imperat pigmentario, et utitur pigmentis ab ipso factis ad finem suum. Ita cum finis totius philosophiae sit infra finem theologiae et ordinatus ad ipsum, theologia debet omnibus aliis scientiis imperare (cf. §. I. huius capitis), et uti his, quae in eis traduntur » (2) S. Th. in 1. sent. prolog. a. 1.

b) In inquisitione et scientia theologiae, ut dictum est (n. 2.), tamquam fundamentum supponitur fides eiusque supernaturalis firmitas, ac proinde etiam supponitur supernaturalis cognitio iam inclusa in ipsa fide, tum nempe

(1) Nostra aetate ex perversione finis hominis consecuta est necessario etiam inversio ordinis inter scientias. Primum locum obtinent illae, quae circa materiam versantur. Istae tamquam norma imperant omnibus aliis scientiis, ipsi etiam philosophiae, omnesque alias in servitutem mancipare conantur.

(2) « Quemadmodum liberales disciplinae (τα ἐγκυκλια μαθηματα) inserviunt philosophiae, quae est ipsarum domina; ita etiam ipsa philosophia inservit ad parandam sapientiam (theologiam).... Est enim sapientia domina philosophiae, sicut haec domina est propaedeuticarum disciplinarum » (της προπαιδειας) Clem. Alex. Strom. I. p. 284. cf. Origen. ep. ad Gregor. n. 5. T. I. p. 20; Gregor. Naz. (vel Amphilochius) ad Seleuc. carm. 8. v. 240. sqq.

Dei revelantis seu existentiae revelationis divinae, tum sensus veritatum revelatarum, in quo ab Ecclesia catholica proponuntur. Haec cognitio ante omnem inquisitionem scientificam eandem certitudinem ac firmitatem supernaturalem habet sicut ipsa fides, quacum complicita est. Sicut ergo in scientiis naturalibus et rationalibus praevertit cognitio principiorum et veritatum quarundam, quae per scientiam subsequentem intelligi quidem distinctius et explicari amplius, numquam autem labefactari possunt, sed imo sunt norma totius scientiae subsequentis adeo, ut haec illis innitatur, et quidquid illis adversatur, verum esse nequeat; simili omnino ratione fides atque in ea inclusa cognitio veritatum praecedit scientiam theologicam, atque illae ipsae veritates per fidem supernaturali firmitate apprehensae ac creditae principia sunt, quibus innititur et quibus tamquam normis regitur tota scientia theologiae (1). « Haec scientia accipit sua principia immediate a Deo per revelationem. » Hinc ea quae tractantur in aliis scientiis, non sunt principia ac normae, quibus accommodentur veritates fidei; sed tamquam subsidium assumuntur ad illas in eo sensu, quo ab Ecclesia proponuntur, distinctius intellectu nostro ap-

(1) « Fides est compendiosa eorum quae necessaria sunt, cognitio; sapientia (γνωσις) autem est firma et stabilis demonstratio eorum, quae per fidem assumpta sunt: *sapientia per doctrinam Domini super fidem aedificatur* » (ἡ γνωσις δια της κυριακης διδασκαλιας ἐποικοδομουμενη τη πιστει) Clem. Alex. Strom. VII. p. 732. cf. p. 757. « Sapientia fidelis, et fides sapiens est divina quadam consecutione mutua » πιστη τοινυν ἡ γνωσις, γνωστη δε ἡ πιστις; θεια τινι ἀκολουθια τε και ἀντακολουθια γινεται. Id. Strom. II. p. 365. cf. Anonym. in Ps. 115. n. 1. (inter Opp. s. Basilii T. I. p. 471.). « Quamvis nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum (vide supra cap. III. §. I.), tamen ipsa fide qua credit, sanatur, ut intelligat ampliora. Alia sunt enim (praecognita et praesupposita ante fidem), quae nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt, quae nisi credamus, non intelligimus..... Nisi essent aliqua, quae intelligere non possumus, nisi ante credamus, propheta non diceret: nisi credideritis, non intelligetis (Is. VII. 9. LXX.). Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quae credat, et fides proficit ad credenda quae intelligat; et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tamquam naturalibus viribus, sed Deo iuvante atque donante » August. in Ps. 118. serm. 18. n. 3.

prehendendas et copiosius defendendas. Propterea ille ipse sensus dogmatum fide apprehensus et creditus in applicatione eorum, quae ex aliis scientiis assumuntur ad theologiam, praelucet tamquam « stella directrix », ut ad intelligentiam ac probationem illius sensus accommodentur, et ubi opus est, secundum illum expoliantur aut etiam corrigantur (cf. de Tradit. th. XXV. n. III.).

Sicut igitur intellectus « ope revelationis et gratiae ad fidem conducit » (Propos. s. Congreg. Indic. 1840. 1855); ita fides quaerit intellectum. Qua quidem rationis per revelationem, scientiae per fidem velut consecratione regitur et sustentatur sacra doctrina seu theologia, quam ss. Patres et catholici doctores tum verbis tum multo magis exemplo suo commendarunt, et ad magnum Ecclesiae fructum tot fidei ac sapientiae monumentis illustrarunt. Quomodo haec intelligentia quaerenda sit, s. Augustinus prudentissime monet tota epistola 120. ad Consentium, quae potest dici tractatus de relatione fidei ac scientiae theologicae. « Absit ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per prophetam: nisi credideritis, non intelligetis (Is. VII. 9. LXX.). Si autem iam fidelis rationem poscat, ut quod credit, intelligat, capacitas eius intuenda est, ut secundum eam ratione reddita sumat fidei suae quantum potest, intelligentiam; maiorem, si plus capit, minorem, si minus: dum tamen quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque (in visione beata) perveniat, ab itinere fidei non recedat... Iam ergo si fideles sumus, ad fidei viam pervenimus, quam si non dimiserimus, non solum ad tantam intelligentiam rerum incorporearum et incommutabilium, quanta in hac vita capi non ab omnibus potest, verum etiam ad summitatem contemplationis, quam dicit Apostolus *facie ad faciem,* sine du-

bitatione perveniemus... Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum praeparat » August. l. c. n. 3-6. De hac eadem subiectione rationis ad primam veritatem revelantem ac revelatam, scientiae ad fidem loquitur s. Anselmus paucis multa complectens. « Non tento Domine penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere, ut credam; sed credo, ut intelligam: nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam » Anselm. Proslog. c. 1. Hoc modo sacrum Concilium Vaticanum cap. 4. Constit. de Fide, cui tota haec nostra expositio innititur, desiderat ac verbis Vincentii Lirinensis (Common. n. 28.) filiis Ecclesiae commendat, ut « crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. »

AD TRACTATUM
DE DIVINIS SCRIPTURIS
ΣΥΜΒΟΛΗ

ANIMADVERSIONUM

IN DISSERTATIONEM INSCRIPTAM

« *De Bibliorum inspiratione eiusque valore ac vi pro libera scientia.* »

Novam quandam de extensione inspirationis librorum sacrorum opinionem in opusculo lingua germanica scripto explicatam ac propugnatam viri boni mihi indicarunt, ut quae sentirem, edicerem. Eam sine dubio falsam et cum gravioribus periculis coniunctam vidi, quam ab auribus et animis catholicorum omnino arceri oporteat. Cum vero ipse dissertationis auctor ab illa tanti discriminis sententia iam discessisse dicatur, gratulandum, non crimen inferendum est. Et certe nisi scirem eandem doctrinam alicubi latius serpere coepisse, abstinuissem a movenda hac quaestione; at falsae opinionis propagatio mihi persuasit, operam necessariam et auctore non invito me impensurum, si ad ea, quae ipse iam improbat, ego quoque nonnullas conferrem animadversiones. Nec sane a theologi eruditi et catholici laude quidquam detractum velim, dum non hominem accuso, sed dissertationis in lucem publicam editae argumenta oppugno.

I. *Nova et falsa doctrina dissertationis.*

1. Disceptatio in opusculo cl. Doctoris non est illa critica, quae subinde haberi solet, utrum partes omnes librorum sacrorum ut nunc nobis prostant, genuinas censeri oporteat et ab ipsis primis librorum conscriptoribus profectas; sed quaestio nunc inducitur alia, inter catholicos fere nova eaque prorsus *theologica*, an libri canonici se-

cundum omnes suas partes genuinas credi debeant conscripti Deo inspirante? Insuper quaestio non est, utrum nomine *partium* librorum necessario intelligi debeant singula vel minutissima incisa, cuiusmodi sunt e. g. salutationes ab Apostolis adnexae epistolis, vel quae habet Paulus de paenula relicta Troade, vel (ut auctor ait) de vino modico, quod Apostolus commendat discipulo. Non ignoro, unum vel alterum theologum (loquor de paulo vetustioribus) repertum fuisse, qui ad huiusmodi minutissima inspirationem extendi, ausus fuerit negare (1). Verum nunc nostra dissertatio longe ulterius progreditur, doctrinamque proponit, cui equidem censeo auctoritatem repugnare ineluctabilem, ex qua insuper pericula intelligo consequi gravissima et ab auctore certe numquam intenta, quam denique nullo argumento sed meris coniecturis fulciri video.

2. Examinemus summa capita huius novae commentationis. In sacris libris, ibi dicitur, distinguenda est doctrina fidei et morum, quae etiam ab auctore verbis Magistri (non rite intellectis) appellatur «scientia animae» (die Wissenschaft der Seele) (2), tum vero discernendae sunt (ut ait) «res profanae» in iisdem Scripturis comprehensae. In rebus fidei et morum scribendis auctor humanus a Deo su-

(1) De hac opinione legi possunt Canus de Locis l. II. c. 16. sqq. et Bellarminus de Verbo Dei l. I. c. 6. n. 16. sqq., qui eam simpliciter appellat *haeresim*. Cf. Benedictum XII. loco quem citavi in tractatu de Scripturis p. 351. nota.

(2) In illa phrasi toties a nostro Professore repetita « scientia animae, » apud Magistrum 2. dist. 23. *anima* non accipitur pro obiecto, ut dissertator interpretatur; sed pro *subiecto* scientiae. Agit enim ibi Lombardus de quaestione, « qualis fuerit primus homo (in statu originalis iustitiae) *secundum animam.* » Fuit autem in illo statu multiplex *scientia animae,* scientia naturalis ad usum vitae, scientia praeternaturalis, et supernaturalis. Iam ait, scientiam naturalem ad usum vitae, « ut sciret animalibus ac propriae carni providere necessaria, » per peccatum non periisse generi humano; sed perdidimus scientiam supernaturalem. « Hanc scientiam (naturalem) homo non perdidit; et idcirco in Scriptura homo de huiusmodi non eruditur, *sed de scientia* (supernaturali) *animae, quam peccando amisit.* » Etiamsi enim in Scriptura doceantur aliqua ratione obiecti naturalia, haec tamen non ibi docentur *propter se,* sed in ordine ad supernaturalia et modo supernaturali.

pernaturali ope praeservabatur ab omni errore; utrum homines in iis scribendis non modo *per assistentiam divinam* ab errore praemuniti, sed etiam *per inspirationem* fuerint illuminati in intellectu et moti in voluntate ad ea omnia et sola scribenda, quae Deus voluit per Scripturam hominibus proponere tamquam verbum suum scriptum, cl. disputator nullibi satis declarat. Hypothetice dumtaxat proponit notionem aliquam « inspirationis strictiori sensu » p. 102, quae vero notio vel admodum obscura est vel, si sumitur in obvio verborum sensu, minime sincera, et quae maxime post definitionem Vaticanam non amplius possit sustineri.

3. Certissimum quidem est, in inspiratione ad scribendum gradus fuisse diversos; sed aeque certum haberi debet, neque veritatis revelationem per se esse inspirationem ad scribendum, neque ad huius essentiam sufficere praemunitionem ab errore per divinam assistentiam, cuiusmodi requiritur etiam in infallibilibus definitionibus Conciliorum vel Romanorum Pontificum, quin propterea definitiones istae constituantur *Scriptura inspirata*. Omnium vero minime admitti potest, quod auctor p. 100. 101. docet de discrimine inter « infallibilitatem Ecclesiae et inspirationem Scripturae, » quasi istud tantummodo in diversitate *obiecti* consisteret, quatenus per inspirationem novae veritates revelentur, per infallibilitatem Ecclesiae non novae sed iam pridem revelatae veritates proponantur. Nec revelatio stricto sensu, manifestatio nempe rei occultae, nec *nova* revelatio sensu latiori, prima videlicet veritatis propositio divinitus facta, pertinet ad essentialem notionem inspirationis. Multa inspirabantur ad scribendum, quae hominibus inspiratis per humana subsidia et per humanam industriam comperta erant: « qui hagiographa conscripserunt, ait s. Thomas (2.2. q. 174. a. 2. ad 3), eorum plures frequentius loquebantur de his, quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei sed ex persona propria, *cum adiutorio tamen divini luminis.* » Hoc lumen explicat « lumen intellectuale divinitus infusum non ad cognoscendum aliqua supernaturalia (ut in superiori prophetiae vel inspirationis gradu),

sed ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea, quae humana ratione cognosci possunt. » Pariter doctrina evangelica pridem erat revelata, in Ecclesia praedicata et quotidie in praxim deducta, antequam eadem inspiraretur Evangelistae s. Matthaeo ad scribendum; imo plurima quae iam etiam in Scriptura erant proposita, denuo sub charismate inspirationis consignabantur ab aliis sacris scriptoribus, quod, ne de reliquis dicam, ex comparatione quatuor Evangeliorum omnibus compertum est. Discrimen itaque inter propriam rationem infallibilitatis Ecclesiae et inter essentiam inspirationis nequaquam eo modo, quo auctor asserit, positum est in *obiecto,* sed omnino in diversitate *ipsius charismatis in subiecto,* quoniam ad infallibilitatem sufficit *assistentia divina,* qua error in definitione excludatur, ad inspirationem scriptionis praeter munitionem ab errore essentialiter requiritur positiva supernaturalis operatio Dei in intellectum et voluntatem scriptoris, qua fiat, ut Deus ipse per hominem inspiratum proprio sensu sit *auctor libri,* ac proinde liber non quomodocumque contineat verbum Dei sine errore, sed quatenus est liber scriptus, sit *efficienter* a Deo auctore, et verbum Dei scriptum. Hanc inspirationis notionem ex Scripturis ipsis, ex Conciliis et ex consentiente doctrina PP. satis demonstravimus in tract. de Scripturis sect. I.

4. Verum nunc non tam de notione et essentia inspirationis quam de eius amplitudine, non de *intensione* sed de *extensione* inspirationis disceptatio est. Facta enim distinctione, quam commemoravi, inter doctrinam « religiosam » et inter « res profanas » in Scripturis sacris, dissertatio affirmat, in his « rebus profanis » scribendis homines fuisse omnino sibi relictos adeo, ut in his etiam errare potuerint, ac proinde ad harum rerum scriptionem nec inspiratio (quaecumque eius notio statuatur) nec assistentia divina praecavens errores extenderetur. Secundum omnes ergo has partes, quae non continent « doctrinam fidei vel morum, » si novae theoriae fidendum esset, Scriptura haberetur mere humana, viribus nimirum dumtaxat humanis exarata, quae propterea in hisce partibus nec in-

spirata credi posset, nec *a priori* haberi immunis ab erroribus; consequenter in hisce omnibus partibus, sive actu insint sive non insint errores, neque *Scriptura canonica* censenda foret. In hac doctrina porro quaerentibus nobis certam normam, qua partes has humanas distinguamus ab illis, quae vel inspiratae sunt vel saltem infallibiliter continent verbum Dei, hanc regulam auctor proponit p. 98. 99. « Si narratio aliqua historica (inquit) necessarium fundamentum constituit veritatum religiosarum, ita ut ipsae hae veritates pendeant a veritate historiae, quemadmodum e. g. commoratio populi Israel ad montem Sinai veritatem legislationis sustinet ac communit; tum debuit Deus in gratiam veritatis religiosae scriptorem immunem servare ab errore. Si autem huiusmodi connexio facti narrati cum veritate religiosa non obtinet; tum ab humana critica pendet, utrum veritas huiusmodi historiae agnoscenda an repudianda sit » (1).

Haec normam praebent satis claram, quam vero nemini catholico fas fuerit adoptare. Libri sacri sub charismate infallibilitatis (an etiam inspirationis, non dicitur) scripti sunt in iis partibus dumtaxat, quae continent « veritates religiosas » vel facta historica ut « fundamentum necessarium, sine quo ipsa veritas religiosa concideret; » reliqua igitur omnia in iisdem libris scripta sunt mere humanitus; ac proinde de his omnibus sicut de aliis libris humanis ad criticam pertinet iudicare, non iam utrum divinitus an humanitus sint scripta (constat enim secundum normam propositam, opera esse omnino humana), sed utrum vera sint an falsa. Si examine critico vera fuerint reperta, sine dubio credenda sunt *fide humana* h. e. propter demonstratam scientiam et veracitatem hominis narrantis, sed numquam pos-

(1) « Entweder bildet eine historische Darstellung das nothwendige Fundament religioeser Wahrheiten, mit dem diese stehen und fallen, wie der Aufenthalt am Sinai die dortige Gesetzgebung stützt und traegt, und dann muss Gott den Schriftsteller im Interesse der religioesen Wahrheit *vor Irrthum schützen;* oder solches ist nicht der Fall, und dann *haengt die Verwerfung oder Anerkennung der fraglichen Darstellung von der menschlichen Kritik ab.* »

sunt credi *fide divina* tamquam verbum Dei propter auctoritatem Dei, quoniam in iis omnibus non Dei, sed tantummodo hominis verbum est et auctoritas. Hinc apparet, quid valeant, quae ibi infert cl. auctor: « Si animo sincero examen instituatur, rarissime eveniet, ut narrationem biblicam, etiam cum religione non connexam, cogamur repudiare » (1). Nempe sicut in Thucidide vel Tacito ita in hisce libris rarissime reiiciemus huiusmodi narrationem ut falsam, sed tamen semper negabimus inspiratam vel ex divina saltem assistentia infallibilem, et admittemus documentum dignum fide humana, quantum scientia et veracitas testis humani fuerit demonstrata.

5. At hac ratione magna pars librorum et libri integri praesertim veteris Testamenti censebuntur libri mere humani, quantumlibet fide humana veraces demonstrari queant. Quaeso enim e. g. in libris Ruth, Esther, in epistola ad Philemonem aliisque, quaenam proponuntur in sensu nostri auctoris « veritates religiosae, » quae facta « sine quibus veritas religiosa consistere non posset »? Iuxta novam igitur doctrinam isti libri cum magna parte aliorum non possent haberi *canonici* in sensu ecclesiastico huius appellationis. Atqui de fide est in Conciliis Florentino, Tridentino, Vaticano definitum, ne de aliis dicam, libros ibi enumeratos veteris et novi Testamenti « integros cum omnibus suis partibus » esse *sacros et canonicos*, ipseque sensus huius appellationis est a Concilio Vaticano diserte declaratus: «eos (integros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet... propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem,* atque ut tales Ecclesiae traditi sunt. »

6. Error in ipsa re et doctrina viri eruditi, nisi ego fallor, originem habet ex errore methodico. Voluit nimirum ex rerum intestina necessitate et *a priori* decernere de amplitudine inspirationis, cum tamen de ea non nisi *a posteriori* ex testimonio divino constare queat. Notio enim

(1) « Indem wir gewissenhaft zu Werke gehen, gelangen wir nur in den seltensten Faellen dazu, eine auch nicht religioese Mittheilung der Bibel fallen zu lassen. »

inspirationis tota theologica est, ac proinde inquirenda in divina revelatione, ut haec in Ecclesia Dei traditur et declaratur, ex eademque revelatione ab Ecclesia proposita discamus oportet inspirationis extensionem. Omissa quaestione de genuino conceptu inspirationis, quoad eius extensionem omnino certum est, *a*) nomine excellentiae *Scriptura, Scriptura sacra*, et formulis *scriptum est, Scriptura dicit* hisque geminis non modo totam collectionem vel integros libros, sed singulas eorum partes et singulos etiam textus fuisse ab ipso Christo, ab Apostolis, ab universa Ecclesia designatos; *b*) hoc nomen *Scripturae* fuisse semper intellectum pro *Scriptura inspirata* πασα γραφη θεοπνευστος, et illas formulas fuisse aequipollenter ac promiscue adhibitas cum aliis: *Deus dicit, Spiritus Sanctus dicit,* homo *in Spiritu Sancto dicit; c*) hanc excellentiam Scripturae, ut omnis *Scriptura* tum nempe in integris libris tum in singulis partibus declararetur et crederetur *inspirata* et *verbum Dei scriptum,* non fuisse repetitam ab excellentia materiae sed formaliter *a modo, quo scripta est,* ut nomen ipsum *inspirationis* satis manifestum reddit. Haec in tractatu de Scripturis divinis satis demonstrata nunc assumo.

Iam vero ex hac universali doctrina consequitur, illas partes historicas de quibus loquitur cl. auctor, tam certo et indubitanter ab Ecclesia fuisse habitas et haberi ut scriptas *sub charismate inspirationis,* quam certo accensebantur et accensentur *Scripturae sacrae.* Atqui numquam in Ecclesia catholica dubitatum est; sed semper in homiliis, in commentariis, in citationibus Patrum et Doctorum, in synopsibus et indiculis librorum sacrorum est expressum et praedicatum, e. g. caput I. Gen. 2-25, de quo auctor dissertationis nominatim agit, omnino pertinere ad *Scripturam sacram,* ut profecto caecus sit oporteat, qui hac de re dubium non dico praevaluisse, sed permissum aut toleratum aut aliquando auditum fuisse dicat. Ergo partes istae, ac singillatim Gen. I. 2-25, ab Ecclesia catholica creditae sunt et creduntur scriptae sub *charismate inspirationis,* in quo *a fortiori* charisma *infallibilitatis* includitur.

7. Legantur, quaeso, homiliae Basilii et his gemini

libri Ambrosii ac iterum homiliae hexaemeron Chrysostomi, libri deinde Augustini in Genesin ad litteram aliorumque Patrum frequentissimae lucubrationes in historiam creationis, in quibus interpretatio verborum ac sententiarum diversa quidem et multiplex, at persuasio non iam privata sed publica Ecclesiae de inspiratione Moysis in his scribendis expressa prostat velut per se certa ac indubitata omnibus Christianis. Chrysostomus exordiens enarrationem, « has litteras, inquit, quasi longe absentibus Deus misit, attulit autem Moyses... Quasi ad omnes nos clamat: qui haec cum non essent, fecit ut essent, is et linguam meam ad horum enarrationem impulit. Igitur ita auscultemus, ut quae non a Moyse sed per linguam Moysis ab omnium Deo audiamus » hom. I. in Gen. Aequipollentia invenies apud Basilium et Ambrosium.

8. Sed quoniam adversarius nescio quomodo ad Hieronymum et Augustinum provocavit; de utroque hoc doctore singillatim dicendum est. Hieronymus in Scripturis agnoscit « normam veritatis » pro ipsa scientia « de naturis rerum, » quatenus nempe de his in Scripturis aliquid contineatur. « Urges, ait contra Rufinum (Apol. l. III. ed. Martian. p. 465), ut respondeam de *natura rerum.* Si esset locus, possem tibi vel Lucretii opiniones iuxta Epicurum, vel Aristotelis... vel Platonis atque Zenonis... dicere. Et ut ad Ecclesiam transeam, ubi *norma est veritatis,* multa et Genesis et prophetarum libri et Ecclesiastes nobis de huiusmodi quaestionibus suggerunt. » Eodem sensu disserit in epistola ad Paulam (T. II. p. 708). « Dixi, quomodo philosophi solent disputationes suas in physicam, ethicam, logicamque partiri, ita et *eloquia divina* aut *de natura disputare,* ut in Genesi et in Ecclesiaste, aut de moribus, ut in Proverbiis et in omnibus sparsim libris, aut de logica pro qua nostri (scriptores sacri) theologicen sibi vindicant, ut in Cantico Canticorum et in Evangeliis. » Aeque igitur *eloquia divina* credit Hieronymus in disputationibus *de natura* ac in illis de moribus et de theologia. Generatim Hieronymus explicat, quomodo etiam quae minutiora videantur in sacris libris, sint habenda vere ut Scriptura divina

atque hoc ipso, ut quae Christus loquatur in homine, et quae homo loquatur per Spiritum Sanctum. Refellens enim homines sine dubio haereticos, qui ob eandem rationem quam nunc noster adversarius inducit, repudiabant epistolam ad Philemonem, et similia « humanae imbecillitatis exempla » in aliis libris veteris et novi Testamenti negabant esse dicta per Spiritum Sanctum, doctor maximus responsum profert, quod prorsus argumento praecipuo recentis dissertationis occurrere videtur. « Quod si non putant eorum esse parva, quorum et magna sunt; alterum mihi conditorem, iuxta Valentinum, Marcionem et Apellen, formicae, vermium, culicum, locustarum, alterum coeli, terrae, maris et Angelorum debent introducere. An potius eiusdem potentiae est (divinae), ingenium quod in maioribus (in « rebus fidei et morum » iuxta nostrum auctorem) exercueris, etiam in minoribus non negare? » (Prolog. ad ep. Philem. T. IV. p. 442).

Cur vero pro nova vindicanda doctrina ad Hieronymum in Ier. XXVIII. provocare, imo s. doctoris verba ex contextu avulsa praefigere placuerit velut totius dissertationis compendium, nemo facile intellexerit. Nec Hieronymus nec ullus umquam ss. Patrum sensit aut dixit, scriptores sacros quandoque sibi relictos opiniones falsas sui temporis combibisse, hosque errores ut suam sententiam in libris canonicis perscripsisse. Inter doctrinas enim, quae in universa Ecclesia a nemine in controversiam vocatae constanti et unanimi praedicatione traderentur, omnes cum Origene (Praefat. in ll. de princip.) etiam hanc habebant: « Scripturam sacram (sine distinctione) esse a Spiritu Sancto inspiratam. » Hieronymus in loco citato et in Matth. XIV. 9. non aliud dicit, nisi quod aliquando in Scripturis res exprimuntur verbis ac nominibus, quibus non ab auctore Scripturarum et secundum rei veritatem, sed ab aliis secundum apparentiam censentur. Idque locum habet non modo in « rebus profanis » sed aeque in dogmaticis, ut exempla a s. doctore inducta satis demonstrant. Ananias pseudopropheta ibi appellatur *propheta,* quod nomen LXX omisisse Hieronymo non probatur. « Prophetam (Septuaginta) non dixere Ananiam, ne scilicet prophetam vide-

rentur dicere, qui propheta non erat; quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat. Denique et Ioseph in Evangelio *pater Domini* vocatur, et ipsa *Maria quae sciebat se a Spiritu Sancto concepisse...* loquitur ad filium: ego et *pater tuus* dolentes quaerebamus te. »

9. Multo magis miror, viro docto opportunam visam fuisse appellationem ad s. Augustinum. In loco quem citat (de actis cum Felice Manich. l. I. c. 10), nullum est vestigium sententiae, de qua nunc quaeritur. Non enim de textibus agit Augustinus qui sint in Scriptura, sed de doctrinis quae nec in Scriptura ullo modo reperiuntur, nec in praedicatione ecclesiastica traduntur. Porro non dicit, nihil omnino in doctrina christiana doceri de sole et luna; sed ea quae Felix affirmaverat per paracletum Manichaeum esse revelata « de initio, medio et fine, de fabrica mundi, quare facta est et unde facta est et qui fecerint, quare dies et quare nox, de cursu solis et lunae, » haec inquam dogmata Manichaei negat Augustinus contineri in Evangelio, non autem dicit aut somniavit, ea ibi legi quidem et nihilominus posse censeri falsa.

Quid doctor Hipponensis senserit de inspiratione et infallibili divina veritate omnium textuum in libris canonicis, ipse declaravit locis pluribus, in quibus repetit illud notissimum: « ego solis eis Scripturarum libris qui iam *canonici* appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, *ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.* Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel codicem mendosum esse, vel interpretem non assecutum, quod dictum est, vel me non intellexisse, non ambigam... De prophetarum et Apostolorum scriptis, *quod omni errore careant, dubitare nefarium est* » Aug. ad Hieronym. ep. 82. n. 3; Civ. Dei XI. 3; contr. Faust. XI. 5. 6.

Speciatim autem in re, de qua nunc disputamus, in iis inquam testimoniis, quae de historia creationis aliquid continent, Augustinus testatur: « Scripturam *veracem esse*

nemo dubitat, nisi infidelis aut impius » in Gen. ad litt. l. VII. c. 28. Prae ceteris vero lectu dignissima sunt, quae disputat l. I. quatuor ultimis capitibus c. 18-21, in quibus haec potissimum advertantur a s. doctore inculcata *a*) Aliud est quaerere de interpretatione, aliud de sensu libri; illa saepe est incerta vel erronea; hic semper est infallibiliter verus. *b*) Interpretatio in locis Scripturae quae agunt de rebus naturalibus, multum iuvari potest per scientias naturales (1). *c*) At si constat, in scientiis naturalibus aliquam sententiam proferri contrariam *genuino et indubio sensui* Scripturae, illa certissime pro errore haberi debet; adeoque studendum est, ut etiam ex propriis principiis scientiae naturalis refellatur, quod si nondum fieri potest, ex principio fidei « nulla dubitatione credamus esse falsissimam. » Nam *d*) « quidquid his nostris litteris profertur contrarium » (agitur de rebus naturalibus), id « contrarium est catholicae fidei. » *e*) Eo maiori cautione opus est, ne nostram interpretationem temere venditemus ut certam, cum ea fortasse sensum nostrum falsum non sensum Scripturae verum contineat, quae quidem temeritas et fidelibus molestiam tristitiamque ingerit, et infidelium salutem impedit; « *si namque hos libros putaverint fallaciter esse conscriptos de his rebus, quas ipsi infideles indubitatis numeris percipere potuerunt, quo pacto iisdem libris credituri sunt de resurrectione mortuorum, de spe vitae aeternae regnoque coelorum?* »

Plurium ss. Doctorum testimoniis non opus esse existimo, manifeste enim hi quos obiter citavi, modo ipso loquendi demonstrant, doctrinam quam proponunt, esse universalem et communem omnibus Christianis, quae nefarie

(1) Hinc ait: « esse lucem corporalem coelestem, aut etiam supra coelum vel ante coelum, cui nox succedere potuerit, *tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur.* Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia (interpretis). » Qui igitur sentit in hisce rebus, aliquam sententiam esse veritati certissimae contrariam, et nihilominus errorem hunc putat inesse ipsi Scripturae, is ab Augustino indicatur sentire « contra fidem. » Quis autem non videt, in nova doctrina quam impugnamus, omnino illud ipsum statui, quod Augustinus damnat?

et non nisi ab impiis et infidelibus negetur. Concludam ergo ex omnibus praestitutis, novam doctrinam quae proponitur, nec cum integritate canonis Scripturarum consistere, nec cum manifesta praedicatione ecclesiastica conciliari posse.

II. *Fallacia argumentorum pro nova doctrina.*

10. Reliquum est, ut brevissime inspiciamus auctoris argumenta, quorum potissimum, et si verum fateamur, unicum constituitur in ratione *finis,* quem Deus dicitur propositum habuisse in scribendis libris sacris. Neque vero finis iste velut fundamentum novae theoriae ab auctore assumptus probationem ullam habet sive in ipsa sacrorum librorum indole sive in explicita aut implicita doctrina revelata; sed ex generali dumtaxat principio circumscribitur, quod nimirum Deus revelationem suam dederit ad nostram aeternam salutem; unde continuo infertur, nullas veritates quae *ex sese* cum aeterna hominum salute nexum non habent, esse aut posse esse a Deo nobis propositas, atque adeo nec scriptas sub inspiratione aut saltem sub assistentia divina praemuniente ab erroribus.

Consequens istud, Deum nec voluisse nec potuisse inspirare scriptionem rerum non per se pertinentium ad religionem, ex principio posito velut per gradus quosdam ab auctore deducitur. Primum ex eo quod « finis Dei inspirantis unice est communicatio veritatis religiosae, » tantummodo infertur, Deum *potuisse* sine contradictione cum fine proposito scriptores in rebus aliis sibi ipsis relinquere (p. 98), quod quidem fortasse concedi posset, quamvis in hac hypothesi finis paulo aliter quam in praesenti providentia revera est, se habere dicendus foret. At mox ab auctore absque ulla ratione addita ex eodem principio (p. 100) longe aliud concluditur: *non potuisse Deum, quin insipienter (zwecklos) ageret, nobis velle proponere,* quae praeter res fidei et morum in ss. libris continentur. Denuo (p. 101) repetitur eadem illatio: sicut Ecclesia ita et revelatio universim (i. e. Deus revelans) si tractaret huiusmodi

res profanas, « merito videretur tractasse, quae sunt extra artem, » et egisse *contra suum finem*. Verum haec duo, « potuisse Deum sine contradictione cum fine res, quas *profanas* dicere placuit, non inspirare, » et « non potuisse Deum sine contradictione cum fine eas inspirare, » quantum inter se differant, quisque videt et a logicis docetur.

Hoc alterum dumtaxat, non potuisse Deum ratione finis sibi in inspirandis Scripturis praestituti extendere suum charisma inspirationis ad illas « res profanas, » validum esset ad demonstrandam thesim adversarii; at in hoc ipso error continetur et absurditas a nemine umquam probanda. Ad summum in hac re dici posset, nos non intelligere omnes rationes ac fines, cur Deus veritates etiam per se rationales et empiricas ac historicas immediate ad ordinem naturalem pertinentes nobis verbo suo et supernaturali revelatione proponere voluerit, sicut generatim rationes divinae providentiae in ordine naturae multoque magis in ordine gratiae non nisi imperfectissime assequimur. Sed profecto intolerabile est, hanc ipsam nostram ignorantiam convertere in temerariam sapientiam, qua nos « consiliarios Dei » constituamus, et *a priori* definiamus, quas veritates nobis verbo suo tradere potuerit, quas sine laesione finis, quem ipse sibi liberrime in inspirandis Scripturis praestituit, scribendas inspirare non potuerit. De supernaturali *facto divino* agitur, quod *an* et *quomodo* locum habuerit, h. e. secundum existentiam et essentiam, secundum intensionem et extensionem, non *a priori* coniectandum est, sed a Deo ipso discendum, quatenus id nobis vel expresse in doctrina tradita Ecclesiae declarare dignatus sit, vel ex doctrina tradita nobis deducendum reliquerit. Methodo illa decernendi *a priori* de huiusmodi factis supernaturalibus, si quibus forte cum D. Hirscher « dogmata speculativa » non magni momenti pro regno Dei esse videantur, pervenietur tandem ad commentum Kantianum, in Scripturis sola « praecepta moralia » retinenda, reliqua vero vel insuper habenda vel tamquam moralium praeceptorum symbolica involucra aestimanda esse.

11. Ceterum ut directe respondeamus, ordo gratiae et

revelationis supernaturalis non destruit sed evehit et consecrat ordinem naturae et scientiae naturalis; et ordo uterque naturae et gratiae in praesenti statu elevationis finem habet gloriam Dei in fide, spe et charitate rationalis creaturae pro hac vita, in beata glorificatione pro vita futura. Ex hac coniunctione utriusque ordinis fit, ut quemadmodum elementa naturalia evehuntur ad statum supernaturalem sacramentorum, et « animale ac terrenum » aliquando transformabitur in « spiritale ac coeleste, » ita etiam veritates quae per se sunt in ordine rationis et scientiae naturalis, eleventur secundum beneplacitum Dei sanctificatoris ad supernaturalem ordinem revelationis et fidei. Hac autem ipsa elevatione per verbum Dei supposita, veritates istae attingunt duplicem ordinem. Per se spectatae sunt ordinis naturalis et « profanae, » atque ita obiectum rationis ac scientiae naturalis; quatenus verbo Dei proponuntur, sub hac formali ratione iam pertinent ad ordinem supernaturalem, sunt « veritates religiosae, » constituuntque obiectum fidei et theologiae. Quamvis igitur etiam in libris inspiratis rite distinguantur ea, quae per se sunt « res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, » et alia quae per se et ex insita sua natura non pertinerent ad ordinem religiosum fidei et morum christianorum; haec tamen distinctio non ita intelligi potest aut umquam in Ecclesia intellecta est, ac si alia in Scripturis proposita haberentur verbo Dei infallibili, alia fallibili verbo humano; sed quod alia ibi sunt per sese et ex sua intima ratione ordinis supernaturalis et ordinis religiosi, haecque dicuntur *per se et propter se revelata,* h. e. quia sunt tales veritates; alia ibi sunt ex sese et ex propria sua indole ordinis naturalis et rationalis, quae a theologis post s. Thomam (2. 2. q. 1. a. 6. ad 1) dicuntur *inspirata aut revelata per accidens,* quoniam scripta quidem sunt Deo inspirante atque ita proposita per verbum Dei, non tamen *propter se* sed *propter alia* (1),

(1) Non dico, omnes veritates per se naturales et rationales esse in Scripturis inspiratas tantummodo *per accidens;* sed aio, dari in Scripturis veritates easque plurimas hoc tantum modo inspiratas.

quibuscum historice vel logice cohaerent, cuiusmodi sunt illa, quae cl. auctor commemorat p. 98 et alia innumerabilia. Priores illae veritates sunt revelatae, quia sunt religiosae; posteriores sunt religiosae, quia et quatenus sunt ad scriptionem inspiratae, ac propterea revelatae.

Ad difficultatem igitur adversarii patet responsio. « Finis Deo propositus in revelatione unice est communicatio veritatis religiosae; ergo non potuit velle in revelatione comprehendere veritates profanas. » Respondemus. Distinguo antecedens: *unicus* finis est communicatio veritatis, quae ex sese et ex natura sua religiosa sit; *nego*. Qui hoc assumeret velut concessum pro principio demonstrationis, is committeret *petitionem principii;* hoc enim ipsum est demonstrandum, noluisse Deum ullas alias veritates hominibus in sua revelatione proponere nisi per se et ex natura sua religiosas. Finis est communicatio veritatis religiosae, quae vel ex sese talis sit vel per ipsam inspirationem ad ordinem religiosum revelationis ac fidei evehatur; *concedo*.

12. Non puto necessarium multis contendere de tribus aliis argumentis, quae in dissertatione adduntur deprompta ex extensione infallibilitatis Ecclesiae ad solas res fidei ac morum, ex deperditis aut corruptis Scripturarum textibus, ex quibusdam Patrum dictis.

1.° Si concederetur, infallibilitatem Ecclesiae tantummodo extendi ad ea, quae *ex sese* pertinent ad fidem et mores; inde nullo modo sequeretur, inspirationem in scriptoribus sacris fuisse ad haec sola restrictam. Charisma enim utrumque omnino diversum est, ac propterea ex limitibus unius non posset demonstrari, eosdem esse limites alterius. Sicut ex eo, quod Deus infallibilem auctoritatem instituisset dumtaxat ad conservationem veritatum *per se revelatarum,* non sequeretur has veritates omnes necessario esse conservandas *in Scripturis;* ita neque consequens esset, in Scripturis nullas esse veritates inspiratas, nisi *per se revelatas.* Ceterum longe diversa sunt haec duo, magisterium Ecclesiae primo et maxime sollicitum esse de custodienda integritate ac sinceritate depositi *per se revelati,* quod quidem veris-

simum est; tum vero ad Ecclesiae iudicium non pertinere veritates in Scriptura *inspiratas non propter se sed propter alia,* quod ita absolute ac simpliciter dictum theologus catholicus numquam concedet, quoniam veritates illae per ipsam inspirationem (ut paulo ante dixi) elevantur ad ordinem religionis ac fidei. Potest sane Ecclesia de his iudicare infallibiliter, maxime si opus sit propter alia, ad custodiam nempe depositi per se revelati.

2.° Ex eo quod sententia aliqua in Scripturis ad nos usque incorrupta non pervenerit, aut saltem an pervenerit, non constet; tantummodo sequitur, eam sententiam, ut nunc legitur, non pertinere ad Scripturas inspiratas, vel dubium esse, an ad eas pertineat; sed nullo modo inde confici potest, ut adversarius putavit, sententiam primitus scriptam non fuisse inspiratam. Sine temeritatis nota potest affirmari et affirmarunt magni theologi, libros aliquos integros Scripturae inspiratae tam novi quam veteris Testamenti nobis periisse, quin ideo eorum inspiratio negari debeat aut divina providentia accusari possit.

3.° Doctores qui p. 103-106 inducuntur, evidenter nihil dicunt, quod ad rem praesentem pertineat. Specimen habes in iis, quae potissimum ex ss. Hieronymo et Augustino ab auctore ad confirmationem suae sententiae prolata superius confutavimus.

13. Argumento, quod unum superest ex Concilio Vaticano depromptum, non diffiteor animum meum fuisse commotum; tam manifesto falsa est interpretatio. In dissertatione contorquetur textus Concilii in hunc sensum, ut *a*) revelatio in sacris libris intelligenda sit tantummodo « de rebus fidei et morum, » h. e. de iis quae sunt *per se revelata;* ut *b*) revelatio et inspiratio a Concilio fuerit restricta ad nonnullas partes Bibliorum, quae solae contineant revelationem sine errore, et propterea (ratione nempe materiae contentae) credi debeant inspiratae. Incredibili rerum perturbatione haec dicuntur contineri in verbis Concilii: « Eos (libros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint

approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae traditi sunt » sess. 3. cap. 2. Tres istas propositiones Concilii putat auctor ita inter se nexas, ut in prima quidem excludatur error (libros esse scriptos humanitus et postmodum ab Ecclesia approbatos); in secunda vero unita cum tertia determinetur extensio inspirationis, ac si diceretur: libri tum revelationem, *in quibusdam nempe partibus*, sine errore continent, tum *in his partibus* Deo inspirante conscripti sunt (p. 102. 103). Atqui verba Concilii tum in se spectata tum prae indole duplicis erroris, qui reiicitur, tam clara sunt ac manifesta, ut sententiam Professoris de restrictione verbi Dei scripti omnino excludant, atque adeo ipsa sola ad eam confutandam sufficiant.

1°. Repetit Concilium definitionem Tridentinam, « *libros integros cum omnibus suis partibus*, prout in Conc. Tridentini decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, *pro sacris et canonicis suscipiendos esse.* » Sine tergiversatione igitur pro *canonicis et sacris* habendae sunt *partes omnes* absque ulla distinctione materiae, quae primitus scriptae erant in istis libris. Quia vero de genuinitate singularum partium aliquando dubia excitata erant et excitari poterant, ideo Concilia pro norma statuunt veterem editionem latinam vulgatam. In iis omnibus, quae vere *partem libri* in sensu Concilii constituunt, libri habendi sunt *pro sacris et canonicis.* At quis umquam dubitavit aut dubitare potest, quin caput Gen. I. 2-25 exempli causa evidenter constituat et in Ecclesia Dei semper creditum sit constituere *partem* libri Geneseos? Haberi ergo debet idem caput ex definitione utriusque Concilii pro Scriptura *sacra et canonica.*

2°. Post hanc definitionem verbis a nostro auctore citatis et paulo ante descriptis Concilium declarat sensum, quo isti libri integri cum omnibus suis partibus haberi debeant *pro sacris et canonicis. a*) Definitio in se secundum id, quod *affirmando* docet, declarat libros esse sacros

et canonicos ratione modi supernaturalis, quo scripti sunt, « ideo quia Deo inspirante conscripti Deum habent auctorem. » Unde hoc existit argumentum. Ex paulo ante definitis a Concilio *omnes partes librorum* sunt *sacrae et canonicae.* Atqui sacrae et canonicae sunt, quatenus sunt scriptae Deo inspirante. Ergo *partes librorum omnes* sunt scriptae Deo inspirante. *b*) Quoniam declaratio a Concilio data est in oppositione ad errores nostrae aetatis, consideremus eandem prae istis erroribus, secundum id, quod Concilium *negando* excludit. Non *unus,* ut noster auctor p. 103 existimat; sed *duplex* error excluditur: *primo* non sunt libri cum suis partibus sacri et canonici ex ea, quam inepte dixerunt *inspirationem subsequentem,* quod nimirum humana tantum ope scripti postmodum fuerint auctoritate Ecclesiae approbati; neque *secundo* sacri et canonici sunt ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant.

Prior ille error non est Rationalistarum, qui libros Scripturae universim dicunt humana tantum industria concinnatos; illi enim nullam agnoscunt approbationem Ecclesiae, qua libri constituantur sacri. Sed error est quorundam eruditorum catholicorum, qui non iam libros universim, sed in quibusdam tantummodo partibus et textibus, « in narrationibus historicis rerum, quae subsunt experientiae, » dixerunt scriptos humana industria, et postmodum auctoritate Ecclesiae approbatos. Loquebantur ergo de iis partibus et textibus, de quibus noster auctor asserit homines in scribendo fuisse relictos suae industriae. Dum ergo Concilium hanc reiicit sententiam, eique opponit affirmationem, libros cum omnibus suis partibus esse habendos Deo inspirante conscriptos; clarissime eas ipsas partes, in quibus illi eruditi et nunc auctor noster dicunt scriptores suae industriae relictos fuisse, asserit et docet credi debere sub divina inspiratione conscriptas.

Si error alter, quod libri vel universim (ut loquebantur Iahnius et alii) vel in quibusdam partibus nominatim in partibus quibusdam poeticis (ut alii aiebant) sint sacri dumtaxat, quatenus « revelationem sine errore contineant, »

si hic inquam error consideretur simul cum antithesi Concilii, non ex hac solum ratione sed *ex inspiratione* libros esse sacros, deducitur *assistentiam* divinam ad praecavendos errores non sufficere pro genuina notione inspirationis, qua omnes libri Scripturae cum omnibus suis partibus habendi sunt sacri. Verum haec missa facio, quoniam de notione inspirationis nunc directam disceptationem non instituimus. Ad rem praesentem pertinet, quod noster adversarius non rite intellexit « revelationem in Scripturis, » de qua in condemnatione istius erroris sermo habetur. Concilium dum his verbis errorem describit, nomine « revelationis contentae in Scripturis » non potuit intelligere dumtaxat *per se revelata* (ut adversarius putat); sed necessario intellexit omnia, quae in Scripturis continentur, atque hoc ipso vel *per se* vel *per accidens* pertinent ad revelationem verbo Dei propositam, imo potissimum intellexit, quae non per se (quia sunt tales veritates) sed *per accidens* (quia scripta sunt) ad revelationem pertinent, quoniam illi, quorum error exprimitur, de his posterioribus rebus directe et maxime asserebant, libros esse sacros dumtaxat, quatenus revelationem (propositionem harum rerum sub divina assistentia) sine errore contineant.

Sive igitur spectes generalem definitionem Tridentinam a Vaticano Concilio repetitam, libros integros cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis suscipiendos esse; sive consideres condemnationem duplicis erroris et declarationem, quo sensu libri habendi sint pro sacris et canonicis; non eo nimirum sensu sunt sacri et canonici, quod libri sive integri sive in aliquibus suis partibus scripti sola humana industria, deinde Ecclesiae auctoritate fuerint approbati; nec eo sensu, quod in libris sive integris sive quibusdam eorum partibus non alia habeatur praerogativa quam infallibilis veritas revelationis; haec enim in Scripturis requiritur quidem, sed non sufficit; verum sacri sunt et canonici libri integri cum omnibus suis partibus, de quibus ut de subiecto Concilium loquitur, quia Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem: haec inquam sive simul omnia sive singula respicias, constat

novam doctrinam de partibus librorum sacrorum sola humana industria scriptis, atque adeo minime inspiratis, subinde etiam erroneis, undequaque et evidenter per definitionem Vaticanam excludi.

Unum itaque rogo et obtestor, ne innovationibus contra certam in Ecclesia doctrinam aditus aperiatur; hoc autem vitari qui possit, nisi continuo prae oculis habeatur, quod tam sollicite monet sacrosanctum Concilium Vaticanum? « Ecclesia ipsa non vetat, ne huiusmodi disciplinae (humanae) in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent. »

A. M. D. G.

INDEX THESIUM

DE DIVINA TRADITIONE

SECTIO II.

Caput I.

Caput II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

DE DIVINIS SCRIPTURIS

SECTIO I.

Caput I.

Caput II.

SECTIO II.

Caput I.

Caput II.

SECTIO III.

DE HABITUDINE RATIONIS HUMANAE

AD DIVINAM FIDEM

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Caput IV.

Caput V.

Caput VI.

ΣΥΜΒΟΛΗ

CONTRA RESTRICTIONEM INSPIRATIONIS LIBRORUM SACRORUM



PETRUS RAGAZZINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOC. IESU.

Cum Tractatus « De divina Traditione » et « Scriptura » nec non « De habitudine rationis humanae ad divinam fidem » a P. Ioanne Bapt. Franzelin nostrae Societatis sacerdote conscriptos recognoverint et in lucem edi posse probaverint quatuor eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum erat; potestate ab A. R. P. N. Petro Beckx Praeposito Generali nobis facta concedimus facultatem, ut iidem Tractatus iterum typis mandentur, si illis ad quos pertinet ita videbitur.

In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo officii munitas dedimus.

Romae die 8. Septembris 1875.

L. S.

PETRUS RAGAZZINI S. I.
Praepositus Prov. Rom.

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti O. P.

S. P. A. Mag.

